'Etwa eine Miglie von den Mauern der alten Hirpinerstadt Aeclanum in der Feldmark von Grottaminarda an einem Orte, den die Umwohner *i Pioppi* nennen, ist vor kurzer Zeit in der Tiefe von 12 Palmen unter andern Grabsteinen ein grosser Cippus gefunden, $5^1/_3$ neap. Palmen hoch, $2^1/_3$ breit, der auf den beiden Seitenflächen wie gewöhnlich Krug und Schale zeigt, auf der Vorderseite aber eine interessante Inschrift in Senaren. Ich habe sie in Grottaminarda, wo der Stein einstweilen jetzt unter andern zum Bau der Kirche bestimmten alten Bausteinen liegt, bis er einen passenden Platz erhält, abgeschrieben und abgeklatscht, und theile hier darnach den Text mit, sowie eine Schriftprobe, welche zeigen wird, wie verkehrt Guarini die Inschrift in die republikanischen Zeiten gesetzt hat. Die Schrift sowie die archaisirende Sprache führen vielmehr auf das dritte Jahrhundert. — Edirt ist die Inschrift von Guarini *Iter vagum, mansio I*, Nap. 1846, p. 3 sq., aber mit gewohnter Nachlässigkeit, wie z. B. Z. 8 bei ihm lautet ID QVALE QVALE EST CHAR*itib. esto* DATVM. BV, wo BV (statt ƄV = *diu*) erklärt wird durch *bene vortat*. Die Supplemente von Z. 12 an (denn bis dahin waren sie kaum zu verfehlen) sind ebenso unbrauchbar. Der Stein ist, wie man sieht, nicht wenig beschädigt; es muss über denselben ein reibendes Instrument an einer bestimmten Stelle in senkrechter Richtung hin- und hergezogen sein, wodurch in jeder Zeile etwa 10 Buchstaben verscheuert und mehr oder weniger unleserlich geworden sind. Um die Grösse der Lücken einigermassen zu bestimmen, habe ich in den besonders beschädigten Zeilen angegeben, welche Buchstaben vor und nach der Lücke übereinander stehen. Die sonst sorgfältige Schrift ist an den verloschenen Stellen zum Theil gar nicht, zum Theil nur mit Mühe und Unsicherheit herauszubringen; ich füge noch folgende Bemerkungen hinzu. Z. 11 *taedium*, nicht *taedio*, was die Lücke nicht füllen würde. — Z. 12. Nach SVM ist noch ein A zu erkennen, und danach scheint ein Rest von C oder G zu folgen; es ist aber diess wenig sicher. Die Ergänzung befriedigt wenig hier und in dem folgenden Verse;

vielleicht findet ein anderer eine bessere. *Quae mihi* hätte ich geschrieben, wenn es der Raum gestattet hätte. — Z. 13. Nach CVNCTA folgt der Rest eines runden Buchstaben, wie C oder S, dann der Zipfel eines A oder R und zwei senkrechte Linien; mit welchen Spuren die Ergänzung *cunctantem* oder *cunctatam per limina* oder dgl., an die ich sonst dachte, unvereinbar ist. — Z. 14. Gern hätte ich *legendum* geschrieben, aber der Raum reicht kaum für *legenti.* LEC oder LEG glaube ich mit Sicherheit gelesen zu haben. — Z. 16. *scopulum* erfordert die Grösse der Lücke; man lese *scoplum.* — Z. 17. Nach der Grösse der Lücke müssten hier noch zwei Buchstaben mehr gestanden haben als AC *omni*BVS, vielleicht also *ac et omnibus* oder dgl. — Diese Restitutionen, so unvollkommen sie sind, werden den Sinn doch wohl schwerlich bedeutend verfehlt haben. Unzweifelhaft gehört diese Inschrift eines Komödiendichters aus dem dritten Jahrhundert nach Christo, der sowohl Uebersetzungen von Menandros als Originalstücke publicirt hat (*chartis mandavit diu*) und in seinem ein und fünzigsten Jahre sich selbst das Leben nahm, zu den interessantesten der römischen Epigraphik. Ob sich sonst Spuren finden von diesem M. Pomponius Bassulus, weiss ich nicht; aus unserm Steine sehen wir, dass er aus einer alten Familie war und seine Ahnen bis zum vierten Gliede zurück verfolgte. Er hat die Tribus von Aeclanum, die Cornelia, und war also vermuthlich von da gebürtig; doch finde ich sonst nicht, dass die Familie der Pomponier in Aeclanum einheimisch war. Dagegen war seine Frau CANT*ria* LONG*a* ohne Zweifel aus einer in Aeclanum einheimischen Familie, da die sonst selten erwähnte *gens Cantria* häufig ist in äclanenser Inschriften (*Cantria Primilla* Lupoli *Iter Venus.* p. 123; *Cantria Paulla* ib. p. 28, Guarini *ric. Ecl.* p. 83; *P. Cantrius P. f. Cor. Italus* id. p. 102 u. a. m.). Das Municipalamt, das er bekleidete, eines Duumvir quinquennalis, finden wir in einem ähnlichen Steine von Aeclanum bei Guarini *spicilegio eclanese dell' 1824* [I. N. 1128]: TI CLAVDIO

TI FIL TI NEPOTI
COR MAXIMO Q̄
IIVIR QVINQ

vi u. s. w. von einem jungen Menschen verwaltet, der im zwanzigsten Jahre seines Alters starb; es hatte dasselbe also eben nicht viel auf sich, obwohl es der höchste Posten in Aeclanum gewesen zu sein scheint. Unser Duumvir mag sich wohl mehr mit litterarischer als mit Municipalambition geplagt haben, und nach diesen Versen zu urtheilen, müssen seine Produkte zierlich und gefällig gewesen sein.'

Facile intellegitis de argumento universo tam recte Mommsenium iudicasse, vix ut quicquam desideres, praesertim si addideris quibus hic disputata aliqua ex parte etiam locupletavit in menstruo libello supra commemorato.*) Ibi quod subtilissima argumentatione positi a Pomponii uxore monumenti tempus ita definiit, ut coloniae quidem Aeclanensis

---

*) Vt, quae ad enarrandam hanc inscriptionem conferunt, uno in loco collecta habeas omnia, hic subiecimus italice scriptum illum commentariolum, solo resecto initio. 'All' epoca repubblicana tanto meno può appartenere, perchè il duumviro è un magistrato coloniae, ed è ben noto che al tempo della repubblica Eclano ebbe quatuorviri e fù municipio. Troviamo nelle lapidi eclanesi e quatuorviri e duumviri; di quatuorviri sono a mia notizia M. Magio Suro e A. Patulacio dalla famosa iscrizione delle mura (Guarini ric. Ecl. p. 93), C. Obellio e C. Mario (id. alc. spig. arch. p. 5), M. Patulacio Massimo (id ric. Ecl. p. 111), C. Vibio Bastulo (id. cont. delle oss. ecl. p. 8, ma meglio me la copiò il Brunn) e C. Betizio Pietate (Guarini comm. XII p. 14, corretta da mè sull' originale). Questi o per le forme arcaiche usate nelle lapidi o per la loro semplicità tutti si mostrano dell' epoca repubblicana o de' primi Augusti, all' infuori dell' ultimo che come prefetto della COH. PR*ima fl*AVIA COMM*agen*ORVM vuol essere de' tempi de' Flavj. E stà bene perciò che Plinio disse Benevento la sola colonia irpina, accennando così che Eclano a suo tempo ancora non lo era. De' duumviri che abbiamo ne' marmi di Eclano nessuno si mostra di un' epoca così remota: anzi ne troviamo ai tempi di Trajano (come lo era il console Mecio Postumo secondo il titolo Guarini comm. XII p. 19 da mè redintegrato con un altro pezzo inedito), di Adriano (Grut. 441, 5) e degli Antonini (Guarini spicil. ecl. 1826 p. 5). Da ciò rileveremo che ogni lapida che fà menzione del municipio eclanese sia anteriore almeno a Trajano, e ogni lapida che fà menzione della colonia di Eclano posteriore a Vespasiano; il che sarà utilissimo per fissare l'età di molte iscrizioni. I nostri supplementi sono stati adattati alla grandezza delle lacune. Nel v. 20 si legge CANT*ria* LONG*ina*, essendo la famiglia Cantria una delle più estese fralle eclanesi.'

(quando ad coloniam duumvirum magistratus spectat) mentionem non posse non posteriorem esse Vespasiani aetate persuadeat, id lubenter accipimus, sed ita accipimus, ut non tertio potius quam secundo p. Chr. saeculo elegantes M. POMPONII BASSVLI versiculos tribuamus. Ac de homine quidem ipso non plus compertum habemus quam Mommsenius. Nec mirum memoriae nihil proditum esse de fabularum poeta non scaenae scriptarum, sed privatae oblectationi et fortasse familiari recitationi. Nam etsi agendarum fabularum cum tragicarum tum comicarum usum spectandarumque studium ne quarto quidem et quinto p. Chr. saeculo ullo modo exolevisse plane pleneque constat, praesertim postquam longe eruditissima disputatione hoc genus universum clarissima in luce WELCKERVS noster posuit de tragoediis graecis vol. III p. 1472 sqq., tamen Pomponii quidem comoedias non esse ad populum datas cum eo satis ipse significavit, quod tantum *chartis mandatas* dixit: nec enim credi potest multo VII illustriorem laudem silentio praetermissurus fuisse: tum ex scaenicae poesis rationibus universis, quales fuerunt posterioribus saeculis, colligere licet. Namque ipsa illa fabularum frequentia non est ad antiquitatis exemplum de fabulis et novis et actis interpretanda, sed ita potius, nisi omnia fallunt, menti informanda, ut discreta fuerint duo genera: novarum, quae non agerentur, sed recitarentur tantum, et actarum in scaena, quae non novae essent, sed veteres veterum poetarum. Et de tragoediarum quidem scriptoribus hoc ita Welckerus p. 1442. 1459 sqq. persuasit, ut actae esse novae tragoediae post Neronis imperium nullae videantur, post Iuvenalis autem aetatem ne recitatae quidem novae, sed per aliquot saeculorum decursum inde ab Hadriani temporibus solae veteres vel actae vel recitatae. Quodsi recte idem p. 1476 iudicavit diutius etiam quam comoediarum perviguisse tragoediarum studium: praesertim cum comoediarum h. e. palliatarum in locum in dies aucto fervore probatus mimus succederet: facile fieri coniectura potest, quando desisse comoediarum scriptio videatur. Tragoedias qui scaenae scripserit, nemo post Pomponium Secundum commemoratur Nerone imperante vita defunctum: qui recitationi, nemo post

Martialis Iuvenalisque aequales Welckeri diligentia compositos Canium Rufum, Varronem quendam, Scaevam Memorem, Bassum, Paccium, Faustum, Rubrenum Lappam. Cum his iam compara mihi comici generis rationes: in quo qui scaenae operam dederit, nullum poetam norimus Fundanio illo Horatiano posteriorem, qui recitationi consuluerit, nullum VERGINIO ROMANO, de quo hoc Plinius Secundus, Martialis aequalis ille et amicus, prodidit epistula ad Caninium lib. VI, 21: *Atque adeo nuper audii Verginium Romanum paucis legentem comoediam ad exemplar veteris comoediae scriptam tam bene, ut esse quandoque possit exemplar. Nescio an noris hominem, quamquam nosse debes: est enim probitate morum, ingenii elegantia, operum varietate monstrabilis. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste atque in hoc genere eloquentissime: nullum est enim genus, quod absolutum non possit eloquentissimum dici. Scripsit comoedias Menandrum aliosque aetatis eiusdem aemulatus; licet has inter Plautinas Terentianasque numeres. Nunc primum se in vetere comoedia, sed non tamquam inciperet, ostendit. Non illi vis, non granditas, non subtilitas, non amaritudo, non dulcedo, non lepos defuit; ornavit virtutes, insectatus est vitia, veris nominibus decenter, fictis usus est apte.* Sic enim transponendum, cum vulgetur *fictis nominibus decenter, veris usus est apte.* Vides hominem sat similis cum Pomponio Bassulo condicionis, eumque vel primi post Christum natum saeculi vel ineuntis secundi. Vixerit licet aliquanto post Pomponius: sed quid tandem est cur ab illo integri saeculi intervallo disiungatur et cum Serenis Sammonicis, Nemesianis, Calpurniis societur dissimillimi ingenii poetis? At obsoleta prisci sermonis secta-
VIII tus est. Quid autem? Alexandrine Severi, Gordiani, Diocletiani saeculum resuscitandae antiquitatis studia illa vidit? an Hadriani potius Antoninorumque aetate Naevianae, Plautinae, Ennianae sive artis sive asperitatis illecebris affectatis suam orationem condire et aequalium velut hebescenti palato commendare cum Gelliis, Frontonibus, Appuleiis poetae quoque coeperunt? Apage igitur tertium saeculum e sola litterarum specie, si Mommsenium audimus, consectarium: quae multum vereor ut dimidii saeculi discrimine tam sui dissi-

milis et tam constanter evaserit, ut hinc petito argumento tam certis finibus coerceri temporis descriptio possit.

Sed redeo unde exorsus sum, ad lacunas tam notabilis epitaphii cum probabilitate supplendas. Nam quae Mommsenius periclitatus est, me non monente perspicitis ita comparata esse, ut viam potius aliquam aliquo modo redintegrandi lapidis videatur monstrare voluisse, quam ponere quae a poeta linguae suae non prorsus ignaro scribi potuisse ipse crederet. Neque enim tam doctum virum credetis vel prosodiacae rationis vitiationem in *legenti*, *teneat*, *stabilem*, vel hiatuum ulcera in *sum adeptus*, *legenti incidite*, vel sententiae fatuitatem perversitatemve v. 14, 16, vel denique v. 17 iunctarum *ac et* particularum barbariem serio suasisse et consulto commendasse. Aegrius ferimus quod in evanidarum spatiis litterarum vel pingendis vel explicandis ne Mommseniana quidem diligentia nobis satisfecit: unde existimabitis quam non sine caussa de hoc genere graviter ab initio commonuerimus. Primum enim cum in singulis versibus circiter denas litteras detritas dicit, id non satis perspicitur quomodo in ipsius supplementa quadret, quorum nullum est quod novenarium numerum litterarum superet, pleraque vel ab hoc numero aliquot litteris distant. Non magis autem dubitationem interpunctio illa eximit, qua litteras lacunis ab utraque parte proximas notavit. Hanc enim rationem si sequimur, litterarum ordines in singulis versibus subter sese positarum hoc exemplo descripti prodeunt.

M	I C V r I S a N	XIIS
R	P O . . . . . O	RIBVS
D	. . . . A	MODVM
M	A	MIHI
D	A T . . . . . N	A
O	C L E G	IDITE
S	T F	SITVS
E	S C O P	NEAT
T	V S E I A C . .	IBVS
Q	V I E T	EM
E	C V I	IT

IX Apparet haec quidem spatia nec in denarium litterarum numerum nec in proposita supplementa convenire; atque ut fateamur quod res est, non potest omnino illorum paucitas ad reconcinnandos versus ullo pacto satis esse. Itaque cum in appingendis punctis alicubi erratum sit necessario, factum hoc est fortasse v. 14 eo, quod cum D littera superioris versus ligatum est O, non, quod debebat, L. Hoc enim sumpto si praeterea conieceris ab ipso lapidario v. 9 puncto, quod unius litterae spatium aequaret, diremptas fuisse CVRIS ANXIIS voces: (nam in hoc quoque fidem desideramus, quod, quae in Mommsenii apographo v. 5. 6 post PECORIS, OTIO et MENANDRI puncta apparent, eorum unum illud, quod est post OTIO, servatum est in altero exemplo quod ipsas lapidis formas imitatur:) vide an non inepte significatas discrepantias sic componas:

NIM	I C V r I S . a N	XIIS
COR	P O r i s d o l O	RIBVS
AED	i u m . s u p r A	MODVM
SVM	A d e p t u s e a	MIHI
TAD	A T l e n i m i N	A
OCL	E G e n t i i n c	IDITE
STF	a t a l e s` . e x	SITVS
ESC	O P u l u m . t e	NEAT
TVS	E I A C e t o m n	IBVS
QVI	E T e m s t a b il	EM
ECV	I v e r e e x p ed	IT

Quamquam cum ne sic quidem omnia congruant, sed singula spatia superfiant v. 15. 16, defiant v. 18. 19, facile suspicio oritur iterum et tertium in notandis punctis erratum esse v. 15 et 16, veros autem litterarum ordines hanc potius figuram ostendere:

L	E G e n t i i n c	IDITE
T	F a t a l e s e x	SITVS
S	C O P u l u m t e	NEAT
S	E I A c e t o m n	IBVS
E	T e m s t a b i l	EM
I	v e r e e x p e d	IT

Fatendum est tamen et vim et fidem huius ratiocinationis non leviter eo labefactari, quod, qualecumque sequare disponendi genus, haudquaquam pari vel simili concinnitate in ea parte versuum, quae ab initiis usque ad lacunas pertinet, litterarum numeros exaequatos videmus, atque minus etiam constanter in tertio et altero quam in primo exemplo. Nam cum in primo non pauciores quam XVI, nec plures quam XIX litteras numeremus: in altero inter XVI et XX (v. 15. 16. 18) fluctuat numerus, in tertio ad XXI adeo (v. 15. 16) progreditur.

Haec igitur cum ita se habeant, quando pro certo nihil amplecti in tantis dubitationum fluctibus licet, consultius videbimur illinc proficisci, quod singula supplementa sua Mommsenius plane testatus est et identidem affirmavit in lacunarum spatia religiose accommodata esse. Quo quidem ita utemur, ut unius litterulae discrimen non nimis sollicite curemus, praesertim cum aliquid etiam diversitati litterarum dandum esse versuum 5 et 6 exemplum doceat ad ipsam lapidis similitudinem expressum. Itaque cum v. 10 et 11 in Guarini ut videtur supplementis Mommsenius acquieverit (ipsum enim Guarini librum dolemus his in terris praesto non esse), rectius tamen parum placens constructio illa *utrumque ut esset taedium* Italo critico relinquenda erat. Neque enim dubitandum quin scriptum fuerit TAED*IO* · *MI* · *VLTR*A · MODVM — Impeditior de v. 12 et 13 disputatio est et valde anceps iudicium, cum quod non unius sententiae necessitas data est, sed complurium copia facta earumque variam conformationem admittentium, tum quod nec plena satis nec distincta de ipsa lapidis condicione nobis testimonia adsunt. Vix autem opinione auguratum esse Mommsenium putamus, quanti nobis quantillae rei certior definitio futura esset. Hoc dicimus, quod non satis ex eius verbis perspicitur, utrum, quas de litterarum vestigiis post SVM in lapide relictis dubitationes significavit, etiam ad Λ illud, an ad ea tantum spectent quae hanc notam secuntur. Hoc si voluit, solum praesto est quod huc quadret SVM · A*PTVS*, Plauti quidem imitatore dignissimum idemque ad veram in Plautino illo apud Gellium epitaphio scripturam *Postquam est mortem aptus Plautus* post ea, quae

Parergon praef. p. XXXI attulimus, novo documento confirmandam imprimis idoneum. Contra si A quoque illud ambiguum, non minus commode cogitatur de MORTEM · SVM*PSI*. Atqui ita non modo duobus spatiis brevius supplementum prodit (vel adeo tribus, si potuisse SVM*SI* scriptum esse probabile sit), sed quod etiam contiguam vocalem respuat. Vnde rursum hoc consequitur, non quovis pacto locum esse *EA* pronomini a Mommsenio commendato, sed certis condicionibus requiri *QVAE*. Id autem ipsum cum mox intellecturi simus mensuram intervallorum excedere a Mommsenio notatarum, in novam inicimur hanc dubitationem, utrum illius fide notationis posthabita solum, quo niti posse visi sumus, fundamentum missum faciamus, an pro *QVAE* a lapidario positum esse *Q*· credamus. Non ut aliam quandam, in quam quis facile incidat, supplendi viam statim ab initio praecludamus, *SVMPSI* · *LARGITAM* · MIHI (vel *PARTVRAM* · MIHI) . . . . . . *LENIMI*NA pro-
XI babilitatem vel propterea non habet, quod vis sententiae poscit ut gravius, nec secundaria tantum enuntiatione, illud sese reapse assecutum esse quod quaesierit, poeta declaret. Eodem autem hoc argumento etiam de *DAT* praesenti actum est, pro quo nervosius profecto exspectamus perfectum aliquod. Rursum id valere in contrarias partes potuit, aut ut largita esse beneficia, aut mala ut sustulisse mors diceretur. Quorum hoc non mirer si prae illo iccirco placeat, quod paullo commodius dici videantur *cunctae* molestiae sollicitudinesque auferri quam *cuncta* solacia et lenimenta tribui. Nec enim inepte velut in hanc speciem conicias: SVM*PSI* · *EA* · *LENIVIT* · MIHI (vel *QVAE* · *DEMPSIT* · MIHI vel *QVAE* · *MVLSIT* · MIHI) SVO · DE · MORE · CVNCTA · *IAM* · *GRAVAMI*NA: modo ne *gravamen* a bono et antiquo scriptore nullo dictum sciamus, aliud autem simili significatu nomen in *men* terminatum lingua nullum praestare videatur. Nam *iam* particulam a tali quidem sententia non ausim alienam ac ne languidam quidem iudicare: *der Tod hat mich nunmehr von allen frühern Leiden befreit.* Sed pro *gravamen* donec probum vocabulum e tenebris erueris, a contraria notione proficiscendum erit. Cuius generis vix brevius verbum exstat quam vel *TVLIT* vel ipsa simplicitate aptius *DEDIT*. Rursum huic locus aut in

superiore versu esse potuit aut in posteriore. Hoc si sequare, proponere vel hoc exemplum licet: SVM*PSI* · *QVAE* · *FESSO* · MIHI · SVO DE · MORE · CVNCTA · *DEDIT* · *LEVAMINA*, vel hoc: SVM · *APTVS* · *EA* · *LASSO* · MIHI · SVO · DE MORE · CVNCTA · *DEDIT* · *SOLAMI*NA. Non potest demonstrari in his falso admissum esse anapaestum: sed sentiri potest quanto plus sine anapaesto gratiae numeri habituri sint. Quo fit ut ad alteram potius rationem avocemur superiorique versui verbum grammaticum sic vere aptemus: *QVAE* · *DEDIT* · SVO · DE · MORE · CVNCTA · *IAM* · *PLACAMI*NA. Diximus paullo ante quo modo tueri *iam* particulam liceret: sed iidem elegantiae quidem maioris laudem haud sane composito vocabulo derogamus quinque syllabis comprehenso. Talia duo potissimum in promptu sunt, *CONSOLAMI*NA et *DELENIMI*NA, illud unius Hieronymi exemplo cognitum, qui nescitur num antiquiores sit secutus, hoc nullius scriptoris ullo exemplo, sed idem cognatarum comparatione formarum *delenimentum* et *lenimen*, *lenimentum* tam firmiter defensum*), ut securius sane amplectare. Nec inusitatum vocabulum Pomponius carminis sui v. 1 defugit, unde *transfungerer* addendum lexicis. Quamquam noluimus ita hariolari, ut novas huc voces asisceremus *SVBLEVAMI*NA vel *COMPLACAMI*NA. Iam igitur duobus exem- XII plis supra propositis altera duo haec accedunt: SVM*PSI* · *QVAE* · *DEDIT* · MIHI · SVO · DE · MORE · CVNCTA · *CONSOLAMI*NA et SVM · *APTVS* · *EA* · *DEDIT* · MIHI · SVO · DE · MORE · CVNCTA · *DELENIMI*NA. Horum autem omnium quid tandem verum sit, is demum dicere poterit qui lapidem denuo oculis usurpaverit: quando in Mommsenii quidem testimoniis nequaquam satis opis est ad difficultates omnes expediendas. Qui cum utriusque versus lacunam novem litterarum spatiis (si A illud addideris) descripserit, apprime in hos numeros *CON-*

*) De aliis quoque similibus, ut hodie res est, singulis tantum latinitatis exemplis constat. Quo *vexamen* pertinet Lucretianum, Ovidiana *fulcimen*, *remoramen*, *sedamen* Senecae, *ornamen* Marciani Capellae, *tumulamen* Anthol. lat. IV, 322 (1412 Meyer). Eiusdem Anthologiae vol. I p. 746 Burm. (230 M.) venustius dicam an lascivius carmen documento est *delectamen* forma semel aut antiquum poetam usum, aut sine antiqui auctoritate uti non veritum esse Muretum.

SOLAMI supplementum convenit, nec disconvenire *DELENIMI* dixerim, utrumque etiam eo commendabile, quod post CVNCTA ille testatus est rotundae litterae speciem apparere, post proximam autem litteram binas lineas rectas. Quod contra etsi duobus spatiis eandem mensuram *DETITLEMINI* illud excedit, tamen in annotatione proposita a Mommsenio supplementa CVNCTA || *TAMPERLIMI* et CVNCTA*N* || *TEMPERLIMI* (quae ille reiecit sane, sed propter formam solam litterarum reiecit, nos ne intellegimus quidem) ad denarium atque adeo undenarium numerum ipsa progrediuntur. Vnde consequitur a posteriore quidem versu exemplorum supra positorum nullum necessario exclusum esse. Superiorem autem quocumque modo suppleveris, pro novem habes aut quattuordecim (*APTVSQVAEFESSO*, *APTVSQVAEDEDIT*) aut saltem duodecim litteras (*APTVSEAFESSO*, *APTVSEADEDIT*, *PSIQVAEFESSO*, *PSIQVAEDEDIT*) vel fortasse undecim si SVM*SI* scriptum fuit. At ne undecim quidem litteras Mommsenius concessit, spreto atque improbato in annotatione huius mensurae supplemento *ADEPTVSQVAE*. Sed eundem tamen lacunae ambitum cum idem ille a priore versu non alienum iudicaverit, contra atque in apographo significaverat, verendum ne hic iusto parcior computator exstiterit. Vt non temere sic existimemus, nec SVM*SI* · *QVAE* · *DEDIT* ac fortasse ne exquisitius quidem SVM · *APTVS* · *Q* · *DEDIT* rationi ac probabilitati repugnare, praesertim cum ab eodem lapidario ƀ pro DI incisum sit v. 8. Accedit quod et I et E et S et P (pariter atque F et L) ex eis litteris sunt, quibus ob figurae angustiam multo minus spatii quam reliquis debetur.

Longe etiam maiorem sententiae varietatem atque adeo diversitatem versus 14 lacuna admittit. Et IDITE quidem illud in fine positum licet vel *I*DITE vel *E*DITE vel *N*DITE interpretari. LEC autem, quod initio lacunae decem spatia complexae legere sibi visus est Mommsenius, si recte legit, vix potest alio spectare quam ad *lecta*. Quo qui velut sic utatur: LEC*TA* · *CORDE* . *CO*NDITE vel *MENTI* · *CR*EDITE vel *BENE* · *PERPE*NDITE, ut alia mittam, satis profecto ieiune et cogitantem et loquentem poetam faciat, cui saltem *scripta* pro *lecta* dicendum erat, id quod magis etiam in LEC*TA* · *NE* . *QVI* · *LA*E-

DITE cadat. Nec minus languere *ADMONENTI* · *FI*DITE vel *CR*EDITE sentietis, pari quidem numèro litterarum, nimis dissimili initio. Nam aliquam certe similitudinis speciem servandam esse iidem nos intellegimus, qui sane cum in v. 13 tum in hunc versum imprimis valere illam admonitionem voluimus, qua cavendum esse diximus ne de iis lapidum partibus, quas sive XIII
temporum sive hominum iniuria corrosit aut detrivit, nimis fidei legentium ac transcribentium testimoniis vel potius coniecturis tribuatur: quippe tales lapides quicumque oculis umquam tractavit, suo expertus exemplo novit quam sit difficile ab lineolis apicibusque casu ortis residua fragmenta litterarum discernere nec rimando vel nolentem hariolari. Itaque cum incertum H sit ante OC litteras lectum, fortasse non inepte conicias VOS · IN · SEPVLCHRO · *PO*C*LA* · *CREBRA* · *FV*NDITE. Sic Sic carmine sepulcrali Anthologiae 1450 ed. Meyer. defuncto patrono libertus: *ossibus infundam quae numquam vina bibisti.* Ibidem carm. 1439: *utque suis manibus flores mihi vinaque saepe funderet.* Et 1139: *vino consperge sepulcrum.* Cf. 1312: *si gratus homo es, misce, bibe, da mi.* Verum aliquanto consultius novam viam hanc ineas ut servato HOC vel *NE* · *LAMENTA* · *FV*NDITE vel *NE* · *QVERELAS* · EDITE vel L*VCTVI* · *NE* · *C*EDITE proponas. Nihil in monumentis sepulcralibus frequentius talibus qualia haec sunt: *da quicumque legis fletus* Anth. 1244, *quisque legis doleas* 1164, *qui legis .... lacrimam fatis da gemitumque meis* 1340, *lacrimas et pia vota date* 1387, *nonne igitur lector lacrimes?* 1352. Neque vero exempla desunt quae in contrariam partem valeant, ut ibidem 1341: *Desinite luctu, questu lacrumas fundere, Si in vita iucunda ac voluptati fui Vobis, viro atque amicis notisque omnibus* (sic enim haec cum Schradero reconcinnanda fuerunt); idem 1344: *Sed quoniam multi talem sensere dolorem, Nec quisquam leti vincere vim potuit: Desinite extinctum dulces me flere parentes, Desinite et fati tristia iura queri;* vel satis vitiosis versibus carminis 1421: *Tempera iam genitor lacrimis, tuque optima mater Desine iam flere: poenam non sentio mortis; Poena fuit vita, requies mihi morte parata est.* Et apud Orellium 4829: *Desine iam mater lacrimis renovare querellas: Namque dolor talis non tibi contigit uni.* Vides ubi desinere luctus iubetur, certam caussam inusitati

alioqui consilii addi. Talis Bassuli versiculis subesse haec ratio potest: desinite flere, quippe quos hoc monumentum doceat consolandi potius quam contristandi vim mortis meae exemplum habere. Non dissimulandum est tamen, subesse potius quam adesse hanc rationem, atque ipsa verba si spectes, paullo contortius vel certe longius quaesitum illud videri copulandorum enuntiatorum artificium: quo longe gravius hoc accedit quod ista quidem sententia non patitur profecto *in* praepositionem, sed hanc formam loquendi flagitat: VOS · AD · SEPVLCRVM · HOC e. q. s. Vide igitur ne simplicissimum omnium hoc sit, ut violari monumentum poeta vetet eo consilio factum, ut posteris certae rei documento exstet. Non dissimili, quamquam diversa argumentatione idem alius poeta cavit Anthol. 1259 (Orell. 4839): *Sacratam cunctis sedem ne laede viator: Hanc tibi nascenti fata dedere domum.* Ergo non putabimus tale quiddam potius positum fuisse in
XIV lapide, quale est *OSSA · MEA · NE · LA*EDITE · vel *CONDITVM · NE · LA*EDITE vel paullo sane aptius *NE · NOTATA · LA*EDITE, quam hoc supplementum amplectemur ad sepulcri notionem universi spectans: VOS · IN · SEPVLCRO · HOC · *N*E · *QVID · ORO · LA*EDITE. Exaequatam habes cum spatiorum numero supplementi mensuram: praeterea ab initio lacunae servatam E litteram, servatam in Q maximam C vel G litterae similitudinem, nec nimis disparem pro L, quod apparere visum Mommsenio, N litteram.

Versu 15 praeclare ab eodem inventum POST · *FATALES · EX*SITVS, modo recte constructum recte interpretere: nam cum prioribus in hunc modum iunctum '*quod post mortem meam documento sit*' languidissimi additamenti vitio laborat. Non rara in lapidibus S litterae post X redundantis exempla: VXSOR, AVXSILIVM, CONIVNXS, VIXSIT, EXSEMPLVM, EXSORIENTE, EXSIGATVR: quorum quantum satis e Scaligeri Indicibus Gruteriani Thesauri p. XCIV petas. Nam quae una via cum ratione conservandae S litterae patere videtur: 'quod sit docimento, POST*HAC IN MALO* SITVS immodice ne quis' e. q. s., ea vel propterea non potest non displicere, quod subiectum grammaticum nullum praecessisse satis indicio ipsum subsequens QVIS pronomen est, quod post illud multo concin-

nius omittebatur. Permirum est autem ab eorum quae secuntur plana et necessaria sententia tantum aberrare Mommsenium potuisse. Levius est quod vix potest *vitae scopulus* dici pro *scopulis vitae*, ubi quidem generatim loquimur; gravius quod parum commode binae sententiae coeunt, quarum altera portus ei esse paratus dicatur, quem altera mire vetet vitae molestias vel pericula (an vitam utpote molestam vel periculosam?) nimis tenaciter amplecti. Immo contraria demum cogitatione efficitur ut sanus ordo sententiarum invicem sibi relatarum prodeat: non sunt vitae pericula nimis extimescenda, cum ex eis emergendi certa via pateat. Ergo nota illa, quam Mommsenius dimidiam partem N litterae interpretatus est, R litterae potius vestigia servata esse credimus, et totidem fere litteris exaratum fuisse NE · QVIS · VITAE · SCOP*VLOS* · *HOR*REAT. *Scoplum* enim formam eamque ipsam inauditam cur ille expetisse videatur, tacere quam quaerere praestat. Proximo versu vel a sententiae exilitate reiectaneum est *ei atque omnibus*, nec dubitandum quin in EIAC litteris aliud quippiam lateat. Non capere lacunae ambitus hoc supplementum videtur: PLAC*IDVS* · *OMNI*BVS. Itaque E illud interpretamur F, I autem L, postremo C (prorsus ut v. 5 in ipso lapide hodie TRANSFVNCFR exstat) potius G, haec ut poetae manus sit: PORTVS · FLAG*ITANTIBVS*, hic quoque Mommseniani supplementi modulo diligentissime servato. Atque nunc demum elegantissimam comparationem nacti sumus, quae sibi ipsa per singulas partes recte constet. Etenim *fatalis exitus* ille non spectat ad locum in quem exitur, sed unde exitur; nec enim discessus de vita significatur, verum iter ingredientium et navem solventium abitus a terra minitabundisque maris scopulis obviam itio: plane ut apud Lucretium I, 101: *Exitus ut classi felix faustusque daretur.* Hoc igitur dicit XV
poeta: nasci fatale est, non nasci in nullius potestate situm; sed illud in libera uniuscuiusque, id qui *flagitet*, potestate positum, post non voluntarium partum rursum denasci. Simillimum non uno nomine Ciceronis apophthegma e libro de consolatione expromptum a Lactantio Div. Inst. III, 19 § 14: *Non nasci longe optimum, nec in hos scopulos incidere vitae; proximum autem, si natus sis, quam primum tamquam ex in-*

cendio effugere violentiam naturae. — Excipere autem nos paratus portus ille certo non ad quietem *STABIL*EM dictus est a Pomponio, sed sine ulla controversia AD · QVIET*EM* · *PERPET*EM, aperta imitatione Plauti, Amphitr. I, 1, 123: *Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo, Nisi itidem unam, verberatus quam pependi perpetem.* Ibid. II, 2, 100: *Ibi cenavi atque ibi quievi in navi noctem perpetem.* Et Truc. II, 2, 23: *Cumque eo ita noctem in stramentis pernoctare perpetem.* Adde Pacuvium Festi p. 217 M.: *hanc operam mihi des perpetem*, eundemque Nonii p. 88: *concorditatem perpetem probitate conservetis.* — Restat ut extremo versu laudemus recte a Mommsenio instauratum DONEC · VI*VERE* · *EXPEDIT.* Cui aliud supplementum, DONICV*M* · *VOBIS* · *LIC*ET ea demum condicione adicere (non praeferre) ausim, ut denuo inspecto lapide nec E litteram DONEC vocis nec I post lacunam certa esse apparuerit.

Explicatius et tamquam familiari enarratione Bassuli versiculos tractavimus, atque singillatim persecuti sumus quae potuerunt sane, si doctis scriberemus, multo brevius transigi: sed excusationem nobis eo ipso esse paratam speramus, quod iam saepius professi sumus discentibus potius haec nos prooemia quam doctis scribere. Verum tamen unum superest, quo non expedito verendum ne pristinam integritatem venustulum carmen minime dum recuperaverit. Ecquis est enim, qui sine offensione versus 9 verba legat: *Id qualequale est chartis mandatum diu* —? Quae non tantum mire abrupta esse sentitis, sed ne a latinitate quidem sana. Nec enim in eo sermonis genere, ad cuius exemplum totum sese hic poeta composuit, *mandatum* locum habet pro *mandatum est*, nec *mandatum est* satis fluit sine *mihi* dativo. Acquiescerem, si legeremus, quod non legit Mommsenius nec ut videtur Guarinus, vel MANDA*VI* vel MANDA*BA*M vel MANDA*RA*M. Quamquam vel sic hiatum aliquem sententiarum persentiscere videor. Exspectamus enim prius quam intolerabilem, vitam dici tolerabilem fuisse, et poetam aliqua iucunditate delectatum prius quam vexatum incommodis. Et talis versiculus prorsus non dubitamus quin inter v. 8 et 9 exciderit, oscitantis ut fit vel aliud agentis lapicidae neglegentia omissus.

Nunc igitur ut comprehensis omnibus summam ante

disputatorum uno in conspectu collocemus, proxime a poetae manu hanc abesse reconcinnati carminis, quod cum aliqua voluptate legatur, speciem existimamus quam infra posuimus.

Ne more pecoris otio transfungerer, XVI
Menandri paucas vorti scitas fabulas,
Et ipsus etiam sedulo finxi novas.
Id, qualequale est, chartis mandatum diu
[Vitae mi agundae delectamento fuit.]
Verum vexatus animi curis anxiis,
Nonnullis etiam corporis doloribus,
Vtrumque ut esset taedio mi ultra modum,
Optatam mortem sum aptus: quae dedit mihi
Suo de more cuncta consolamina.
Vos in sepulcro hoc ne quid oro laedite:
Quod sit docimento, post fatales exitus
Immodice ne quis vitae scopulos horreat,
Cum sit paratus portus flagitantibus,
Qui nos excipiat ad quietem perpetem.
Set iam valete, donec vivere expedit.

III.

Legis Rubriae pars superstes*)

(cum duabus tabulis lithographis**)).

1 LEGEM RVBRIAM quod vocavi, quae per sexaginta et quod excedit annos lex Galliae cisalpinae vel paullo saltem rectius de Gallia cisalpina dici solita est, id non modo defensione, sed ne excusatione quidem modestiaeve significatione videtur hodie egere. Nam postquam G. F. PVCHTAE felici sagacitate patefactum est in Commentationibus iuris

*) [Programma academicum Bonnense anni 1851: 'Natalicia Augustissimi Regis Friderici Guilelmi IIII..... die XV m. Octobris a. CIƆIƆCCCLI concelebranda indicit F. R.', singulariter sic inscriptum: 'Legis Rubriae pars superstes. ad fidem aeris Parmensis exemplo lithographo exprimendam curavit F. R.' (Neque enim, ut Ritschelii ipsius verbis utar, indignus visus est praestantissimi monumenti haud vulgaris splendor, qui laetissimae opportunitatis academicae splendori inserviret.) Idem paullo post bibliopolae Berolinensi G. Trautwein (I. Guttentag) traditum in publicum prodiit singulari quidem inscriptione servata, sed praemissa hac dedicatione: INCLVTAE | LITTERARVM · ET · SCIENTIARVM | ACADEMIAE · REGIAE · BOICAE | FRIDERICVS · RITSCHELIVS | D · D · L · M | GRATI · VENERABVNDIQVE | ANIMI · TESTIFICANDI · CAVSSA (fuit enim a. 1850 academiae Boicae socius externus Ritschelius adscriptus) additoque auctario p. 15 et in fine significatis eis quae in Musei Rhenani vol. VIII p. 298 sqq. et 448 sqq. ad eandem legem spectantia Ritschelius interea disputaverat. Nunc vide C. I. L. I n. 205 p. 117; P. L. M. E. tab. XXXII et Enarr. p. 28. C. W.]

**) [Exemplum quod in tabulis I et II adiecimus lithographum non idem est quod huic de lege Rubria commentationi adhaesit (e delineatione non satis accurata illud expressum), sed repetitum ex nova tabula quam secundum formas stanneas aeris Parmensis effictam edidit Ritschelius P. L. M. E. tab. XXXII; vide infra adnotationem ad p. 38. C. W.]

civilis anno 1823 editis p. 72 sqq., eis verbis, quibus in priore tabulae parte v. 29 et 38 mentio fit *legis Rubriae*, non aliam atque eam ipsam legem dici in qua ea verba scripta sunt, utpote in formula posita, primum omnium praeclari inventi laudator Gustavvs Hvgo exstitit Historiae iuris R. nonum editae a. 1824 p. 5 sq. Vno post anno impugnatus a C. A. C. Klenzio in enarratione legis Serviliae p. 21 et 39, propositam a se sententiam Pvchta uberius exsecutus in Hvgonis Promptuario iuris civilis, tomi VI a. 1827 publicati p. 123 sqq., eis rationibus tuebatur quas prorsus probaret Philippo Edvardo Hvschkio, cum in Diariis criticis iurisprudentiae Tubingensibus anni 1829, tomi V p. 352 sqq. de ipsa controversia breviter disputanti, tum academica 'de actionum formulis quae in lege Rubria exstant' commentatione Vratislaviae a. 1832 emissa gravissimas quasdam partes monumenti Parmensis nova in luce conlocanti. Non item Pvchta ei persuasit, cui placuisse vel maxime intererat, Carolo Friderico Savinio: qui quas dubitandi caussas haberet, aperuit in luculenta de lege Iulia municipali dissertatione Diariis iurisprudentiae historicae inserta a. 1838, tomi VIIII p. 337, vel Miscellorum t. III p. 323. Itaque huic et Hvschkivs anno insequenti paucis respondit in Richteri Schneiderique Annalibus criticis iurisprudentiae, tomi V p. 483, et ipse Pvchta plenissime satis fecit a. 1840 in eisdem illis Diariis, tomi X p. 195 sqq.: nam satis fecisse biennio post Savinivs ingenue fassus est ipse eorundem Diariorum t. XI p. 53 sqq. vel Miscell. t. III p. 378 sqq. Num etiam G. C. Bvrchardio satis fecerit, qui contra Pvchtam academicum libellum 'de lege Rubria' Kiliae a. 1839 scripserat, nec scitur nec quaerere attinet.

Quodsi Savinivm, cuius de lege Iulia municipali commentatio in iure publico legis Rubriae inlustrando versatur, quasdam eius partes ad ius privatum spectantes tractasse
dixero in ea dissertatione, quam de antiquo iure R. circa aes 2
alienum scriptam inseruit commentariis academiae Borussicae anni 1833, iteravit Miscellorum t. II p. 430 sqq.: simul videbor potissimos scriptores enumerasse, qui de rerum explanatione in lege Rubria memoratarum argumentique universi

interpretatione praeter ipsos editores bene meruerunt. Quod genus quam solet a philologorum indole et condicione alienum esse, tam coniunctum cum horum officio illud munus est quod ad ipsa verba spectat cum fide et iudicio et diligentia adcuranda constituenda repraesentanda: quali opera et viam sterni interpreti et saepe aliquam partem ipsius interpretationis contineri non fugit peritos. His igitur finibus nostrum commentariolum circumscripturi paucis narrandum de omni instrumento critico videmus.

Ac repertam esse constat tabulam illam aeneam, in qua lex Rubria scripta est, die XXIV mensis Aprilis anni CIↃIↃCCLX in vico terrae Placentinae cui Macinesso nomen, inter parietinas pristini oppidi Veleiae, unde ineptum 'Digesti Veleiatis' nomen legi inditum est aliquando: haud procul ab eo loco in quo tredecim ante annis 'tabula alimentaria Traiani', vel verius obligatio praediorum, effossa erat. Transiit deinceps, postquam in ea explicanda et in suam linguam transferenda Antonivs Costa canonicus Placentinus elaboravit, una cum huius schedis mss. in museum regium Parmense. Ibi cum primus Caietanvs Marinivs transcripsisset, edidit tamen primus anno 1788 comes Ioannes Rinaldvs Carli Antiquitatum Italicarum tomo I a p. 135. Quem excepit caussarum actor Placentinus Iosephvs Poggivs vulgata anno 1790 scheda singulari quam in Germania nemodum vidisse videtur: eodemque anno Costae translatio prodiit in Secundi Iosephi Pittarelli de tabula alimentaria libro Augustae Taurinorum publicato. Paratum a se tabulae exemplum atque iam anno 1786 formis expressum Marinivs anno demum 1795 foras dedit in Actis monumentisque fratrum Arvalium, tomi I p. 108 sqq., adiecta tomi II p. 568. 571 sq. siglorum quorundam explicatione. Carlium potius quam Marinium secutus cum nostratibus monumentum Parmense primus Gvstavvs Hvgo anno 1797 communicavit Promptuarii sui tomo II a p. 431 ad 496, et corrigens quaedam feliciter vel rectius interpretans et saluberrimo consilio omnia convertens vernacule et ipsam legis materiam accurato commentario planam faciens et sic generaliter definiens '*Process-Ordnung für das CisAlpische Gallien*', singulis autem capitibus rubricas

praescribens hasce: XIX '*Von der Noui operis nunciatio*' XX '*Vom Damnum infectum*' XXI '*Von geliehenem Gelde*' XXII '*Von anderen Forderungen*' XXIII '*Von Erbschafts-Theilungen*'. Tredecim annorum spatio interiecto altera in Germania editio secuta est Henrici Edvardi Dirksenii, qui Marinio potius quam Carlio duce utendum esse intellegens illius exemplum iteravit in 'Observationibus ad selecta Galliae cisalpinae capita' Berolini proditis et summorum in utroque iure honorum obtinendorum caussa publice defensis anno 1812: quibus etiam de latae legis aetate rectius quam ab Hvgone factum erat statuit. Postremo horum laborum prorsus ignarus homo Italus Petrvs de Lama museo Parmensi praefectus, sed memor Gothofredi verborum quae praescripsit '*fructus laborum est placere melioribus et pro industria* 3
atque integritate palmam iudicii promereri', gratiam non mediocrem ab Ictis nostris iniit edito a. 1820 in urbe sua libro sic inscripto: 'Tavola legislativa della Gallia cisalpina ritrovata in Veleja nell' anno M.DCC.LX e restituita alla sua vera lezione', una cum prooemio suo observationibusque quibusdam et adnotationibus popularium suorum Lvdovici Bollae et Ioannis Baptistae Comaschi, quas non dolituri eramus suppressas. Fidem is apud plurimos maximam invenit: quamquam nec Ernesto Spangenbergio nec A. E. Eggero nec nuper Carolo Zellio quicquam profuit, quorum ille in Hauboldi Monumentis legalibus p. 144 sqq. satis habuit Dirksenii exemplum propagare, hi Spangenbergii si qua est auctoritati sese manciparunt, Eggerus quidem in Latini sermonis vetustioris reliquiis p. 308 sqq., Zellius Enchiridii epigraphices Romanae, a fidei laude parum commendabilis, tomo I p. 277 sqq. Sed tamen ne de Lamani quidem exempli fide dubitandi caussa omnis defuit, cum aliis in partibus in quibus illi Mariniana auctoritas adversaretur, tum eo in genere suapte natura valde lubrico quod ad singularum litterarum syllabarumve figuras sive integras et perspicuas sive mutilas vel evanidas spectat. In quo genere iam Carliani exempli atque Mariniani tanta discrepantia fuerat ut, cum in hoc paucissimae, permultae autem in illo litterae notatae essent ut incertae, propter id ipsum ex hoc utpote

diligentius facto quam ex illo pendere Hugo mallet: unde tanta apud hunc litterarum *cursivarum* multitudo. Apud Lamam autem cum etiam in paucioribus quam apud Marinium locis alicuius dubitationis significatio facta esset, iam eo res esse adducta videri poterat ut summam tabulae integritatem esse crederes, nisi suis oculis denuo aere Parmensi examinato, quam non esset utriusque exemplo confidendum, GVSTAVVS ERNESTVS HEIMBACHIVS docuisset Observationum iuris Romani libro a. 1834 Lipsiae edito, ubi p. 31 sq. integrum legis caput XXI, quale in tabula reapse legeretur, diligentius studuit quam evidentius potuit describere. Quippe in confesso est nec verborum ambagibus satis enarrari, nec eis litterarum formis quibus hodie typographi utuntur exaequari incredibilem in hoc genere varietatem ipsorum monumentorum posse, sed delineando demum eo perveniri ut vera imago antiquitatis et tamquam simulacrum quoddam fallere nescium paretur: cuius artificii perfectum exemplum exstat STEPHANI ENDLICHERI consilio repraesentatum SC. de Bacanalibus.

Quae cum ita essent, cum nuper in suavissimi WELCKERI mei pluteis locupletisimis nescio quid scrutans forte fortuna in legis Rubriae exemplum incidissem manu, ut facile primo aspectu apparebat, peritissima, fide autem religiosissima affabre prorsus factum*): ubi, quid eius rei esset, quaerebam, illud se WELCKERVS respondit optimi viri singularique huma-

*) [Conferas tamen quae Ritschelius in Enarrat. tab. XXXII P. L. M. E. p. 28 scripsit: 'Cui (exemplo lithographo quod huic commentationi adnexum erat) conficiendo cum delineatio tantum praesto fuisset ab Welckero accepta, huic a. 1841 donata ab Michaele de Lopez musei Parmensis praefecto, non esse committendum putavi quin per itineris Italici sui opportunitatem Ribbeckius ipsum archetypum denuo inspiceret. Quod etsi ille testatus est laudabili fide in lithographi nostri tabula expressum esse, tamen quoniam ad fidem summam aliquid tamen in levioribus quibusdam rebus omissum observarat (e quibus unam quae ad P litterae figuram spectat, tetigi nuper Musei Rhen. t. XIV p. 291 sq. [infra XIV]), ipsum Lopezium precibus adii ut novo parato instrumento mihi gratificaretur. Respondit vir officiosissimus missis formis stanneis aeris Parmensis: unde non emendandam priorem tabulam nostram, sed novam a lithographo effingendam curavi.' C. W.]

nitate ornatissimi beneficio MICHAELIS LOPEZ acceptum referre, museo Parmensi nunc praefecti, laudati a se iam Musei Rhenani novi t. VI p. 100: donatum id quidem sibi anno 1841 et liberaliter permissum in futurae editionis usum, si cui Germanicarum rerum rationes magis quam Italicarum faverent. Haud aegre a carissimo collega impetravi, ut memet eum esse editorem pateretur, qui mihi viderer operae pretium facturus, si illud exemplum quanta fieri diligentia posset lithographi arte imitandum curarem.

Et de lithographo quidem vere praedicare et possum et debeo, nihil eum reliqui fecisse. De mea autem opera quam modeste sentio, tam simpliciter dicam. Primum igitur partem superstitem legis Rubriae, quam e partibus minimum quinque quartam esse ipsa tabula testatur, repraesentavi vulgari litterarum genere expressam et ita interpunctam ut et legi et intellegi commode posset: subiecta brevissima earum emendationum notatione, quae aut aliis deberentur aut mihi esse necessariae visae essent. Quae quos auctores haberent, infra posita ADNOTATIONE narravi: ubi etiam siglorum explanationes adposui, nisi quas aut, ut difficultatem nullam habentes, Hugoni iam Itali ante Marinium interpretes Costa Poggius Carlius praeissent, aut hi ea imperitia excogitassent cuius specimen ad I 31 dedi. Ibidem Carlii (C), quem tamen Hugonis Dirkseniique fide commemoro, Marinii (M) Lamae (L) de ipsius aeris memoria testimonia composui, quo certius de singulis iudicium esset: separatim tamen, ne quid vel turbarum vel fastidii lectitantibus crearetur, eis omnibus perscriptis quae ad interpunctionem orationis pertinent. Quo in genere ut mirifica testantium discrepantia est, ita paullo plus quam vulgo creditur utilitatis. Velut non est temere factum, sed ex certae disciplinae constantia repetendum, quod plerumque (nam aliquid sane sculptoris neglegentiae condonandum) praepositiones cum suis nominibus coeunt: *abeo aquo adquem exea ineum inquo, quomeo* II 27, *qua dere, quam obrem, inea uerba, ineo iudicio, cisalpeis exdecreto exformula exiudicieis inalbo ingallia inheredem inius*: qualia saepe vel corrigenda esse dixerunt vel tacite correxerunt scilicet non Hugo tantum et Lama, sed ipse adeo Marinius. Quid, quod

eadem ratio ad talia pertinuit: *inearum qua formula* I 46. 49, *ineorum quo oppido* II 2. 26. 53. 56. Sed separantur *apud eum* II 31. 48, *inter eos* II 18. 54, *inter peregreinos* I 24. 34. Iunctim haec quoque scribuntur: *antequam* I 23. 32, *seiquid* et *nequid* I 13. 44. II 50. Contra non conglutinantur *quo minus* I 52. II 21, *dum taxat* I 27. 36. II 19, nec umquam vel *satis dare* vel *satis facere*. Et tantum de his, nec sat magnis ad immorandum nec ad neglegendum satis parvis.

I.

5 iussum iudicatumue erit, id ratum ne esto: quodque quis|que quomq*ue* de *ea re* decernet interdiicetue, seiue sponsionem | fierei iudicaueritue iubebit iudiciumue quod d*e ea re* dabit, is | in id decretum interdictum sponsionem iudicium exceptio| nem addito addiue iubeto: 'q*ua* d*e re* operis noui nuntiationem | IIuir IIIIuir praefectusue eius municipei non remeisserit.' |

XX Qua de re quisque et a quo in Gallia cisalpeina damnei infectei | ex formula restipularei satisue accipere uolet, et ab eo, quei | ibei i*us* d*eicet*, postulauerit, idque non k*alumniae* k*aussa* se facere iurauerit: tum is, quo | d*e ea re* in ius aditum erit, eum, quei in ius eductus erit, d*e ea re* ex formu|la repromittere et, sei satis darei debebit, satis dare iubeto de|cernito. quei eorum ita non repromeisserit aut non satis dede|rit, seiquid interim damni datum factumue ex ea re aut ob *eam rem* eo| ue nomine erit, quam ob rem utei damnei infectei repromissio | satisue datio fierei, postulatum erit: tum mag*istratus* proue mag*istratu* IIuir | IIIIuir praefec*tus*ue, quoquomque d*e ea re* in ius aditum erit, d*e ea re* ita ius | deicito, iudicia dato iudicareque iubeto cogito, proinde atque sei | d*e ea re*, quom ita postulatum esset, dam[ni] infectei ex formula | recte repromissum satisue datum esset. de [e]*a* re quod ita iudicium | datum iudicareue iussum iudicatumue erit, ius ratumque esto, | dum

LECTIO EMENDATA

2 interdeicetue 3 iudicareue 15 fieret erat

Ad litteras ut transeam, quod orthographicum genus appellitant nomine parum apposito ad rem, et memorabilis et utilis praeter alios titulus Mummianus est propterea, quod, nisi ipsa cum lapidis tum litterarum species fidem faciat archetypum esse nec instauratum tantum, vix quicquam sit cur non anno circiter quadragesimo potius quam octavo saeculi septimi tribuas.*) Non loquor de vocalium longarum geminatione, quae ne fuit quidem remotissimi aevi, sed grammaticorum ut puto tunc efflorescentibus studiis septimo demum saeculo inventa est, nec prius illa quam in tabulis Bantina et Genuati apparens nec ullo tempore constans. Verum duo genera sunt, in quibus cum ipso initio septimi saeculi fluctuarit scriptura, non antiquiorem potius quam recentiorem consuetudinem lapis Vaticanus participet: tria alia, in quibus ille recentioris usus exempla omnium antiquissima praebeat. Quae ita paucis perstringam, ut nummos tamen in praesens praetermittam. Ac primum quidem simplices pro geminatis consonantibus ille habet nullas, sed MVMMI v. 1, BELLO v. 7. Quam geminationem**), repetendam eam, si grammaticis credimus, a Q. Ennii auctoritate atque exemplo, cum vel SC. de Bacanalibus prorsus ignoret, haud scio an

*) [Annorum 608 et 620 finibus titulum Mummianum Ritschelius inclusit, sed ad hunc etiam propius quam ad illum admovit Musei Rhen. t. IX adnotatione ad p. 3 (infra n. VII). C. W.]

**) [Videas quae de hac consonantium geminatione exposuit Ritschelius Monum. epigr. tr. (infra n. V) p. V sq. et exempla collecta in P. L. M. E. tab. LX *A—H*. C. W.]

non satis fidei INNAD illud (pro quo INAD est apud Gruterum) habeat in Reinesiana VI, 99 [C. I. L. I n. 530; VI, 1 n. 1281] anni ut apparet 540, quamvis Manutii auctoritate stabilitum a Th. Mommseno Diar. Inst. arch. a. 1846 p. 47 sq. Quod ubi missum feceris, antiquissima sunt ESSENT et TERRA in P. Scipionis elogio anni circiter 580 (Or. 558 [C. I. L. I n. 33; P. L. M. E. tab. XXXIX *F*]), tametsi in eodem non magis geminantur GESISTEI LICVISET SVPERASES, quam in Goriana Inscr. Etr. II p. 234 GRACVS [cf. infra p. V (90)]: paullo autem post et ANNOS et [P]AVLLA HISPALLI habes in eis titulis Scipionum (Or. 556. 557. 551 [C. I. L. I n. 35. 36. 39; P. L. M. E. tab. XL *G. H a b*, XXXVII *C*]) qui exeunti saeculo tribuendi sunt. Eodem anno 608 simul et MVMMIVS et MVMIVS scriptum esse infra apparebit: quo minus mirum est IOVSIT et IVSIT posita reperiri in annorum 613 et 619 inscriptionibus Musei Estensis p. 29 [C. I. L. I n. 547; P. L. M. E. tab. LVIII *A*] et Veronensis p. 108, 1 [C. I. L. I n. 549; P. L. M. E. tab. LV *B*], circaque idem tempus et POSIDET et ANNOS in elogio L. Scipionis Cn. f. Cn. n. (Or. 555 [C. I. L. I n. 34; P. L. M. E. tab. XLI *K*]), aliquanto autem post (sic enim statuendum de tempore) in patris Hispani epigrammate (Or. 554 [C. I. L. I n. 38; VI, 1 n. 1293; P. L. M. E. tab. XLII *L*]) ACCVMVLAVI. Eademque inconstantia summa in Bantina tabula et Genuati apparet, post quas demum haud paullo frequentior geminatio fit in lege agraria anni 643 quam Thoriam vocitant, inque lege repetundarum quae creditur Servilia esse; primas autem inscriptiones, quae geminationem numquam omittant, invenio Campanas inde ab anno 646 esse apud Orellium 2487, Gudium p. 20, 1 Borghesiumque in Furlanetti Museo Estensi p. 15 sqq. [C. I. L. I n. 563 sqq.; P. L. M. E. tab. LXIII. LXIV *A—F*] cum supparis aetatis aliis ut anni 660 lege pagi Herculanei, Scto de Tiburtibus, lege Cornelia de XX quaestoribus. Quamquam vel post harum aetatem non
v desunt singularia quaedam contrarii generis, velut a. 691 incisum est TVLI• in inscriptione a Cavedonio publicata Diar. Inst. a. 1845 p. 162 [C. I. L. I n. 599; P. L. M. E. tab. LXXXVI *A*], quod a provinciae longinquitate excusavit

Henzenus in Annal. Inst. a. 1846 p. 254: item a. 696 SVRVPVERIT in Furfensi Or. 2488 [C. I. L. I n. 603; P. L. M. E. tab. LXXXII], vel in tessera gladiatoria a. 698 PETILI n. 2561 Or. [C. I. L. I n. 731] similiaque in lege Iulia municipali aliquotiens. — Alterum quod pro Mummii aetate non exspectes, HANC est pro HANCE*) v. 8, quamquam HASCE habes v. 5. Regnat enim forma bisyllaba sola in SC. de Bacanalibus (HAICE HOCE), in tabula Bantina (HACE HANCE HOICE), in Genuati (HISCE FINIS), in lege repetundarum (HOIVSCE HEISCE HANCE, HACE autem tam crebris exemplis ut semel editum HAC fidem non habeat), in lapidibus Campanis (HEISCE). Prima est Pollana inscriptio anni 654 n. 3308 Or. [C. I. L. I n. 551; P. L. M. E. tab. LI *B*], in qua et HINCE et simul HEIC legatur: qua posterior aetas bisyllabas formas prorsus ignorat, adeo ut decurtatis sine ulla exceptione iam leges Cornelia de XX quaest. et Antonia de Termesibus utantur, item anni 676 Pompeiana (HEIC) apud Gellium Pomp. I p. 31 (C. I. L. I n. 590; IV n. 1842; P. L. M. E. tab. XVII 22]. Quo magis mirari licet non tantum HOC · SAXSVM incisum esse L. Scipionis Cn. f. Cn. n. sepulcro circa a. 615 et HOC · PRO in Reatina Or. 1862 [C. I. L. I n. 542], in quibus breviorem formam exigebat numerorum ratio, sed etiam ante vocales HANC AEDEM integroque ante hanc saeculo HONC OINO in eo Scipionum titulo qui est omnium antiquissimus**) (Or. 552 [C. I. L. I n. 32; VI, 1 n. 1287; P. L. M. E. tab. XXXVIII *E*]), antiquior ipsius Barbati patris titulo (Or. 550 [C. I. L. I n. 29. 30; VI, 1 n. 1284. 1285; P. L. M. E. tab. XXXVII *A B*]), ubi nihil vetabat HANCE et HONCE scribi. Quocirca, cum de grammaticorum aliqua doctrina propter aetatem Scti de Bac. cogitari nequeat, haud scio an aliquid in hoc genere iam illis temporibus carminum et legum diversitati datum sit. — Tertium in aspiratione consonantium***) cernitur, quae cum neglecta sit in CORINTO v. 3, omnium primum apparet in

*) [Cf. Mon. epig. tr. (infra n. V) p. 16. C. W.]
**) [Vide Musei Rhen. t. IX p. 1 sqq. (infra n. VII). C. W.]
***) [Cf. Mon. epig. tr. (infra n. V) p. 27. C. W.]

TRIVMPHANS v. 5. Antiquiora habes BACANALIA in senatus consulto, ANTIOCO in sepulcro L. Scipionis L. Asiatici f. (556 Or. [C. I. L. I n. 35; P. L. M. E. tab. XL *G*]), GRACVS in titulo [s. s. [C. I. L. I *elog.* XXXI] anni aut 577 aut 591*): primum post Mummium aspirationis exemplum lex agraria offert in CORINTHIORVM, quamquam et ibidem CARTAGO legitur et huic proxima aetas additae *h* litterae exemplum nullum offert, omissae haec ANTRACIVS in Campana anni 646 apud Orellium 248 [C. I. L. I n. 565; P. L. M. E. tab. LXIII *A*], BRACIO in lege repetundarum, CALCIDICVM in Campana anni 655 apud Gudium p. 73, 6 [C. I. L. I n. 569; P. L. M. E. tab. LXIII *D*]. Mixto ex aequa parte utroque genere non aspirata sunt anno 660 in lege pagi Herculanei [C. I. L. I n. 571; P. L. M. E. tab. LXV] TEATRO DIOPANT · ANTIOCVS, aspirata AGATHOCLES EVPHEMIO PHILEM ·: similique inconstantia DIPILVS anno 676 scribitur in Pompeiana s. s., GRACCVS a. 678 vel 679 in Fanensi Or. n. 570 [C. I. L. I n. 583], sed a. 681 PHILODAMVS in Fabrettiana I, 195 apud Muratorium p. 291, 3: item in lege Antonia anni 682 promiscue THERMENSES atque TERMENSES et MITRIDATIS, circaque idem tempus PILARGYRVS in Grut. p. 334, 5 [C. I. L. I n. 721]: sed constantius inde ab exeunte demum saeculo ELEVTHERVS PHIL*ippo* PHILODAMVS PAMPHILVS apud Fabr. I, 198, Orell. 2561. 2562 *b*, Fabr. I, 199 [C. I. L. I n. 730. 731. 733. 736], ipsumque TRIVMPHAL · in Mariniana Arval. p. 643 *a*

---

*) [Cf. P. L. M. E. Enarr. p. 48 ad tab. LIV *B*: 'titulum Arretinum cum ad Ti. Sempronium P. f. Gracchum consulem aut a. 577 aut 591 referebam de titulo Mumm. p. IV. V, deceptus sum Gorii neglegentia vitiosissime et SEPRONIVS et GRACVS edentis Inscr. Etrusc. t. II p. 234, id quod Henzeno quoque fraudi fuit Annal. Inst. Rom. a. 1855 p. 84: nam non *s*EMPRONIVS tantum, sed GRACCVS quoque, ut iam Musei Rhen. t. XIV [infra n. XIV] p. 288 dixi, in attrito ibi lapide exstitisse manifestum est. Sed vel septimo saeculo recentiorem ipsius genus scripturae prodit: nec posse dubitari Brunnius me certiorem fecit quin principium intueamur talis elogii qualia multa imperatorum aetas vidit, ex parte in tabula nostra XCVI repraesentata eaque ipsa Arretio petita. Ac reapse evanuisse tantum versus inferiores prorsus corrosi aut laevigati lapidis idem Brunnius testatus est.' C. W.]

anni quidem 720. — Quarto loco admirationem movet V pro O vocalis in HERCVLIS v. 9. Nam etsi in declinatione quidem OS et OM terminatio ultra initium saeculi sexti, si ab uno SENATVOS genetivo recesseris, non duravit (ut prorsus singulare sit ANTIOCO pro *Antiochum* in L. Scipionis, quaestoris anno 588, sepulcro), tamen in ceteris longe diutius vetustior O sonus mansit. Nec id in illud tantum genus cadit quod ad ipsam stirpem vocabulorum pertinet, velut*) sola POPLVCVS et POPLICVS tabulae Bantina et Genuatis norunt, POPLICVS et PVPLICVS et PVBLICVS simul leges VI
demum agraria et repetundarum, quamquam PVBLIO iam fuerat in sepulcro P. Scipionis: vel NONTIARE scripturam cum Scto de Bacan. lex repetund. participat, tametsi in hac iam exstat CONSVLERE quod illic CONSOLERE**) erat, in eademque et DETOLERIT et DETVLERIT scriptum est. In ipsis autem derivativis syllabis quemadmodum HERCOLES formam, etiam a Prisciano I p. 554 testatam, titulus Soranus servat, ita TABOLA scriptura, quae constans est in Scto de Bac., aere Bantino Genuatique, recentiori TABVLA non prius quam in eisdem illis legibus agraria et repetundarum cessit, sed ita tamen ut, cum in illa etiam TRIENTABVLE*is* legatur, haec recentior [immo antiquior, cf. Monum. epigr. tr. (infra n. V) p. 9 et P. L. M. E. Enarr. p. 27. C. W.] promiscue etiam TABOLA exhibeat antiquitatemque pariter servet in CONCILIABOLEIS SORTICOLAS SINGOLOS. Eandem SINGOLOS formam aes Genuense sociavit tamen cum VINCVLEIS scriptura, plane ut Bantinum POPOLVS et POPVLVS formas, quarum sola posterior in legibus agraria et repetundarum regnat. E quibus omnibus facile existimabis quam recte dicam Mummii lapidarium, cum HERCVLIS incidebat, id genus occupasse quod a proximo sui exemplo aut viginti aut maiore annorum intervallo distet: quando Bantinum plebiscitum nec ante a. 625 nec post 636 factum esse cum ex materia legis a Mommseno de dial. Ital. p. 156 effectum est tum ex ipso sermone sat certo intellegitur.***)

*) [Cf. Mon. epigr. tr. (infra n. V) p. 9. C. W.]
**) [Cf. ibid. p. 15. C. W.]
***) [Cf. quae dixit Ritschelius P. L. M. E. Enarr. p. 25: 'de aetate

Ipsius autem HERCVLES formae antiquissimum post Mummianum exemplum nescio an illud sit quod Orelliana 1528 [C. I. L. I n. 1113] praestat HERCVLEI e. q. s.: id quod etiam Henzenum sensisse video Musei phil. Rhen. n. t. V p. 73. — Verum enim vero etiam graviori offensioni, quam adhuc commemorata omnia, in Mummiana inscriptione intellego quintum genus quoddam esse: quod quidem ad M litteram spectat pro N substitutam in IMPERIOQVE v. 2 et IMPERATOR v. 10. Nam reliqua quae persecutus sum, cum aliquo sane intervallo, sed eo tamen modico, a vetustioris usu consuetudinis discreta sint, hoc tam novum est ut, nisi certissima fides esset Vaticani lapidis et antiquitas exploratissima, non paullum illinc dubitationis oriretur. Per sat longum enim annorum spatium IN praepositionem saeculum septimum non mutavit ante P litteram, sed INPERIVM INPERARE INPONERE INPROBVS INPROBARE, et si quae sunt similia, constantissime probavit in tabula Bantina, in legibus agraria et repetundarum, pariterque in lege Puteolana anni 649, quantumvis certum sit eam instauratam tantum haberi, item in lege Antonia: modo ne tralaticiis quibusque harum legum exemplis utare, sed in lectionis fontes et auctoritates inquiras. Vt primum M litterae exemplum repppererim C · CAECILIVS · Q · F · METELLVS · IMP in Vrsiniana anni 641 Fam. R. p. 37 (Grut. p. 377, 6 [C. I. L. I *elog.* XII; VI, 1 n. 1273]), proximum Q · CAICILIO · C · F · METELLO · IMPERATORI in titulo Apiani p. 494, 4 [C. I. L. I n. 595; P. L. M. E. tab. LXX *A*], quem anno 663 vere Borghesius tribuit a Cavedonio commemoratus in Diar. Inst. a. 1846 p. 186. Quo accedunt ex Orellianis n. 582 [I. N. n. 4986] et, si non est ficticia, n. 584 [I. N. n. 320 *] *C. Iulius Caesar* IMP ·, ex Orelliana n. 574 [C. I. L. I n. 615; P. L. M. E. tab. LXXXVI *C*] ineuntis saeculi octavi *Pompeius* IMP ·, item IMPERIO ex lege Rubria et fortasse alia finitima: unde ultimis demum liberae reipublicae temporibus frequentari coeptam esse IMP.

monumenti quod significavi de tit. Mumm. p. VI et Musei Rhen. t. VIII p. 459 (supra p. 76), id nolim ita accipi ut, si e litteratura et sermone iudicium fiat, non concedam posse illud aliquot annis recentius esse aere Genuensi (a. 637).' C. W.]

scripturam intellegitur h. e. ferme centenario post L. Mummium annorum spatio. Nec conferri COMPROMESISE COMPOSEIVERVNT COMPERIETVR et cognata possunt, cum antiquior COM quam CON forma fuerit: ut propemodum propiora inter se CON et IM quam IN et CON sint, multoque rectius cum IMP · illud comparetur quod in Scto de Bac. et COMVOVISE et COVENTIONID scriptum est, pro *numquam* VII autem et *tantumdem* NVNQVAM in Scipionum titulo recentissimo, TANTVNDEM in lege agraria.

Contra haec omnia unam tantum lapis Vaticanus certam notam aetatis Mummianae ostendit, omissam in SIGNV v. 8 *m* litteram finalem, quamquam ibidem est AEDEM. Quam detractionem, perfrequentem sane in antiquissimis quae exstant monumentis, sed constantem ne in his quidem, non invenio ultra septimi saeculi prima decennia progressam. Nam CORNELIO et OINO et DVONORO OPTVMO et CORSICA ALERIAQVE VRBE et AEDE, sed simul LVCIOM SCIPIONE habes in L. Cornelii, Barbati f. sepulcro: TAVRASIA CISAVNA SAMNIO, sed OMNE LOVCANAM in ipsius Barbati: AETOLIA in anni 565 Tusculana Or. n. 562 [C. I. L. I n. 534; P. L. M. E. tab. XLVII *E*= LXIX *E*]: contra magna diligentia additum *m* in SC. de Bacanalibus ubique: rursus autem circa a. 580 in titulo P. Scipionis flaminis semel neglectum in GREMIV, saepius additum in APICEM GLORIAM MAIORVM PROGNATVM: item promiscue in L. Scipionis quaestoris titulo paullo post a. 588 REGEM ANTIOCO: postremo circa a. 615 in titulo L. Scipionis, Hispani praetoris f., MAGNA SAPIENTIA, sed simul et SAXSVM*) et NVNQVAM. Post haec autem plena scriptura perstitit: soli enim sculptoris errori tribuendum esse quod in lege agraria EXTRA · VRBEM · ROMA et SENTENTIA · DEICITO et PEQVNIA · SCRIPTVRAM · VECTIGALVE exstat, hinc intellegitur quod contrario vitii genere in eandem irrepsere IN · VRBEM · OPPIDO · VICO et EA · POSSESIONEM et PROPIOREM · DIE: similiter atque in legem Puteolanam semel EXTRA · PARIETE, item semel AD · EAM · AEDE in

*) [Cf. Mon. epigr. tr. (infra n. V) p. 16. C. W.]

dedicationis legem vici Furfentis (Or. 2488 [C. I. L. I n. 603; P. L. M. E. tab. LXXXII]) quantumvis a sermonis antiquitate notabilem. Nec huc pertinet, quod plebeiae consuetudinis ea mutilatio quavis aetate fuit: quod genus dedita opera olim tractabimus.

De verbis et litteris satis dixero*), ubi uno verbo de figura L litterae monuero ad antiquitatis usum prope accedente eo quod, etsi non est prorsus acuta, tamen ne rectum quidem angulum habet, sed mediam speciem quandam: cuius rationis aliqua similitudo etiam ad E litteram pertinuit. Idque hoc memorabilius est, quod, cum pristinam figuram solam tres Scipionum tituli antiquissimi servent, utrumque genus iam quartus miscuit in ipso sarcophago Barbati.**)

---

*) [Conferas tamen quae scripsit Ritschelius P. L. M. E. Enarr. p. 45: 'In singulis (praeter ea de quibus olim dixi explicatius) non mirer si quis DVELLO potius exspectaverit quam BELLO, valde autem singularem breviandi modum offendat in DVCT et CAPT. Praeterea in DVCT antiquissimum exemplum habes supra versum productae T litterae, cuius mentionem inieci Musei Rhen. t. XIV p. 486 sq. ⟨infra n. XIV⟩, alia exempla repraesentavi tab. LXX *G*. LXXVIII *G H*. LXXIX *B*. LXXXVIII *A B D*. LXXXIX *J*. XC *G*. XCII *A*. XCIII *F*.' C. W.]

**) [Alia disputantem vide Ritschelium Musei Rhen. t. IX p. 1 adn. * (infra n. VII); adi praeterea eundem P. L. M. E. Enarr. p. 45, ubi haec sunt: 'Ne cui fraudem L litterae figura faciat, speciem illa obliquitatis haud sane ambigue prae se ferens, sciendum est hic quidem prorsus fallacem eam speciem propterea esse quod simillimam lapidarius etiam E litteram finxit constantissime: non alia id quidem caussa nisi arbitratu suo, cum illic simile atque in L discrimen antiquitas nullum noverit. Eandem autem ratiocinationem recordandum erit in lapides quosdam alios cadere, velut in tab. LIII *B*, item tab. LXXXI, item tab. LXXXIX *A*. Quamquam etiam omissa E litterae comparatione aliquid in hoc genere soli casui tribuendum esse tales tituli (quamquam numero pauci) documento sunt quales habes tab. LXIX *B*. LXX *A*. LXXII *A*. LXXVI *B*. LXXXV *D*. XCIII *A*. Quid, quod in pagi scito Herculaneo tab. LXV dumtaxat bis v. 9 et 10 tam certam vetustatis notam oculis intueris ut de lapsu scalpri prorsus nequeas non cogitare. Aereas tabulas in hac caussa omnes mitto, ut in quibus singularis incidendi difficultas normam usitatam litterarum plurimarum plurimis exemplis destituat. Verum e lapideis monumentis non mihi tempero quin maxime memorabile hic adponam, quod est fastorum triumphalium fragmentum ad annos 727. 732 pertinens, editum a Marinio in Actis fratr. Arval.

In ipsis rebus unum est quod commentandi operam nostram poscat. Etenim permirum est, cum de Herculis atque adeo de Herculis Victoris in urbe Roma templis multum a multis quaesitum sit, a nemine tamen huic quaestioni superstitem L. Mummii titulum adhibitum esse, nec a Beckero Enchirid. antiquit. R. I p. 469 sq. 475 sqq. nec ab eius adversario Vrlice p. 90 sq. nec in Beckeri responso p. 60 sq. Nolo singillatim persequi quae mihi ab his aut recte disputata aut secus videantur, sed paucis quid de rei summa ipse sentiam significare. Ac duo tantum Herculis templa in foro boario adque circum maximum et portam trigeminam fuisse prorsus negandum esse contra Vrlicem video: ad Herculem autem Victorem pertinuisse aram maximam circo adiacentem non magis Beckero concedo quam cum templo eam aram coniunctam fuisse. Non potuit, si templum habuit, de *sacello* tantum Herculis Solinus I, 10 loqui: nec templum Tacitus Ann. XV, 41 dixit, sed *magnam aram fanumque quae praesenti Herculi Arcas Euander sacraverat.* Nec is deus *Victor* umquam appellatus est, sed *Triumphalis* Hercules Plinio auctore N. H. XXXIV, 7, 16, quod differt ab illo. Victoris autem Herculis *duas Romae aedes* fuisse, *unam ad portam trigeminam, alteram in foro boario,* planissimo testimonio Macrobius VIII
Sat. III, 6 confirmat, harum alteram a M. Octavio Herennio quodam conditam esse addens Masurii Sabini auctoritate. E quo efficitur alteram non aliam atque eam esse quam devicta Achaia L. Mummius imperator atque triumphator deo sacravit: quam sane foro boario, non portae trigeminae eo probabilius tribues, quo celebrior apud scriptores est Herculis in foro boario aedis. Quodsi in eodem foro boario Herculis aedis FAMILIANA (sic enim proditum est) prope Pudicitiae sacellum collocatur a Festo p. 242, 32, quam *rotundam* Livius X, 23 appellat, aut haec Herculis Victoris non fuit et tertia accedit praeter arae maximae sacellum praeterque Pompei Magni aedem apud circum maximum semel a Plinio XXXIV, 8, 57 commemoratam: atque ita locum habet pulcher-

---

p. 607 sub III e lapide bybliothecae Barberinae, aeri incisum in Piranesii Fastis Capitolinis p. 46.' C. W.]

rima Scaligeri emendatio AIMILIANA reponentis: aut, si forte incredibile non sit FAMILIANA e MVMMIANA corruptum esse, Herculis Victoris in foro boario conditam a L. Mummio aedem intellegatur rotundam fuisse. Nam certius quicquam cum aliqua confidentia definiri posse nego.

Signum autem Herculis a Mummio dedicatum ex eis artis operibus fuisse quae Corintho ille abstulisset, res ipsa loquitur. Quibus eum non urbem tantum ornasse sed circumiacentia quoque oppida et Strabo testis est VIII p. 381: cχεδὸν δέ τι καὶ τῶν ἄλλων ἀναθημάτων τῶν ἐν Ῥώμῃ τὰ πλεῖcτα καὶ ἄριcτα ἐντεῦθεν ἀφῖχθαι· τινὰ δὲ καὶ αἱ κύκλῳ τῆc Ῥώμηc πόλειc ἔcχον, et in Sabinis reperta monumenta quaedam documento sunt. Quo et Reatinum epigramma pertinere videtur de quo mox dicetur, et in duabus statuarum basibus*) Trebulae Mutuescae effossis iterata haec inscriptio:

L · MVMMIVS · COS
V I C O

apud Fabrettum V, 293 p. 400 et Orellium n. 574 [C. I. L. I n. 543]. Huc accedit in agro Nursino repertum simile 'fragmentum' apud Muratorium p. 288, 1 [C. I. L. I n. 544]:

L · M V $\overline{\text{M}}$ I V S
COS · DED N

h. e. interprete Mommseno DED*it* N*ursinis*: quod sane in gravem fraudis suspicionem veniret, nisi superimposita lineola posset ab Hyacintho Mannio Icto Romano adiecta esse, a quo sibi missam inscriptionem Muratorius accepit. Sed non solius tamen viciniae finibus L. Mummium munificentiam

---

*) *Super* his basibus Fabrettus *bina* inquit *signa elaboratissimae industriae stetisse observavi, iam humi iacentia; quae olim graecorum quorundam heroum imagines prae se tulisse puto, ut scalpturae elegantia et paludamenta non Romano more super dextrum humerum, sed Graecanico super sinistrum fibula comprehensa demonstrant. Vtramque statuam, laceram quamvis, brachiis et cruribus abscissis et capite deperdito, Io. Baptista Michaelius Sanctae Victoriae Trebulanae Martyris Abbas mihique longa amicitia coniunctissimus Eminentissimo D. Cardinali Carpineo dono dedit Romamque advehi curavit, quarum altera modo M. Aurelii Pii F., altera P. Septimii Severi personas gerunt.* Ascripsi Fabretti verba ut, hae statuae num forte superstites sint, quaerant si velint archaeologi.

suam circumscripsisse, quo ducere Strabonis verba facile videantur, nec exaggeratum esse quod Cicero de officiis II, 22, 76 dixit *Italiam ornasse* de praeda Corinthia, et *urbem Italiamque omnem refersisse* in Corneliana, Oratoris 70, 232, et *totam replesse Italiam* Aurelius Victor de viris ill. 60, et Frontinus Strat. IV, 3 *non Italiam solum sed etiam prouinciam* (immo *prouincias*) *tabulis statuisque exornasse*, id quidem haud paullum fidei ex inscriptione Parmae reperta inuenit, publicata a Michaele Lopez in Diar. Inst. a. 1844 p. 174*): IX

L · MVMMIVS
COS · P · P

h. e. interprete Raimundo Guarinio in eodem Diario a. 1845 p. 48 *L. Mummius Cos. pop*[*ulo*] *Parmens*[*i*].

Sed levia haec sunt monumenta omnia prae Reatino sex hexametris concluso, quod Muratorium potissimum secutus post plurimos sic Orellius n. 1862 repetiit**):

SANCTE
DE DECVMA VICTOR TIBEI LVCIVS MVMIVS DONVM
MORIBVS ANTIQVEIS PRO VSVRA HOC DARE SE SE
VISVM ANIMO SVO PERFECIT. TVA PACE ROGANS TE
COGENDEI AC DISSOLVENDEI TV VT FACILIA FAXSEIS
PERFICIAS DECVMAM VT FACIAT VERAE RATIONIS
PROQVE HOC ATQVE ALIEIS DONIS DES DIGNA MERENTI.

*) [Nunc repraesentata in P. L. M. E. tab. LIV *D*; edita in C. I. L. I n. 545. Cf. Musei Rhen. t. XIV (infra n. XIV) p. 288 sq. et Enarr. p. 48: 'Parmensem cum nondum mihi visum L. Mummio Achaico tribuissem de tit. Mumm. p. IX duce Guarinio, eundem Borghesio duce longe alio spectare Henzenus me edocuit Orell. t. III, 5349: de quo iam Mus. Rhen. l. s. s. confessus sum.' C. W.]

**) [Vide nunc C. I. L. I n. 542; ceterum conferas quae de hoc titulo disputavit Ritschelius Musei Rhen. t. VIII p. 491 adn. et XIV p. 398 adn. [= Opusc. II p. 638 adn. et ibid. p. 639 adn.] et P. L. M. E. Enarr. p. 43, ubi haec scripsit: 'Quorum (hexametrorum qui scripti fuerunt in tabula votiva L. Mummii Achaici Reatini) nunc hanc speciem commendo:

Dé decumá uictór tibei Lúcius Múmius dónum
Móribus ántiqueís pro usúra hoc, [*quód*] dare sése
Vísum animó suo, pérfecít: tua[*m*] páce[*m*] rogáns te
Cógendeí dissóluendeí, tu ut fácilia fáxseis,
Pérficiás decumam út faciát ueraé ratiónis,
Próque hoc átque alieís donís des dígna merénti.

Ante quem hi ediderant: omnium primus Petrus Marsus anno 1483 in commentario Silii Italici ad l. VIII, 332, Amantius et Apianus Inscr. p. 143 a. 1534, Aldus Manutius Pauli f. in Quaesitis per epistolas p. 111 a. 1576 [iteratus in Sallengeri Thes. I p. 776] idemque a. 1581 in commentario ad Cic. de officiis p. 104, Fulvius Vrsinus Famil. Rom. p. 289 sq. a. 1577, Georgius Fabricius in Antiquitatum editione Basileensi anni 1587 p. 161, Iustus Lipsius Auctarii ad Smetii inscr. p. 32 a. 1588, Iosephus Scaliger in Catalectis p. 222 ed. Lindenbr., Petrus Pithoeus Epigrammatum p. 4 et iterum p. 615 ed. Lugdun., Iacobus Boissardus Antiq. Rom. t. V p. 75, Ianus Gruterus p. 96, 7, Pompeius Angelottus in Descriptione urbis Reate a. 1635 edita, latine conversa ab Havercampio in Graevii Burmannique Thesauro antiq. et hist. Ital. t. VIII part. III p. 43, Io. Bapt. Ferretius Mus. lapidar. p. 36, L. A. Muratorius p. 96, 1, Petrus Burmannus Anthologiae I, 34 p. 17, [quibus post Orellium accessere] Ludovicus Schenardius in '*Antiche lapidi Reatine, Rieti 1829*' p. 7, Meyerus Anthol. lat. n. 591. Ex his editoribus et Vrsinus olim et nuper Schenardius expressit Aldum, Vrsinum Lipsius, Lipsium Pithoeus posteriore loco, Apianum Fabricius, Scaligerum Pithoeus priore loco, Burmannus et turpissimo instituto Boissardus, Apianum et Vrsinum praeter futtilissimas schedas Gruterus, partim Boissardum partim Gruterum Ferretius. Ipsi autem inscriptionem viderunt Pomponius Laetus, cui Marsus et Apianus acceptam referunt: Marianus Victorius episcopus Reatinus, mortuus a. 1572, edito Hieronymo spectatus, in cuius commentario ms. '*de ant. Reat.*' Mommsenus Romae indagavit: Aldus Manutius ut videtur, nisi is forte exemplum ab alio exscriptum habuit: Pompeius Angelottus Ictus Romanus, sed natus Reate: Laurentius Matthaeus Reatinus, natus a. 1622, mortuus a. 1705, in cuius libro ms. '*la*

Vbi duce communi consuetudine, qua ne Ennius quidem se abstinuit, in unam syllabam coartatae v. 5 SVO et TVA*m* formae (nihil ut de dactylico FACILIA vocabulo dicam) prorsus conferendae sunt cum SOVEIS monosyllabo, de quo Mon. epigr. tr. p. 35 explicavi: quod genus etiam ad elegiacos versus tituli Corneliani (tab. XLII *L*) pertinuit, ubi pari mensura positum MIEIS · MORIBVS habes.' C. W.]

patria vendicata dall' ingiurie del tempo' repperit Schenardius, nihil tamen inde expromens: quibus testis oculatus sextus merito is accedit, unde in Pighiana collectanea transiit.*) Schedis praeterea mss., in quibus exstabat, Gruterus usus est et Pighianis et, de quibus nuper Mommsenus exposuit Act. societ. Saxon. a. 1850 p. 294, Metellanis cardinalis Carpensis: Ambrosianis Muratorius, sed cui praeterea cum 'aliorum complurium' schedae tum exemplum ab Antonio Antinorio cive Aquilano transmissum praesto fuerint: et Pighianis et e Moroni codice ductis Heinsianis Burmannus. Praetermissis igitur quorum nullus usus, reliquorum discrepantem ab Orelliano exemplo scripturam infra posui una cum Stephani Pighii lectione integra e Leidensibus codicibus n. 151 et 152 (qui x
non differunt inter se) meum in usum excerpta Eugenii Mehleri beneficio, e Berolinensi quodam (non eo quem bibliotheca Regia servat) in Mommseni usum ab Iulio Friedlaendero.

1 SANCTE Vict. Ald. Ang. Mur. '. . . . . SANCTE' (non SANTE) Pigh. SANCTO FIDIO SENI PATRI Api. SANCO SEMIPATRI Boiss. cum Scal. SANCO. FIDIO. SEMOPATRI Grut. Prorsus om. Mars. 2 TIBIEI Api. *tibi* Vict., Boiss. cum Scal.

LVCIV Boiss. cum Scal. MVNIVS Api. Ald. Mur. Pigh. MVINVS Ang. *Mamius*, sed sup. scr. *Munius*, Vict. *mūmius* Mars. MVMMIV Boiss. cum Scal. MVMIVS Grut. *Murius* Heins., 'alii' apud Mur. DOMI Heins. DONVM. DAT Ald. posteriore loco solo

3 *antiquis* Vict. PRO VSVRA HAC Ang. HOC PRO VSVRA Boiss. cum Scal. SESE (pro SE SE) Vict. Ald. Ang. Pigh., Boiss. cum Scal. SEMPER Grut. 4 IVSSVM Api. SVO] SO Boiss. cum Scal. TVA. PACE] SA PACE Boiss. cum Scal. TVA. OPE Grut. ROGA NTE Boiss. (non Pigh.)

5 COGENDEI DISSOLVENDEI Vict. Ald. Grut. Ang. Pigh. *Cogendi dissoluendei* Heins. (non Pigh.) COLENDEI DISSOLVENDEI Api. *cogenda dissoluendei* Mars. *Cogendo dissoluendei* Scal.: COGENDO DISSO$\overset{L}{V}$ENDEI Boiss. COGENDEI. AC. DISSOLVENDEI Mur. TV VT FACILIA cum ceteris etiam Vict. Pigh. Heins. VT FELICIA Boiss. cum Scal. FAXEIS Mars. Vict. Ang. Pigh. FAXIS Boiss. cum Scal. 6 PERFICIASQ. Grut. 7 PROQ. Api. Pigh. *propter* Mars. Scal. PROPTET (non PROPE ET) Boiss.

---

*) [Aliter postea Ritschelius indicavit, cum omnem huius tituli notitiam inniti unico exemplo Musei Rhen. t. XIVI. s. s. scripsit. C. W.]

ACQVE Ald. ADQVE Grut. ALIAIS Api. *aliis* Vict. *doneis* Mars. Scal. Boiss. DIGNA] *cuncia* Mars. Scal. Boiss. SIGNA 'aliae schedae' Mur. ROGANTI Boiss. cum Scal.

Vides ab unius Marsi lectione Scaligerum profectum emendandi libertate ea usum esse, qua potuit qui non inscriptiones ederet sed colligeret poemata. Sed hunc quod ita Boissardus secutus est quasi ipsius lapidis speciem imitaretur, pessimae fidei exemplum indignissimum edidit. Quem etiam luculentius doli mali hoc convincit, quod Reatino titulo in eadem tabula tamquam in marmore exstans inlustre illud epigramma Ardeatinum sociavit a Plinio proditum (ad cuius emendationem felicissimam nuperrime Carolum Lachmannum et Theodorum Bergkium mira religione 'Ερμῆς εὐλόγως ξυνήγαγεν): pari illud quidem fraude atque qua ex Plinianis et Gellianis verbis tituli conficti sunt Gruterianus p. 377, 4 et Reinesianus VI, 106. Ac longius progressus in fallendo Boissardus *In hortis Iulii III Pont Max* supra scripsit: nam Iulius III cum pontifex maximus ab anno 1550 ad 1555 fuerit, planissime mendacium eo arguitur quod in ipsa urbe Reate superstes saeculo XVII monumentum non Angelottus tantum vidit, qui '*uisitur* inquit *etiam antiquus lapis in Monte Pietatis*', sed idem etiam Laurentii Matthaei aetate exstabat teste Schenardio, qui ipse '*ora* ait *invano si desidera sì bel monumento d'antichità perito fra le mani d'ignorante scalpellino*'. Quamquam ubi tandem exstiterit, non prorsus constans memoria est. Nam Marsus quidem, de triplici Sabinorum, Reatinorum potissimum, dei cognomine *Sanctus* (vel *Sancus* potius) *Fidius* et *Semipater* (vel *Semo pater*) agens duce Ovidio Fast. VI, 213 '*Reate* inquit *in porticu cuiusdam templi in lapide marmoreo de eodem deo sic tale est inscriptum epigramma: quod Pomponius praeceptor meus antiquitatis studiosissimus et latinarum litterarum vel maximum decus atque delitiae Romam attulit: interfuitque cum illud marmor effoderetur.*' A quo non discrepat Apianus: '*Reatae in porticu diuae uirginis sedis Pontificalis Quod repertum a patre Pomponio primum lectum est et explanatum.*' Manutius autem [de condita ab Herculis comite Reatina urbe verba faciens] *id confirmat* inquit *uetus inscriptio quae est in templo D. Mariae* [sequitur Gru-

teriana p. 315, 6] *et hi versus qui sunt in eiusdem urbis foro.'* Atque foro etiam Marianus Victorius tribuit sic referens accurato testimonio: *'cernitur ad hoc usque aeui Reate pontificio in foro, quod a delubro D. Mariae nuncupatur, ambobus* XI *semicirculis cum primum superiorum incuria diuisi essent aetate nostra iterum in unum compositis. leguntur hac quoque tempestate nostra in eo sex carmina prisco ac obsoleto scribendi more.'* Rursus pari atque ex parte adeo maiore diligentia in Pighianis schedis sic narratur: *'prope Quintilianum uiculum non procul a Reate mediis campis murus uetustus conspicitur, fornicibus et cryptis superstructus in quo loco uas marmoreum dicitur inuentum quod exstat ante fores càthedralis ecclesiae; insculptae sunt figurae uarii habitus choreas ducentes scalamque quandam conscendentes. quidam illic mulieris habitu clauam manu tenens sed uix, prae nimia uetustate attritus, agnoscitur, Hercules putatur cui decuma bonorum omnium uouebatur.'* A qua memoria in quibus persimilis Gruteri descriptio differt, ea pariter deberi Metelli schedis necesse est atque verborum scripturam ab Apiano, Vrsino, Boissardo non acceptam. Est autem illa haec: *'Reate ante fores summi templi, in capite pilae marmoreae, quae plena est uirorum uarii habitus choreas ducentium et ascendere conantium. quidam interim illic mulicbri uestitu manu clauam tenet.'* *)

Qualis autem cumque haec discrepantia est, tantum ex perscriptis adhuc testimoniis satis apparere puto, fide prorsus destitui praemissa apud Apianum nomina SANCTO FIDIO SENI PATRI, paullulum deinceps immutata ab aliis,

*) Non autem ad hoc monumentum, sed ad Reatinum titulum Gruteri p. 96, 8 nullo intervallo ante commemoratum Muratorii verba spectant: *'Neque omittendum exhiberi ab eodem Pyrrho Ligorio basim huius inscriptionis, in qua uisitur ordo hominum sacrificantium, octo Musae circumstant. Hercules muliebri habitu chorum nouenarium implet, ita ut Hercules Musagetes uideatur.'* Atque *'in ms. Ligor.'* invenerat eundem titulum, qui [SANCO DEO] PATRI REATINO factus est, etiam Gudius teste Grutero. Nec a *'uase marmoreo'* vel *'pila marmorea'* non differt *'basis'*. Quamquam fatendum est in Musarum cum Hercule Musageta chorum (sed sine sacrificantium ordine) non disconvenire Pighianam descriptionem. Quale monumentum num forte hodie exstet, non inutiliter quaerere archaeologi poterunt.

primum quidem in haec SANCTO FIDIO SABI PATRI a Fabricio. Quae e sola Pomponii *explanatione* manasse certum est, partim Ovidianis versibus superstructa, partim eis inscriptionibus in quibus illius dei Reatini reapse mentio fieret, ut apud Gruterum p. 96, 5, quae emendatior exstat in Descriptione urbis Romae III, 3 p. 565 [C. I. L. VI, 1 n. 567], SIMONI · SANGO · DEO · FIDIO, et p. 96, 6 [C. I. L. VI, 1 n. 568] SANCTO · SANCO · SEMONI · DEO · FIDIO: nam Gruterianae p. 96, 8 SANCO · DEO nomina a Ligorio demum afficta esse etiam Mommsenus auctor est Stud. Osc. append. p. 57, Aquilanam autem SABO · SEMONI · PATRI exhibentem subditiciam esse idem intellexit de dial. Ital. p. 357 [I. N. n. 897*]. Nihil nisi · unum SANCTE nomen in Reatino lapide Victorius, Aldus, Angelottus legerunt, lectum invenit Muratorius: quibus omnibus diligentior is, cui sua Pighius debet, tale initium pinxit:

////////////////// SANCTE
DE DECVMA VICTOR TIBEI LVCIVS MVNIVS DONVM

quo significavit certe, quod testari Pighium Gruterus dicit, *litteras attritas in fronte.* Eo autem in loco quod olim exstitisse putemus, in promptu est simplicissimum omnium

HERCVLES · SANCTE

nam non esse priscae aetatis *Hercule* formam, quam Maffei titulus exhibet Mus. Veron. p. 248, 9 [C. I. L. III, 1 n. 1563]:

HERCVLE
TIBI
V · S

xii significavi Proleg. in Plauti Trin. p. LXXXVII sq. Crebrum autem praemissi vocativi usum ipsi Herculi dedicati tituli monstrant, ut in epigrammate Viscontii supra tractato, et senariis versibus apud Orellium n. 1534 [C. I. L. VI, 1 n. 319):

Argíue uictor Hércules, donum hóc tibi
Vrbánus praetor Véldumnimius Iúnius:

elegiacisque n. 1533 [C. I. L. VI, 1 n. 316]:

Alcides, sacri generis decus, hoc tibi praetor
Et Iouis antistes dedico perpetuus:

et apud Gruterum p. 42, 7 his, correctis in Burmanni Anth. I p. 720: Alcides, hominum uictor domitorque fera-

rum e. q. s. Nec infrequens eiusdem Herculis potissimum cognomentum SANCTVS, ut Grut. p. 46, 7. 49, 1 (C. I. Gr. III p. 814), Gud. p. 34, 6, Mur. p. 1084, 4. 1983, 4.

Quodsi item locupletissimos auctores MVNIVS nomen, non MVMIVS, habet, tamen in hoc valde dubitari posse sentio, num forte illos oculi vel potius temporum iniuria corrosus lapis oculos fefellerit, quo effectum est ut aliis MVRIVS, MAMIVS aliis, plerisque MVNIVS apparere videretur: pro quo MVINVS apud Angelottum positum nescio an operarum vitio debeatur. Non desunt quidem sive *Munii* sive *Munnii* vel in lapidibus vel apud scriptores, Tacitum saltem Hist. IV, 18 sqq., quamquam ne hi quidem antiquioris aetatis sunt: sed magistratum qui e Munia gente obtinuerit, novimus neminem. Iam fatendum est sane in privatum hominem minime incongruens omne argumentum huius carminis esse, mercatorem potissimum quales Vertuleios novimus in titulo Sorano, qui re bene gesta decumam Herculi profanatam *pro usura* daret, ab eodemque precaretur ut pecuniae e mercibus venditis conficiendae recteque denumerandae facultatem sibi faceret, simulque, ne quid forte detrimenti e decumae dimensione ipse caperet, iustam quaestus distributionem divino numine adiuvaret. Nam hanc vim esse *cogendi dissoluendi* verborum, satis multitudo exemplorum docet a Ruhnkenio in Ter. Heaut. I, 1, 94 Ernestioque in Clavi Cicer. congestorum: *facultatem* autem *facere*, pro quo antique dictum est *facilia facere*, ipse Cicero iunxit in Verrem II, 73, 179.*) Sed de tali tamen Lucio Munio mercatore quominus cogitemus, unum si quid video impedit *uictor* nomen: quod, praesertim sic simpliciter positum, a privati lucri notione prorsus exclusit veterum consuetudo. Quodsi quis hanc viam patere animum inducat, ut non cum *L. Munius* nominibus iungatur *uictor*, sed pro vocativo sit ad ipsum deum relato, hoc non una, sed triplici difficultate laborat. Nam primum parum commode duos vocativos praemitti insequentibus versibus, tertium his ipsis misceri apparet, pro quo exspectabas potius SANCTE

*) [Quae hic disputata sunt retractavit Ritschelius in Musei Rhen. t. VIII p. 491 adn. et t. XIV p. 398 sq. = Opusc. II p. 638 sq. adn. C. W.]

HERCVLES VICTOR supra scriptum. Deinde nihil caussae fuit cur non mercatorum patrono Herculi simpliciter, sed Victori potissimum Herculi grates persolverentur ad commercium et negotiationem solam pertinentes: nam dispar est M. Octavii Herennii mercatoris apud Macrobium ratio, qui Herculi Victori aedem et signum propterea sacrasse dicitur, quod *a praedonibus circumventus fortissime repugnavit et victor recessit Herculis opera.* Postremo ne fuere quidem in urbe Reate Victoris Herculis sacra, quantum ex inscriptionibus Reatinis intellegitur vel PATREM REATINVM testantibus ut Gruteriana p. 96, 8 (quae in Manutii Orthographia anni
XIII 1566 frustra quaeritur) coll. cum Angelott. p. 43, Fabrett. p. 30, Schenard. p. 1, vel HERCVLEM simpliciter ut Grut. p. 315, 6 coll. cum Manut. Quaes. per ep. p. 110, Angel. p. 44, Schenard. p. 82 sq., vel IOVI MINERVAE FORTVNAE sociatum Schenardiana p. 12. Quae cum ita sint, aut fallunt omnia aut belli ducem et imperatorem addita VICTOR vox intellegi iubet, qualis nullus umquam Munius fuit: quamquam de nescio qua Parthica victoria Lucii Munii Angelottus somniat. Hinc igitur est quod e Pomponii ut apparet coniectura *lucius mūmius* Marsus prodidit, LVCIVS MVMIVS in Metelli ut videtur schedis Gruterus repperit: quo prope accedit *Mamius* una cum *Munius* a Victorio prolatum e lapide. Nam quam proclivi errore, si quando in antiquissima illa scriptura dexterum femur M litterae evanuerit, M pro N habeatur, in propatulo est. Quamquam etiam contrarium accidit, velut, nisi fallor animi, in nobilissimo epigrammate L. Cornelii Scipionis Cn. f. Cn. n. haudquaquam dum persanato.*) Cuius extremus versiculus cum talis esse tradatur: NE · QVAIRATIS · HONORE || QVEI · MINVS · SIT · MAND adeso in quattuor litterarum ultimarum sede marmore, nondum vidi qui ex illo MAND*atus* (sic enim supplerunt omnes) ullo modo probabilem vel structuram vel sententiam efficeret.

*) [Nunc edito C. I. L. I n. 34; VI, I n. 1289 et P. L. M. E. tab. XLI *K*. Ceterum conferas quae de hoc epigrammate disputavit Ritschelius in Musei Rhen. t. XIV (infra n. XIV) p. 405 adn. et in prooemio ind. schol. aestiv. Bonn. 1860, cuius argumentum repetitum est in P. L. M. E. Enarr. p. 34 sq. C. W.]

Quapropter mihi aliud delitescere in illis litterarum reliquiis visum est, hoc quidem NANC: quo eximiam concinnitatem sententiae nanciscimur:

Ne quaíratís, honóre(*s*) - queí minús sit nán*ctus*

h. e. quomodo factum sit ut honores minus nancisceretur: quippe qui XX annos natus mortem obierit. Arguta enim oppositio haec fit: qui sine honoribus vixit, non caruit honore: id enim ipsum, honorem ei non defuisse, superioribus versibus dictum erat, qui non aliter atque sic accipiendi sunt:

Quoieí uitá defécit, - nón honós, honóre

Is híc sitús: quei núnquam - uíctus ést uirtútei

(eam enim mensuram olim defendemus). Quem qui versus item lacer excipit ANNOS · GNATVS · XX · IS || L......... DATVS, eum pravissimis supplementis tentarunt *Lausis est man*DATVS vel *Laudibus est man*DATVS: quibus longe felicior Ludovicus Lanzius *Terreis est man*DATVS commendans ad ipsam tamen veritatem non penetravit. Nam EIS sane litterarum superiorem partem in lapide religiose meis precibus examinato superstitem esse Henricus Brunnius meus locuples testis est cum Henzeno, sed duarum tantum litterarum intervallo a prima littera distantem: hanc autem ipsam nullo modo vel T vel E fuisse, L mutilam posse esse: a qua tamen ullum huc conveniens vocabulum incipere nego. Vna sola ex omnibus littera restat quae praeter L in Piranesi exemplum prorsus quadret, quae est D, non qualis in POSIDET exarata est, sed qualis in DEFECIT et DATVS. Qua ascita suis ut puto numeris absolutum supplementum hoc prodit DITEIST MANDATVS:

Annós gnatús uigínti - ís Diteíst mandátus

Prorsus ut Nunc data sum Diti longum mansura per aevum dictum est in distichis Beneventani lapidis a Mommseno publicatis in Diar. Inst. a. 1847 p. 24 et Gerhardi Diar. archaeol. a. 1846 p. 334 [I. N. n. 1623].

Ad L. Mummium ut redeam, etsi concedendum est parum dignos illius liberalitate dedicationisque opportunitate versiculos esse, tamen quoniam simili nomine alius *victor* nullus in promptu est, sic esse statuendum videtur, ut ad praedae bellicae commode divendendae cogitationem *cogendi dissol-*

XIV *uendi*que verba referantur, decumae autem (cuius parte tantum aliqua hoc donum parabatur) ad *ueram rationem* plenamque mensuram exigendae auxilium divinum eo imploretur, quod summae religioni haberetur aliqua voti parte deum vel inconsulto fraudari. Nec scitur quam vel liberalis ingenio et artibus politus vel expers elegantiae fuerit, cui componendi epigrammatis negotium mandaretur. Quamquam tam ille rudis et paene dixerim cerritus esse non potuit ut, cum in reliquis satis bene opera ei processerit, haec tamen inter se construeret: *Mummius hoc donum se dare suo animo uisum est*, quomodo numquam quisquam mortalium locutus est. Ac vitii monet ipse alter versus, cui aut ad plenam mensuram una syllaba deest aut foedissimus hiatus insidet. Quo sic transpositis verbis *hoc pro usura* remoto et indulsit sibi Scaliger quod in hoc genere minime licet, nec magis consuluit syntaxi. Quapropter non esse dubium puto, quin quadratarii imprudentia aliquid exciderit. Quod si qui forte tale fuisse coniecerit: *De decuma uictor tibei Lucius Mumius donum Moribus antiqueis pro usura hoc* u o l t *dare sese. Visum animo suo perfecit:* ut excusare possit *uolt* pro *uoluit* positum, tamen tertio versu subiecerit quod quam maxime frigeat et prorsus supervacaneum sit ad sententiam. Vide igitur num probabilius et numeros et constructionem Mummiani poetae sic redipiscamur: D e d e c u m a u i c t o r t i b e i L u c i u s M u m i u s d o n u m M o r i b u s a n t i q u e i s p r o u s u r a h o c, *quod* d a r e s e s e V i s u m a n i m o s u o, p e r f e c i t.

Summae autem offensioni praevideo versu quarto *tu ut facilia* fore. Pro quibus a Scaligero eleganter reposita *ut felicia* verba quantumvis ad intellegendum expedita sint, tamen illa potius reapse exstitisse in monumento tot testibus credendum est. Quae si duplici ratione defendi posse dixero, ut fidem aegre inveniam, inveniam tamen ut spero: quamquam utra ratio praestet, non definiam. Aut enim syncopam patitur *facilia* et *faclia* pronuntiatum est: quod nolo temere dicere videri eorum exemplo qui vel sibi vel bonis scriptoribus nihil licentiae non licitum putare solent, sed cum certorum exemplorum comparatione tum ita ut et e plebeia consuetudine repetam et prisco tantum aevo tribuam facilem

hexametrorum usum nondum habenti. Nec enim obliviscendum est antiquissimum hoc esse in monumentis versuum heroicorum exemplum: quando elegiacos in Cn. Scipionis Hispani sepulcro versus omnia suadent ut aliquanto post factos esse existimemus. Igitur etsi exemplis a Schneidero gramm. lat. I p. 170 sqq. et nuper a Lachmanno in Lucret. p. 412 congestis alia eaque ex parte valde singularia addi ex inscriptionibus possunt, ut TABLEIS TABLARIA AEDICLAM SANDLARIVS IVGRA et apud Mommsenum de dial. Ital. p. 282. 362 NVMSIVS OFDIVS, vel adeo e vulgari linguae consuetudine, ut *Manlius* ex *Manilius* ortum, quamvis fallaci specie diversum: tamen in uno nunc subsistam, quo quid propius accedere ad trisyllabam *facilia* vocem dicam non habeo: LICNIA pro LICINIA positum in inscriptione vetusti columbarii apud Lupum Sever. martyr. p. 93 [C. I. L. I n. 892; P. L. M. E. tab. XV, 17]. Altera autem via haec est ut omnino non sit pro dactylo *facilia*, sed pro vero proceleusmatico. Novum sane narrare videbor, cum aliquando in duas breves solutam esse arsim dactylicam dixero. Nam cum vulgo prorsus inter se discreta haec genera habeantur: liberius prosodiae numerorumque genus in versibus trochaicis, iambicis ceterisque scaenicis, et dactylici hexametri cum novo prosodiae severioris genere a Q. Ennio invento: praeter haec etiam mixtum ex his genus exstitit hexametrorum cum scaenica licentia prosodiaca coniunctorum, qualibus xv antiquitus tamquam Pythia illa Itala usa est Fortuna, Praenestina maxime, unde nomen *sortes Praenestinae* invenere.*) Atque in his, quarum partem Orellius composuit n. 2485 (ubi corrige Núnc [tu] mé rogitás, nunc cónsulis: témpus abít iam, et Laétus lubéns pete: quód dabitúr, gaudébis sémper), locum datum esse etiam arsis solutioni, praeter alia quae longiorem disputationem requirunt**), haec exempla documento sunt, quae purgata vitiis apposui:

*) [Vide nunc P. L. M. E. tab. II *M*—*Q m n*; C. I. L. I n. 1438 —1454. C. W.]

**) [Longiorem disputationem vide in Musei Rhen. t. XIV p. 389 —418 (infra n. XIV). C. W.]

Iúbeo *expéctet*: sí *faxít*, gaudébit sémper.*)
Póstquam céciderunt *spes* *ó*m[nes], cónsulis tún me?

Sed ipsi Ennio, graecae severitatis inter Romanos auctori et vindici acerrimo, cave talem licentiam tribuas cum Hermanno Elem. doctr. metr. p. 347.**) Nam in Hedyphageticon quidem (sic enim Florentinus) apud Apuleium de magia c. 39 p. 489 versibus, qui non peius a librariis quam ab editoribus habiti sunt, dubitari nequit quin cum aliis corruptus hic sit: *Mélanu*rúm, turdúm merulámque umbrámque marínam. Quem nescio an vitio sic recte liberem ascito e Mosella pisciculo:

Alburnum, turdum merulamque umbramque marinam:

nisi forte aut *turdum* aut *merulam* a sciolo adiectum est, vel *merulam* ex ipso *melanurum* ortum, hoc piscium genus ut velut sic servetur:

Alburnum, turdum, melanurum umbramque marinam.

Minus etiam fidei alter versus Ennianus habet admisso proceleusmatico sic propagari solitus: *Cápitibus nútantís pinós rectósque cupréssos.* Quo versu *Ennium* Gellius XIII, 20 testatus *rectos cupressos dixisse contra receptum vocabuli genus*, his verbis pergit: *contra uero idem Ennius in Annali duodeuicesimo* e. q. s., quo non ex Annalibus prius esse exemplum petitum significari videtur. Gravius est quod ne repperit quidem *capitibus nutantis* apud Gellium scriptum eius compilator Nonius p. 195, sed *capitibus nutantibus:* id quod etiam Guelferbytanus codex Gellii habet in margine. Vt his ipsis verbis exitum versus contineri appareat, qui cum proximi initio non incommode coibit, ubi unam voculam addideris, velut *ibus* litteris absorptam *ibi*, hoc exemplo trochaico:

. . . . cápitibus nutántibus
Íbi pinos rectósque cupressos . . . . .

Atque alibi quoque pro hexametris Enniana verba non dactylica accepta sunt, ut apud Varronem de l. lat. VII, 12 illa:

*) [Musei Rhen. l. s. s. p. 414 Ritschelius proposuit: 'Iúbeo ut iússei: sí faxít, gaudébit sémper.' C. W.]

**) [Cf. Musei Rhen. XIV (infra n. XIV) p. 407 sq. adn. C. W.]

Quís pater aút cognátus uolét nos cóntra tuéri, quae sic digero iambicis numeris:

. . . quis nos páter aut cognatús uolet
Contrá tueri?

caussa quidem atque ratione hac, quod istac aetate corripi potuisse *contra* nego. Nam pro illo Enniano, ut putant, apud Servium in Aen. VIII, 361 *Cóntra carínantes*, pridem propositum *'Ac contrá carináns* amplector hoc confidentius, quo certius hanc verbi obsoleti mensuram et ratio firmat quam nunc explicare longum est, et alter versus testatur ab eodem Servio proditus . . . *neque me hánc carinántibus édere chártis.*

Non exaequatae autem cum pronuntiatione scripturae exemplis, qualia supra tetigi, etiam monosyllaba v. 3 SVO et TVA addenda sunt. Sed exaequandi periculum etiam in XVI
hoc genere factum est, et ab Ennio quidem, nisi mea me coniectura fallit: quem cum consentaneum est tum ex obscuratae memoriae vestigiis quibusdam intellegitur haud paullum ipsi grammaticae stabiliendae emendandaeque et studuisse et profuisse. Itaque in hanc partem hoc interpretor, quod dativum casum Ennius SIS extulisse dicitur a Festo p. 301, 19 hoc versu: *Postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit:* cui propinqua sunt *sos* pro *suos* ibidem commemoratum et *sam* pro *suam* in Pauli epitome p. 47, 3. Cuius scripturae exemplum TIS pro *tuis* lapis villae Albanae IV, 139 (n. 4847 Or.) servavit: CVM · VITA · FVNCTVS · IVNGAR · TIS · VMBRA · FIGVRIS. Sed eadem tamen pronuntiandi contractio neglecta est scribendo in Scipionis Hispani elogio:

Virtutes generis mieis moribus accumulaui,

pariterque in antiquissimo apud Muratorium p. 658, 1 (n. 2623 Or.) carmine*), ipsa adeo SOVEIS forma monosyllaba insigni, quod sic esse scribendum arbitror:

---

*) [Vide nunc P. L. M. E. tab. XLIX *G*; C. I. L. I n. 1297. Cf. praeterea Mon. epigr. tr. (infra n. V) p. 16 adn. Enarr. tab. l. p. 43 Ritschelius haec scripsit: 'Quamquam non intercedam obstinatius, si qui *Cloulii Suavi* interpretari cum Mommseno I. R. N. 5882 malent. Semel neglecta

Prótogenés Clouleí suaueí(*s*) heic, eí, situst mímus,
Plóuruma qué fecít populó soueis gaúdia núges.

Vbi nihili est quod editur HEICEI: *ei* scripturam, non aspiratam *hei* probavit antiquitas: CLOVL*ei* autem (prorsus ut T · CLOVLI est in nummis) sive servus sive libertus dici Protogenes videtur. Nec de *suauis* dubitandum quin habuerit olim ultimam productam, ut *hostis* in oraculis Praenestinis supra memoratis:

Hóstis íncertús de cérto [fít], nisi cáueas,

et *quisquis* in epigrammate Salernitano item satis vetusto Gruteri p. 1148, 17 Muratoriique p. 1743, 14 (n. 4838 Or. [I. N. 166])*):

Quísqu(*is*) huíc tumuló posuít ardénte lucérnam,

et praeter alia quaedam IOVEI in speculo Etrusco apud Gerhardum tab. 147 [P. L. M. E. tab. I *G*; C. I. L. I n. 56], quem nominativum esse sociatum illi IVNO nomen docet.**) Nam EI litteris inveteratus error est idemque perniciosissimus etiam brevem *i* vocalem antiqua aetate notari: cuius rei exempla longo ex tempore tralaticia aut fidem non habent aut contrariam in partem valent. Affertur e lege agraria QVEIBVS, quod a Brissonio demum invectum nec Sigonius nec Vrsinus nec Gruterus nec Goettlingius II, 37 norunt, sed aut QV aut Q tantum. Bis eadem QVEIBVS forma exstat sane in Reinesiana apud Orellium n. 4404: sed hac qui confidere animum induxerit, legat quaeso Fabretti p. 672 sq. et narrationem et disputationem, ut

---

interpunctione HEICEI lapidarius sociavit imprudens, prorsus ut in *F* (i. e. Amiternino vel Aquilano Mommseni I. R. N. 5765, C. I. L. I n. 1287) DL pro discretis D*at* L*ubens*. Non aspiratam *ei* interiectionem libri ms. vetusti frequentant. Prosodiae asperitas prope accedit ad illud genus hexametrorum, quod in sortibus Latinis (tab. II *M—Q*) regnare alibi demonstravi.... Non excusabili licentia lapidis Amiternini memoriae Lachmannum inludere a Mommseno commemoratum iam l. s. s. (Mon. epigr. tr.) p. 4 sentiebam.' C. W.]

*) [Vide quae de hoc versu disputavit Ritschelius Musei Rhen. t. XIV (infra n. XIV) p. 397 adn. C. W.]

**) Pro dativo IOVEI nomen habendum esse intellexit postmodum Ritschelius Iahnio auctore in Mon. epigr. tr. (infra n. V) p. 35 adn. C. W.]

et dolo malo suppletam intellegat et ab ipso falsario non illam tantum formam, 'pro qua QVIBVS etiam Muratorius testatur p. 1773, 8, sed multo magis mirabilem VIVOVS nominativum illatum sibi persuadeat. Porro SEINE editur quidem in lege de repetundis p. 63 exempli Klenziani, verum in ea tabulae parte olim sive Parisina sive Bellofontanensi (XIV Vrs.) nunc deperdita, quam post Vrsini apographum nemo praeter levissimae indolis hominem Boissardum vidit: quae ipsa pars alia habet quam maxime suspecta, velut HAC pro HACE supra notatum. Iure autem meritoque et SEIT scriptum est in lege vici Furfentis (n. 2488 Or. [C. I. L. I n. 603]) et in SC. de Bacan. POSEDEIT, plane ut REDIEIT in nostrae Vaticanae v. 4 et verborum perfecta ad unum omnia. Nec TIBEI SIBEI dativos, qui iambum aequabant antiquitus ut IBEI VBEI NISEI, nullo modo mirandum est aliquamdiu eam scripturam servasse etiam post attenuari coeptam in pyrrhichii modum pronuntiationem. Vnde recte cum de primo versu Reatini lapidis iudicabitur, in quo est XVII
uictor tibei Lucius, tum de hoc in Scipionis Hispani titulo:
Maiorum optenui laudem ut sibei me esse creatum.*)

Satis expediisse singula videor, ut iam totius carminis hanc speciem commendare liceat:

Hercules sancte,
De decuma uictor tibei Lucius Mumius donum
Moribus antiqueis pro usura hoc, *quod* dare sese
Visum animo suo, perfecit: tua pace rogans te,
Cogendei dissoluendei tu ut fácilia faxseis,
Perficias decumam ut faciat uerae rationis,
Proque hoc adque alieis donis des digna merenti.

Vbi *adque* ut scriberem, non Gruteri potius vel Metelli auctoritati dedi, quam huc accedenti Aldi testimonio ACQVE prodentis. Nam quae praeterea e Metellana supellectile in Gruteri exemplum transiere, merae sordes sunt, vix illa pluris habenda quam e Boissardi commentis excerpta in adnotatione. Ab uno autem Muratorio additum v. 4 AC non

*) [Haec accuratius explanavit et retractavit Ritschelius in Musei Rhen. t. VIII p. 487 sqq. = Opusc. II p. 632 sqq. C. W.]

debebat Orellius suscipere: prorsus enim omissa copula eam antiquitatem decet, cuius speciem manifestam atque adeo incultiorem rigorem cum numerorum asperitate tum sermonis quadam inopia totus titulus prae se fert.

Corollarii loco, ut Mummiae gentis memoriam epigraphicam omnem complectar, tribus verbis tituli Gruteriani p. 1073, 7 mentionem iniciam, quo L·MVMIVS·ACHAICVS·PRAEF·COH·TRIB·MIL·AB·EPIST·T·CAES·DIVI·AVG·F·nobis offertur, quem fuerunt qui L. Mummii Achaici Cos. nepotem, Galbae Imp. avum crederent. Verum is titulus merito suspectus cum Scipioni Maffeio fuit Artis crit. lapid. p. 385 tum certissimo in his litteris duci et antesignano praestantissimo Bartholomaeo Borghesio in Annal. Inst. arch. Rom. a. 1846 t. XVIII p. 326 [Opp. V p. 16]: soli enim Boissardo Antiq. t. V tab. 118 debetur, de cuius hominis ignavissimi fide vereor ne non satis severe vel Orellius t. I p. 32 iudicaverit vel Rudorffius luculenta de lege Thoria commentatione.

* * *

Typographus cum aliquid materiae a nobis peteret, quo ne vacua relicta pagina oculos offenderet, tres titulos Reatinos, in quos sermo incidit supra p. XII sq. [104], infra posuimus emendatiores bonorum fide auctorum quam apud Gruterum exstant. Et primum quidem quae est p. 315, 6, talis habetur

apud Manutium

LOC
CVLTORVM
HERCVLIS·RESP
SVB·QVADRIGA
IN·FR·P·XXX
IN·AGRO·P.XXV
HVIC·LOCO
Q·OCTAVIVS·COMMVN
T·FVNDILIVS·QVARTIO
IN·FR·P·XIIII
IN·AGRO·P·XXV
DONAVERVNT

apud Angelottum

LOCVS · CVLTORVM · HERCVLIS
RESPVBLICA·SVB·QVADRIGA
IN·F·P·XXX·
IN·AGRO·P·XXV·
HVIC·LOCO
Q·OCTAVIVS·COMMVN·
T·FVNDILIVS·QVARTIO
IN·F·P·XIIII·IN·AGRO·P·XXV·
DONAVERVNT

Et sic quidem Angelottus ms. teste Schenardio: nam apud Havercampium v. 4 scribitur PEDES pro P ·, v. 9 P · F · pro F · P · Ab Angelotto autem non differre Laurentium Matthaeum ms. dicit Schenardius, nisi quod v. 2 RESPVB · habeat et ultimo DD · pro DONAVERVNT. Ceterum '*in Ecclesia Cathedrali legi*' Angelottus scribit, '*positam in Sacello S. Catharinae*'. XVIII

Gruterianam autem p. 96, 8 idem Angelottus memorat '*in marmore quodam inventam atque adhucdum asservatam in Civitate, in Pennichorum Aedibus, licet alicubi mutilam, hisce inscriptam literis*':

apud Havercampium

PATRI REATINO SACRVM ·
OB HONOREM AVGVST ·
VI · VIRI AVGVST ·
TITVS BETVLNVS FELIX
AVLVS LICINVIS SVCCESSVS
TITVS POMPONIVS MODERATVS ·
PVBLIVS VETIVS MODERATVS ·
LVCIVS FLAVIVS HERMEROS
C · ACHORISTVS ·
L D ·
D D ·

apud Schenardium

PATRI · REATINO · SACRVM
OB · HONOREM · AVGVSTORVM · VI · VIR · AVG ·
T · BETVINVS · FELIX · A · LICINIVS
SVCCESSVS · T · POMPONIVS · MODERATVS
P · VETIVS · MODERATVS
L · FLAVIVS · HERMEROS
C · SABINVS · ACHORISTVS
L · D
D · D

Cum quorum exemplorum Havercampiano ita convenit Fabrettio I, 141 p. 30, ut tantum BETVLNIVS exhibeat v. 4, LICINIVS v. 5, v. autem 7 VETTIVS et v. 9 plenius

C·SABINVS·ACHORISTVS, utrumque cum Gruteri exe priore, prae quo quam sit eius alterum exemplum h. e. I rianum et vitiis inquinatum et licenter interpolatum, nunc apparere putamus.

Postremo a Schenardio demum p. 12 in lucem pro tus titulus hic est:

I O V I · O · M
MINERVAE
FORTVNAE
HERCVLI
SACRVM
C · F · T · R

V.

Monumenta epigraphica tria.

I. De miliario Popilliano deque epigrammate Sorano.*)

CAPVT I.

DE MILIARIO POPILLIANO**)

(accedit tabula lithographa***)).

Memorabilis in paucis titulus Pollanus postquam inde 3
ab Apiano et Aldo Manutio ad Orellium (n. 3308) et litterarum epigraphicarum dedecus Zellium incredibili tum neglegentia tum licentia editus est a plurimis, nunc demum Theodori Mommseni beneficio ea et fide repraesentatus et cura explanatus habetur Inscriptionum Regni Neapolitani n. 6276, vix ut habeas quod tam perfectae operae addas praeter exemplum ipsas figuras litterarum imitans omnemque lapidis speciem cum religione exprimens. Tale exemplum litho-

---

*) [Programma academicum Bonnense anni 1852: 'Sacram memoriam Regis Augustissimi Divi Friderici Guilelmi III . . . die III mensis Augusti a. MDCCCLII ... pie recolendam victorumque renuntiationem e litterarum certaminibus prodeuntium indicit E. Böcking', singulariter sic inscriptum: 'De miliario Popilliano deque epigrammate Sorano commentarius F. Ritschelii.' Consociatum cum prooemio indicis scholarum hibernarum Bonnensium a. 1852 et 1853 (de titulo Aletrinati) prodiit in libello nunc rarissimo: 'Monumenta epigraphica tria ad archetyporum fidem exemplis lithographis expressa commentariisque grammaticis inlustrata cura F. Ritschelii. Berolini apud G. Trautwein 1852.' C. W.]

**) [Nunc vide C. I. L. I n. 551; P. L. M. E. tab. LI *B* et Enarr. p. 46 et 105. C. W.]

***) [Tabula IV eadem est atque olim programmati academico et 'Monumentis epigraph. tribus' adnexa, dein iterata in P. L. M. E. l. l. C. W.]

graphi nostri arte et industria paratum cum per academici officii opportunitatem haud inepte foras dari videatur, tantum de tempore facti olim tituli nec inutiliter quaeri putamus et aliquanto etiam distinctius quam adhuc factum est posse statui intellegimus. Et antiquiorem quidem anno 654 esse, cui temere interpolatum vulgo tribuunt, multis luculentisque argumentis docere ipse sermo poterat: quorum si alia aliis, ubi per se singula spectaveris, paullo vel certiora sunt vel incertiora, tamen non potest non plurimum valere coniuncta vis omnium. Vertitur autem hinc ducta ratiocinatio in his quae infra posui vetustioris latinitatis documentis NOVCERIAM pro NVCERIAM vel NOCERIAM scripto POSEIVEI pro POSVI, AF CAPVA pro AB CAPVA, CONQVAEISIVEI pro CONQVAESIVEI vel CONQVAISIVEI POPLICO POPLICAS pro PVBLICO PVBLICAS, PAASTORES pro PASTORES, SVMA pro SVMMA cum similibus quibus contrariam vim habet adiecta in vocabulorum terminatione M littera. Dicam de his singillatim, sed breviter et ut in gravissimis certissimisque desinam.

Ac primum OV scripturae exemplum medii quidem saeculi septimi nullum novi, si ab una radice ea recessero qua IOVS IOVSSI IOVDICARE IOVRARE facta sunt: his enim solis priscum scribendi modum tenax vetustatis consuetudo legalis servavit ad legem usque Antoniam anni circiter 682. Sed ita tamen servavit ut, cum in SC.
4 Bacanalibus constanter scriptum sit IOVSISE IOVSISET IOVBEATIS CONIOVRASE, pariterque in aere Bantino IOVDICIO IOVDICIA IOVDICETVR IOVDICAVERIT IOVDEX IOVRANTO IOVRAVERIT IOVRARINT IOVRANTO, prima omissae O exempla iam lapides Patavini anni 617 praestent ter IVSIT exhibentes, semel IOVSIT apud Furlanettum Ant. lap. Patav. p. 68 (tab. XIIII sq.) et Maffeium Musei Veronensis p. 108 [C. I. L. I n. 547. 548. P. L. M. E. tab. VIII *A B C*]*), inde autem ab hoc tempore

*) [Vide nunc P. L. M. E. Enarr. p. 51, ubi haec scripsit Ritschelius: 'Rationem inter titulos gemellos hanc intercedere apparet, quam post Furlanettum paucis significavit Henzenus Or. t. III, 5114 et 5115: ut pristini *A a* et *B* tituli cum in modum iterarentur, illi ut evanido

ltem condicio ut ab antiquitate nihil abhorreat. Sunt ı haec: LOVCINA in Pisaurensi apud Maffeium Mus. p. 470 [C. I. L. I n. 171; P. L. M. E. tab. XLIII *H*] lamina Neapolitana apud Lanzium t. III p. 535 ed. C. I. L. I n. 189; P. L. M. E. tab. II *D*], item LOV-AM in titulo Scipionis Barbati f.; NOVNDINVM in SC. acanalibus; PLOVS ter in eodem, item PLOVRVMA scriptione Aquilana Muratorii p. 658, 1 [C. I. L. I n. ; P. L. M. E. tab. XLIX *G*]; FOVRIO vel FOVR vel octiens in sepulcro Furiorum Tusculano, item in titulo ılano Diarii Instituti archaeol. Rom. a. 1847 p. 166 . L. I n. 63; P. L. M. E. tab. XLIX *B*]; ABDOV-in eodem illo Corneliano, INDOVCEBAMVS INDOV-'S INDOVCERE in SC. de Tiburtibus, quod qui-non rectius nostra sententia anno 664 vel 665 Vis-ıs Iconogr. Rom. t. I p. 88 quam quinto saeculo ıhrius Hist. Rom. t. II p. 309 sqq. eique adhae-Klausenus Aeneae t. II p. 1062. 1085, vel mirabiliore liberalitate adeo quarto Marquardus Gudius tribuit;)VCTA in notissima Henzeni merito Sorana; POV-OM et POVBLIC... in Venusinis Mommseni I. R. N. 716 [C. I. L. I n. 185. 186]; ADIOVTA in eiusdem

ı exemplum *A b* in eodem lapide subiceretur, huic superimpone-novum novo adiecto lapide *C*: conglutinatos enim *B* et *C* lapides

Amiternina 5756 [C. I. L. I n. 1290] (ubi v. 5 obscurum est TOV), in Arpinati autem 4472 CLOVACAS (C. I. L. I n. 1178; P. L. M. E. tab. LXXVI *C*]; in Orelliana 1501 TOVTIA [C. I. L. I n. 1155]; praeterea FOVL*uius* in nummo Morelliano p. 186 (apud Eckhelium II, 5 p. 221, Riccium p. 94); postremo CLOVL*ei* in Muratoriana p. 658, 1 [C. I. L. I n. 1297; P. L. M. E. tab. XLIX *G*], de qua Lachmanni molimina a Mommseno n. 5882 commemorata probabilitatem meo sensu non habent.*) Sciens omitto tralaticium e columna rostrata NAVEBOVS, parumque a fide tutum LOVGET apud Gruterum p. 1055, 1, aliam autem eamque sat planam ob caussam SOVOS SOVOM scripturam aliquotiens in lapidibus servatam una cum FLOVIO et CONFLOVONT. Quod autem OVF · notam etiam recentes usur-
5 pant, non magis morabere quam quod C · vel CN · siglae post inventam G litteram manserunt. Similique pertinacia factum est ut hereditate accepta FOVRI scriptura in eis nummis perstaret, quorum posteriorem originem adiecta PHILI vel CRASSIPES epigraphae testentur, vel CLOVLI in illis, quos cum sexto saeculo olim tribuissent, ad Mariana tempora Borghesius rettulit: quode Riccius monuit Mon. famil. Rom. p. 57.**)

Sequitur ut de POSEIVEI forma dicatur. Quae cum in monumentis quidem par sibi exemplum solum COMPOSEIVERVNT habeat in tabula Genuati scriptum, tam constans est in Plautinis comoediis, alteri ut ne locus quidem ullus relictus sit. Vidulariae versu *Nunc ápud sequestrum uídulum posíuimus* iam Priscianus X p. 898 (I p. 499 K.) usus est ut *posiui protulisse antiquos* doceret. In nostris id fabulis quinquiens Vetus codex servavit, Asinariae v. 51 3, Casinae IV, 4, 27 (ubi accedit ipsius Ambrosiani auctoritas), Pseuduli 1281, Trinummi 145, Truculenti II, 5, 9:

Quín pol si reposíui remum, sóla ego in castéria.
Paene éxposiuit cúbito. Cubitum ergo íre uolt.

---

*) [Cf. Tit. Mumm. p. XVI (supra p. 110) et supra ibidem adscripta verba Enarr. P. L. M. E. p. 43. C. W.]

**) [Cf. infra p. 34 (157) sqq.; Mus. Rhen. XVI p. 611 sq. (infra n. XVII); Priscae lat. epigr. suppl. II (infra n. XVIII, 2) p. X. C. W.]

Commúto ilicó pallium, íllud posíui.
Mihi quód credideris, súmes ubi posíueris.
Aliénos dolóres mihí supposíui.

Quibus in locis omnibus vulgarem formam ceteri boni libri Decurtatus cum Vrsiniano Vaticano substituerunt, in uno illi *inposisse* infinitivo, quem ad idem genus referendum esse apparet, congruentes cum Vetere Mostellariae v. 434:

Scies ínposisse in úndam, hau causast, ílico.

Quid igitur mirum si in octo qui restant versibus eadem corruptela etiam ad Veterem pertinuit? e quibus nullus est quin pristinam formam propter ipsos numeros efflagitet, contra atque in Asinariae exemplo, ubi ne vetabat quidem metrica ratio *reposui* dici. Ergo certissimum est iudicium de Curculionis v. 356. 536, Bacchidum 306, Mostellariae 382, Militis gloriosi 905, Rudentis 357. 916, Truculenti IV, 3, 30, sic scribendis praeter librorum testimonia:

Ílle suom anulum ópposiuit, ínuocat Planésium.
Quás ego apud te déposiui, uítam propera pónere.
Nos ád Theotimum omne aúrum deposíuimus.
Écce[re] autem hic déposiuit cáput et dormit: súscita.
Ad túa praecepta dé meo nihíl nouom adposíui.
In Síciliam et, quidquíd domi fuit, ín nauem inposíuit.
Lucrúm praeposíui sopóri et quiéti. 6
Quíd illa, quoi [donó] donatust? Súpposiuit. Quoí? Sibi:

ita enim postremum probabiliter Kampmannus supplevit de rebus milit. Pl. p. 18. Nec magis in Terentiano versu Eun. V, 3, 3 poetae manum vel ceteri libri vel ipse Bembinus servarunt, a Faerno demum item iubente metro instauratam:

Qui hunc súpposiuit nóbis? Moue uero ócius.

Eundemne igitur Terentium hos fecisse versus existimabimus Andriae IV, 3, 14. 4, 3. 24:

Non ádposuisse ut líquido possim. Intéllego.
Puer hérclest. mulier, tún posuisti hunc? 'Vbi illic est?
Cedo cúium puerum hic ádposuisti? díc mihi:

praesertim cum et Cato *posiuerunt posiueris*, et *Déposíuit oliuam* etiamtum Catullus XXXIV, 8 (quamquam hic quoque tacentibus libris) semel dixerit in glyconeis? Aliud, nisi fallor, lapides docent. In quibus non tantum DEPOSIE-

RVNT est in senariis 'tabulae marmoreae pervetustae' apud Gruterum p. 655, 1 [C. I. L. I n. 1009; P. L. M. E. tab. LXXXI], ut POSIER · in recentioris aetatis Orelliana 5061 [I. Helv. n. 290] *), sed vulgaris formae, nisi quod me fugit, exemplum omnino nullum per totum septimum saeculum exstat. Neque enim plenam *posiuit* formam continuo recens *posuit* excepit, sed prius illi *posit* declinatio successit: id quod tituli testantur Amiterninus 5820 [C. I. L. I n. 1298; P. L. M. E. tab. LX *C*] apud Mommsenum et Corfiniensis 5409 [C. I. L. I n. 1283], quorum ille POSIT socians cum BRVTIVS et PROBISVMA scriptura non potest medio saeculo septimo posterior esse **), hic TEVDATA · POSEIT exhibens idem saeculum non excedit. Hinc igitur est quod etiam imperatorum aetas POSIT frequentavit ut in Orellianis 71. 732. 1475. 3087 Gruterianisque 561, 8. 571, 9. 724, 8. Contra trisyllabi *posui* perfecti usum facile perspicitur poetis demum dactylicis deberi. Itaque ausus est primus Ennius Prisciani VI p. 691 in sexto Annalium *Sulphureas posuit spiramina Naris ad undas;* semel tantum Lucretius *exposuit* VI, 25; bis in pentametris Catullus *diua nouum posuit* LXVI, 64 et *supposuisse femur* LXIX, 2, idemque in hendecasyllabo XLVII, 4 *Verpus praeposuit Priapus ille.* Quae cum ita sint, vix est verendum ne inconsultius ab Terentii quidem non aetate dicam, sed poesis genere noviciam declinationem abiudicemus Andriaeque versibus *adposisse adposisti* formas reddamus ad exemplum Plautini infinitivi *inposisse*: qualem etiam iambos poscere in Vergilianis Catalectis VIII, 16 Scaliger perspexit: *Tua in palude deposisse sarcinas.* Alteram qui in iambos primus immiserit, invenio Lucilium esse, quem lib. XXVIII

*) [Conferas quae scripsit Ritschelius in P. L. M. E. Enarr. p. 52 ad tabulam LIX *H*, ubi repraesentatus est titulus sepulcralis infra Scenaro repertus (C. I. L. I n. 1284): 'Vnde POSIERVNT formam adde eis quae de hac declinatione Mon. epigr. tr. p. 6 disputata sunt. Quam e recentioribus titulis etiam Orellianus 1998 servavit.' C. W.]

**) [Cf. Enarr. tab. LX *C* p. 53: 'cuius haec ratio est ut, cum primo et in BRVTIVS et in PROBISVMA et in BRVTI non geminatum esset constanter, post demum supra scripta T littera corrigeretur BRVTTIVS. Non satis dixi cum non esse posteriorem septimo saeculo medio iudicavi Mon. epigr. tr. p. 6.' C. W.]

scripsisse *Cui saepe mille inposui plagarum in diem* Nonius testetur p. 496. Nam de Accio dubia res est, *adposuit* ille an *instituit* scripserit in Ionis versu apud Priscianum VI p. 685, ut ex Ottonis Ribbeckii mei locupletissimo eodemque curatissimo apparatu didici.

Paullo magis ambiguum de tertio iudicium est, quod ad AF praepositionem spectat. Quam formam paene oblivione obrutam egregio acumine Guilelmus Freundius resuscitavit in scholiis lexico suo praemissis p. LVIII sqq. Vbi a Prisciani planissimo testimonio profectus I p. 56: *habebat autem haec F littera hunc sonum quem nunc habet V loco consonantis posita, unde antiqui af pro ab scribere solebant: sed quia non potest uau, id est digamma, in fine syllabae inueniri, ideo mutata est in b,* hoc duce rectissime usus est ad certam emendationem cum Velii Longi verbis admovendam tum Tullianae in Oratore 47 § 158 disputationi. Quorum hic *una* inquit *praepositio est af* (vulgatur *ab*) *eaque nunc tantum in accepti tabulis manet et ne his quidem omnium, in reliquo sermone mutata est;* Longus autem p. 2224 sic Ciceronis verba bene enarravit: *nunc ad praepositiones transeamus, atque incipiemus ab illa quam Cicero in Oratore adnotauit. uaria enim consuetudo in aequo est, A et AB et ABS et AV, ut cum dicimus a me, deinde ab illo, deinde abstulit, deinde aufert, quod sane tantum in duobus uerbis usurpatum est aufert et aufugit. adiicit his praepositionibus et illam quae scribitur per F literam* (vulgo *B literam*), *quam ab antiquis usitatam ait maxime in rationibus et in accepti tabulis: nam quotiens acceptam pecuniam referebant, non dicebant a Longo sed af Longo* (*ab Longo* vulgo)*: et dicit religionem hanc scribendi apud paucissimos remansisse saeculo suo.* Tam laudabilem autem ratiocinationem mirandum est nescisse Freundium exemplo ullo comprobare, immo superesse exempla negasse. Atqui quinquiens, si recte numeravi, AF exstat in monumentis scriptum: primum AF · VOBEIS in SC. de Tiburtibus, quod habeo cur ipsi exitui saeculi sexti tribuam; deinde AF · MVRO in Praenestina ab Henzeno edita Musei phil. nostri t. V p. 464 [C. I. L. I n. 1143; P. L. M. E. tab. LIII *A*], quam ante a. 640 factam esse FLACVS forma docet, adeoque

anno 620 supparem esse LONGV et VORSV scriptura facile persuadet ut credamus*); quo praeter Pollanam nostram accedit non multo posterior Ferentina illa [C. I. L. I n. 1161; P. L. M. E. tab. LXVIII *D*], in qua reapse MVROSQVE · AFSOLO · FACIVNDA · COERAVERE scriptum est, vitiose A · SOLO editum a Muratorio p. 477, 1, vitiosius E · SOLO a Grutero p. 165, 2 Orellioque n. 589, proxime ad verum AESOLO a Bunsenio in Annal. Inst. arch. a. 1834 p. 144. Sed
8 has tamen tantum reliquias quasdam esse longe vetustioris consuetudinis hinc intellegitur, quod AB forma non in septimi tantum saeculi legibus omnibus sola regnat ut in 'Servilia' et 'Thoria', item in Minuciorum sententia Genuati, sed sexto iam saeculo in SC. de Bacanalibus. Quo magis mirari licet semel**) praeterea AF repertum esse in Laodicensi ad annum circiter 670 probabiliter referri solita [C. I. L. I n. 587; P. L. M. E. tab. LXXII *B*]: in qua POPVLVS · LAODICENSIS · AF · LYCO recte legi apud Gudium p. 143, Marinium Act. arval. p. 768, Orellium n. 3036, mendose A · F · LYCO post Sponium in C. I. Gr. t. III p. 769 scribi, satis poterit similium comparatio docere ibidem et p. 774 compositorum: PRVSIENSES · AB · HYPIO, PRVSAIS · AB · OLYMPO, PRVSIENSES · AB · MARE, APAMENI · AB...., prorsus ad similitudinem graecorum ΠΡΟΥΣΙΕΙΣΑΠΟΥΠΙΟΥ, ΠΡΟΥΣΑΕΙΣΑΠΟΟΛΥΜΠΟΥ, ΠΡΟΥΣΙΕΙΣ · ΑΠΟ · ΘΑΛΑΣΣΗΣ, quamquam in primo exemplo variatum est Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩΙ ΛΥΚΩΙ, quomodo etiam Strabo loquitur XII p. 578 Cas.: ut taceam inauditam F · notam pro *Fluvio* positam. Illud igitur non habere me fateor qui esse factum dicam: nisi forte alia quoque quaedam esse dixeris remotissimae aetatis propria, quae semel bisve longe posteriore tempore praeter exspectationem redeant. Velut obsoletam *ollei* pro *illei* formam nec sexti quintive saeculi monumenta praestant (si columnam rostratam, ut est aequum, missam feceris), nec septimo legum multitudo novit: et tamen

*) [Cf. infra p. 9 [124] et 19 [137] et P. L. M. E. Enarr. p. 47. C. W.]

**) [Cf. P. L. M. E. Suppl. Enarr. p. 105 sq.: 'AF formae omisi olim aliud exemplum quod est apud Marinium Act. Arv. p. 233 *em*ERVNT · LOCVM · OLLARVM · XV · AF · LVCRETIA · SP · F · RVFA.' C. W.]

semel circa a. 674 OLLEISQVE · HOMINIBVS scriptum est in lege Cornelia, semel ut videtur OLLEIS · LEGIBVS · ILLEIS · REGIONIBVS in dedicatione vici Furfensis anni 696 n. 2488 Or. 6011 Momms. [C. I. L. I n. 603; P. L. M. E. tab. LXXXII]. Qualia tamen esse pauca scio. Nam ne quis de antiquiore aetate tituli Laodicensis cogitet, quippe cuius similem et ut videtur tempore aequalem Lyciorum titulum, qui est in C. I. Gr. n. 5880 [C. I. L. I n. 589], ad annum adeo 586 Ioannes Franzius p. 768 rettulerit, facile apparet peritiorem graecae illum quam latinae epigraphices arbitrum fuisse.

Quarto loco nolo silentio AEÌ diphthongum praetermittere, sive triphthongum appellare males. De qua etsi multa dici non possunt, cum rarissimus eius usus sit, tamen ut nec soli casui vel errori tribuam nec ultra modicum spatium saeculi septimi porrigam, illud me movet, quod alia in hoc genere nova circa id tempus introducta sunt non aliunde nisi e certa disciplina grammatica repetenda, quae quidem non durasse ultra medium saeculum videam. Atque longe aptissimum, quod cum CONQVAEISIVEI*) comparetur, illud est quod anno 613 CAEICILIVS exaratum est in Patavinorum Atestinorumque lapide a Furlanetto Musei Est. p. 29 et Lap. Pat. p. 78 publicato, enarrato autem a Borghesio Diar. Inst. 9
arch. a. 1833 p. 103 [C. I. L. I n. 547; P. L. M. E. tab. LVII *A*, LVIII *Ab*]. Quo accedit e nummo Cassiae gentis, vetustioris ut credibile est consuetudinis conservatore, CAEICIANus cognomen, apud Havercampium p. 78, Eckhelium p. 165, Riccium tab. XII, 6 (nam in commentariis p. 49 I litteram neglexit), [nunc in C. I. L. I n. 378]. Quibus exemplis additum a Furlanetto e longe posterioris aevi Gruteriana p. 44, 2 CAEILIO quam fidem habeat, incompertum est.**)

Venio ad POPLICVS formam sat remotae aetatis indicem, eiusque non dubiis finibus a recentiore consuetudine discretae.

---

*) [Vide infra p. 21 (140). C. W.]

**) [Cf. Enarr. l. l. p. 51 et Musei Rhen. t. XXII p. 612 (Opusc. III p. 725), ubi addidit Ritschelius nova huius scripturae exempla haec: CAEICIus tituli Hispani (C. I. L. I n. 1478) et CAEICILIVS in tabella insulae Maiorcae (C. I. L. I n. 1487). C. W.]

Regnat enim illa sola (vel POPLVCVS semel eius vicaria) in SC. de Bacanalibus, SC. de Tiburtibus, tabulis Bantina et Genuati: unde in promptu est de vetustate Amiternini lapidis I. R. N. 5753 [C. I. L. I n. 1291; P. L. M. E. tab. LXII *B*] existimare, in quo et IN · VIA · POPLICAM scriptum est et praeterea IN · HOCE · DELVBRVM, IN · HOCE · LOCO. A qua forma quomodo per gradus transitum sit ad vulgarem, prorsus planum facit lex repetundarum, in qua quater POPLICVS (vel POPLICE) legitur, semel PVPLICVS, item semel PVBLICVS: a qua paucorum annorum intervallo dirempta lex agraria anni 643 (quam non debebam illa antiquiorem nuper [de titulo Mumm. p. VI (supra p. 91)] dicere) quattuor tantum exempla POPLICVS scripturae servavit, PVBLICVS PVBLICE PVBLICANVS circiter quadragiens exhibet. Quae cum ita sint, non satis apud me fidei PVBLICVM forma habet e Praenestino lapide prodita quem supra [p. 7 (121)] tetigi: quam inscriptionem cum praeter Akerbladium, cui Borghesius acceptam refert, nemo viderit, non sine ratione illum PVBLICVM pro eo quod debebat PVPLICVM legisse conicias, praesertim cum etiam RVTILIVS pro RVTILVS indidem proditum non possit non errori deberi.*) Ceterum etiam in Plautinis libris vestigia quaedam vetustatis supersunt, sed ea promiscua, nec usquam pristinae POPLICVS formae qua usum esse Plautum consentaneum est, sed tantum mediae PVPLICVS. Quam in Amphitruonis prol. 40 ipsiusque fabulae v. 162. 196. 524. 528, item in Asinaria v. 321 inque Trinummo 286 solus Vaticanus servavit; solus Decurtatus in Mercatore V, 4, 26 Persaque I, 2, 13 et 16; in Trinummi autem v. 1057 ita ut, ubi is liber *puplicis* prodat, in Vetere sit *pullicis*, quod non aliunde natum videtur nisi e neglecto ab librario P litterae apice, qui esse perexilis in codicum antiquissimorum (ut ipsius Ambrosiani) scriptura solet. Itaque cum ipsum *puplicum* Vetus ille tan-

*) [Sed cf. P. L. M. E. Enarr. p. 47: 'de PVBLICVM forma suspitionem meam ectypum chartaceum non item firmavit atque Henzeni de corrigendo RVTILIVS nomine sententiam cum Musei Rhen. t. V p. 464 tum Orell. t. III, 6601 propositam.' C. W.]

tum Stichi v. 614 praestet et *puplicius* a pr. m. (*publicitus* sec.) Amphitruonis 162, tamen in eandem partem non dubitabis eiusdem memoriam interpretari Stichi 491 *pullice*, Trinummi 1044. 1045 *pullicum pullice*, Truculenti I, 2, 41. 49 *pullicum*, 44 *pullicanos*: qua prava archetypi lectione librarius plane assuevisse in extremis fabulis videtur. Nullum ex ipso Ambrosiano exemplum memini: immo PUBLICUM legere visus sum Persae III, 3, 3, Rudentis v. 572, PUBLICAM Truculenti I, 2, 39: ut est ille in hoc genere universo minus tenax antiquitatis quam aut Palatini libri aut Vetus saltem Camerarii. Nec in Terentio vel ceteri vel Bembinus duriorem litteram servarunt: quo minus mirabere in Ennii Plauti Caecilii versibus codices Gellianos XVI, 1, Tullianos epist. ad fam. VII, 6, Nonianos p. 513 obscurasse omnes. Et *publicus* quidem pro *puplicus* substituere quovis saeculo constans posteritatis consuetudo potuit: *puplicus* pro *poplicus* tantum septimum saeculum. Vnde existimari potest, quam late patentem scripturae immutationem iam illa aetate fabularum Plautinarum codices subierint.*)

Restat certissimum omnium, non geminatarum consonantium constantia, quam TABELARIVS SVMA REDIDEIQVE vocabula ostendunt: quando simplicium usum nuper monstravi circa annum 640 prorsus desiisse. Non minus autem certis argumentis ab altera parte definire temporis articulum licet: nam nec suppressio M litterae finalis, quam magna cum diligentia additam habes in Pollano lapide, ultra annum circiter 620 ut alibi docui duravit, nec geminari vocales, ut in PAASTORES, ante idem tempus coeptae sunt, id quod suo loco persequar uberius.**) Itaque cum annorum 620 et 640 finibus aetas tituli Pollani circumscripta sit, tamen ut longe longeque eum propius ad illum quam ad hunc terminum admoveamus, sat graviter ea suadent quae supra explicata sunt de sociatis OV litteris, de POSEIVEI perfecto (praesertim si qui sint qui Terentianorum codicum

*) [Conferas quae de his formis exposuit Ritschelius 'de titulo Aletrinati' p. XIV (infra 177) adn. C. W.]

**) [Id est infra capite tertio p. 142 sqq. C. W.]

testimoniis plus quam nos fidei tribuant), de AF praepositione, de POPLICVS forma.

Atque haec ita disputavi, tamquam si de tempore scripti tituli aliunde non constaret: de quo tam distincte constat ut ne annus quidem lateat. Feci autem illud eo consilio ut, quam non esset fallax in hoc genere epigraphico a sermonis indole profecta ratiocinatio, immo quam subtilis indagatrix veritatis, luculento exemplo manifestum fieret. Ac ficticium esse qui tituli principio nunc fere versus praemittitur

M'· AQVILIVS · M' · F · GALLVS · PROCOS

testantur cum Mommseno quotquot lapidem Pollae viderunt.
11 Quem e Celsi Cittadini schedis petitum primum altera editio Corporis Gruteriani adsuit. Celsus unde habuisset, nec Holstenio nec aliis compertum: nisi quod e sola coniectura natum Mommsenus pervidit. Auctorem fraudis quamquam dolo malo non commissae repperi Pisaurensem hominem cui Gauges de Gozze nomen*): qui Romae a. 1637 edita dissertatione 'Iscrittione della base della Colonna rostrata già nel foro Romano supplita ed illustrata' sic ut infra scripsi de Pollana inscriptione commentatur p. 7 interpretationis latinae quae inserta est Graevii Burmannique Thesauro antiq. et hist. Ital. t. IX part. VIII: '*Idem cernitur* (loquitur de non geminatis consonantibus) *in illa, quae ad hunc usque diem parieti Hospitii Pollensis immissa exstat, ad amnem Tanagrum, vulgato nomine Il Negro dictum, in Lucania, Basilicata hodie, ad introitum della Valle di Diano, qui Plinio est Campus Atinas, recensita Appiano Mathematico in libro suo de Sacrosanctae Vrbis vetustate fol. 104. inde eam descripsit Aldus Manutius aliique recentiores, sed corrupte omnes, non iuxta id quod cernitur; ea infra scripti tenoris est* (sequitur inscriptio longe vitiosissime neglegentissimeque edita). *Facile autem crediderim auctorem huius Inscriptionis fuisse Manium Aquilium Gallum, qui Proconsul vel Praetor Siciliae fuit, tempore Belli Servilis, anno ab Vrbe Condita DCLIV, a Consulatu Duillii*

*) [Immo haec olim praemitti solita verba non aliunde nisi e coniectura Celsi Cittadini manasse docuit Ritschelius comm. de columna rostrata priore (infra n. VI, 1) p. 9 adn. C. W.]

circiter CL, licet non appareat in Inscriptione; fieri potest, ut nomen eius litteris grandioribus in alio marmore exsculptum fuerit et huic superimpositum.' Hoc quidem, quod ultimo loco dixit, satis probabiliter, eademque Mommseni sententia est; reliqua hoc perversius, quod ne fuit quidem Gallus cognomine M'. Aquillius ille, cum C. Mario consul anno 653, quem proconsulem in Sicilia bellum servile confecisse Livii epitome testatur l. LXIX: id quod Gozzium ut sibi persuaderet movisse videtur nobilis Icti et oratoris C. Aquillii Galli recordatio, Ciceronis in praetura conlegae atque familiaris. Ad bellum autem servile consentaneum erat sane eius memoriam referre, qui in Sicilia fugitivos Italicorum conquisivisse reddidisseque homines DCCCCXVII diceretur: modo illud Gozzius cogitasset, praeter posterius illud, in quo Aquillii partes fuerunt, etiam prius fuisse bellum servile, confectum id quidem anno 622 a P. Rupilio cos., P. Popillii Laenatis in consulatu conlega, teste eadem illa Livii epitome l. LIX.

Iam vide mihi quam huc illud quadret, quod eo in loco ubi hodie sita est Polla, a qua intervallorum in lapide consignatorum initia fiunt, Forum Popilii collocatur in tabula Peutingerana: unde viam Popiliam esse, cuius intervalla nu- 12
merentur, Capua Regium ductam a Popilio aliquo, palmari coniectura iam Mannertus assecutus est Geographiae t. IX part. 2 p. 146, merito ob id laudatus a Mommseno. Nisi quod non debebat a *praetore* Popilio factam Mannertus credere abusus ipsius inscriptionis nostrae versu 9. Vbi quod ET · EIDEM · PRAETOR · IN · SICILIA de se scribit Popillius, id ipsum certissimo argumento est, non praetorem, sed alio magistratu fungentem ea quae ante de se testetur peregisse. Ergo, cum censuram Popillius Laenas non sit nactus, nihil esse evidentius potest quam haec olim praefixa lapidi Pollano fuisse:

P · POPILIVS · C · F · (P · N · LAENAS ·) COS

inscriptionemque haberi anni 622.*) Quo anno dum

*) [Cf. P. L. M. E. Enarr. p. 46: 'Pollanum titulum Mannerto duce intellexi a P. Popillio C. f. consule a. 622 factum eamque sententiam cum Mommseno persuasi tum Henzeno Orell. t. III p. 317 ad 3308.' C. W.]

P. Rupilius *in Sicilia cum fugitivis debellat,* ut est in Liviani libri LIX epitoma, domi restans Popillius conlega laude e pacis artibus quaesita longe amplissimam *viam fecit* in eaque *forum* suo nomine appellatum condidit. Qui si tribus fere ante annis praetor in Sicilia *fugitivos Italicorum conquisivit* bellamque mancipiorum multitudinem dominis suis *reddidit*, id non disconvenire in ipsius belli servilis rationes aliquamdiu mihi visum est. Nam de rebus gestis anni 620 cum sic memoriae prodit Liviana epitoma libri LVI: *bellum servile in Sicilia ortum cum opprimi a praetoribus non potuisset, C. Fulvio consuli mandatum est,* non sane necessario significat eodem anno ortum: nec distincte, quo anno exarserit, ab aliis traditum invenio. Sed idem tamen monitus ab amico nunc non belli potius quam pacis significationem ipsis inscriptionis verbis fieri concedo, sed pacis prope saevioris bello. Cum enim illud quid sibi vellet non satis perspicerem, quod, cum P. Popillium nossem optimatium studiosissimum, Gracchanae autem factionis adversarium longe atrocissimum, idem tamen *fecisse* dicitur *ut de agro publico aratoribus pastores cederent*, quo non potuit non ipsis pauperibus gratificari: quid eius rei esset e Mommseno sciscitatus, tale responsum tuli quo non haec tantum dubitatio dilueretur, sed etiam reliqua quae supra scripta est argumentatio mirifice confirmaretur. Quas litteras si cum harum rerum curiosis non communicem, verendum sit ne de ipsis litteris male mercam. Igitur sic ille:

'Ich kann in der *conquisitio fugitivorum* keinen Beweis für die Kriegführung finden, sondern eher das Gegentheil, eine grossartige Treibjagd, wie sie in kleinerm Maasstabe ohne Zweifel jeder thätige Beamte in den Provinzen, welche
13 sich qualificirten zur Bildung von Räuberbanden und Banden entlaufener Sklaven, alljährlich hielt. Dagegen bin ich im Resultat ganz einverstanden und glaube allerdings auch, dass durch eine selten wiederkehrende günstige Fügung es sich hier bestimmt nachweisen lässt, dass der Stein von dem Consul P. Popillius 622 herrührt.

1) Dass der Magistrat, der die Chaussée baute, ein Consul war, haben Sie mit vollem Rechte aus der Antithese *et*

eidem praetor gefolgert; wie ja denn auch (vielleicht mit einziger Ausnahme der Appia) alle italischen Landstrassen im eigentlichen Sinne viae consulares waren, nach dem Zeugniss der Schriftsteller wie der Wegsteine. Dass der Anleger ein Popillius war, ist auch mir so gut wie gewiss; man kann noch hinzusetzen, dass das zweite forum Popilii nördlich von Capua, dicht bei der Stadt, wahrscheinlich zu demselben grossen Strassenbau gehört. Suchen wir nun in der Zeit, die hier überhaupt gedacht werden kann, nach einem Consul Popillius, dessen Provinz Italia war, so bieten sich nur die von 596 und 622, da die von 581. 585. 615 in Ligurien oder Hispanien beschäftigt wurden.

2) *Primus feci ut de agro publico aratoribus cederent pastores* d. h. ich habe die lex Sempronia agraria zuerst wirklich exequirt. Der Inhalt dieses Gesetzes war bekanntlich, dass, während früher die Occupation bis zu 500 Jugera, einerlei ob zur Weide oder zum Ackerbau, gesetzlich, factisch aber die Occupation der Domänen unbedingt gestattet worden war und die Masse derselben von den Grossen als Weideland exploitirt ward, jetzt jene alten Occupationen zum grossen Theil annullirt wurden, und nur bis zum Maass von 30 Jugera, und auch dann nur zum Ackerbau occupirt werden durfte (Ber. der sächs. Ges. d. Wiss. 1850 S. 98). Ward diess ausgeführt, so mussten in der That die Hirten den Bauern weichen, und zwar von den Domänen; denn die Domänenqualität verlor das Land durch die Occupation ex lege Sempronia nicht; erst durch das Gesetz von 643 ward es ager privatus, bis dahin aber war es publicus oder vectigalis, wenngleich vererblich oder verkäuflich. — Das Gesetz war von 621; die praktische Ausführung der Assignation begann begreiflich erst 622, und da die Commission sehr wahrscheinlich kein eigenes Imperium hatte, so konnte die Durchsetzung gegen etwaige Renitenten nur durch den Consul erzwungen werden. Dass derselbe gleichzeitig den Gracchanen den Prozess machte, steht damit nicht in Widerspruch; die damalige Taktik der Senatspartei war offenbar, das Gesetz aufrecht zu halten und die Faction, von der es ausgegangen war, zu verfolgen.

14 3) Popillius war sonach Prätor in Sicilien einige Jahre vor 622, etwa 619 oder 620. Damals war der Sklavenkrieg förmlich noch nicht ausgebrochen; aber schon begann die Bildung von Räuberbanden und die zagende Anwendung von Repressivmassregeln gegen das Unheil, die Diodor XXXIV p. 195 Tauchn. schildert.*) Dahinein greift das Factum vortrefflich, das der Stein von Polla meldet; Popillius ist eben einer der Prätoren gewesen, der die gefangenen Räuber, statt sie zu kreuzigen, aus Furcht vor den römischen Banquiers ihren Herren zurückgab. *Italici* steht gewiss deshalb, weil die Grosshändler theils Römer, theils Latini und Socii waren.

His non habeo quod addam, nisi satis nunc illud perspici, verbis quae sunt EIDEMQVE · PRIMVS · FECEI red[illegible]ri ad consulem, postquam ad praetorem illa tantum ET · EIDE[illegible]M ad HOMINES · DCCCCXVII pertinuerunt.

CAPVT II.

DE EPIGRAMMATE SORANO**)

(accedit tabula lithographa***)).

In versibus Saturniis praestantissimi tituli Sorani, [illegible]ni nunc est in Mommseni I. R. N. n. 4495, postquam bis G[illegible]l-lelmi Henzeni diligentia elaboravit, primum in Diario I[illegible]n-stituti archaeol. a. 1845 p. 71 sqq., iterum Musei nostri ph[illegible]i-lologici t. V p. 70 sqq., paucissima quibus illius disputat[illegible]io

---

*) Diodori haec servata sunt in Photii excerptis p. 526 Wess.: ὧν οἱ πλείους ἀπὸ λῃστείας τὸ ζῆν ἐπορίζοντο, καὶ μεστὰ φόνων [illegible] ἅπαντα, καθάπερ στρατευμάτων διεσπαρμένων τῶν λῃστῶν. οἱ δὲ στρα-τηγοὶ κωλύειν μὲν ἐπεχείρουν, κολάζειν δὲ οὐ τολμῶντες διὰ τὴν ἰσχὺν κ[illegible] τὸ βάρος τῶν κυρίων οἳ ἐδέσποζον τῶν λῃστῶν, ἠναγκάζοντο περιορ[illegible] λῃστευομένην τὴν ἐπαρχίαν· οἱ πλεῖστοι γὰρ τῶν κτητόρων ἱππεῖς ὄντε[ς] τῶν Ῥωμαίων, καὶ κριταὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἐπαρχιῶν κατηγορουμένοις στρα-τηγοῖς γιγνόμενοι, φοβεροὶ τοῖς ἄρχουσιν ὑπῆρχον.

**) [Vide nunc C. I. L. I n. 1175; P. L. M. E. tab. LII *A*, Enarr. p. 46 et 105. C. W.]

***) [Non talem reddendam curavimus tabulam V, qualis olim adhaesit commentationi Bonnensi Berolinensique, sed emendatam eam quae prodiit in P. L. M. E. l. l. C. W.]

suppleatur supersunt. Et ipsos quidem versus vides prorsus ad eas leges factos, quas in monumentis regnare solas nuper dixi in enarratione tituli Mummiani [supra p. 83]:

Quod ré suá d[if]eídens – ásper[é] afleícta
Paréns timéns heic uóuit, – uóto hóc solúit[o],
[De]cumá factá polóucta – leíbereís lubé[n]tes
Donú danúnt Hércolei – máxsumé méreto.
Semól te óránt se [u]óti – crébro cóndémnes.*)

Sic enim evanidae, ut exemplo lithographo nostro evidens fieri voluimus, litterae citra dubitationem instauratae sunt. Nec de interpretatione habeo in quo discrepem. Sed de tempore hic quoque aliquanto certius, nisi fallor, existimari poterit. Nam etsi illud Henzenus dixit rectissime, non posse titulum medium saeculum septimum excedere, tamen mihi ne vicensimo quidem anno eius saeculi videtur posterior esse posse. Quamquam haud scio an ne hoc quidem satis sit, quando nec obstare quicquam video quominus ad ipsa initia septimi saeculi exitumve sexti revocetur, et quaedam esse quae id vel maxime suadeant.

Non haerebo in scripturae specie, satis illa rudi si cum Pollani lapidis supparisque aetatis aequabili concinnitate comparas, multoque propius ad illorum titulorum similitudinem accedente qui velut exeunte saeculo sexto in sepulcro Scipionum scripti sunt vel septimo ineunte in tabula Mummiana: ex ipso sermone petita argumenta praesto sunt. Primum de POLOVCTA forma (nam forma est, non scriptura) recordanda sunt quae supra [p. 117] explicavi. Deinde O pro V habes in HERCOLEI, E pro I in MERETO, utrumque sociatum in SEMOL, cuius formae antiquitatem in priore saltem syllaba servasse Plautinos libros Proleg. p. XCVII sq. narravi. Et HERCOLI quidem exstat praeterea in Fabrettiana p. 659 n. 502 [C. I. L. I n. 815] iunctum cum ANTIOCV nominativo [HERCOLI etiam in suspecta mihi Boissardiana Grut. 6, 2]: HERCO . . . in fragmento Amiternino Mommseni 5757

*) ['Paullo enim minus *crébró condémnes* placet' addit Ritschelius Enarr. p. 46. C. W.]

[C. I. L. I n. 1288; P. L. M. E. tab. LXXVII *C*]: HERCVLIS iam in Mummiano titulo post annum 608 facto (quando absoluta demum aede fieri dedicationem consentaneum est). Quicum aptissime conferes, quod POPVLVS TABVLA VINCVLA SINGVLEI, item CONSVLERE DETVLERIT et si quae sunt affinia, antiquioribus POPOLVS TABOLA VINCOLA SINGOLEI CONSOLERE DETOLERIT formis iam circa tempora tabularum Bantinae Genuatisque et legis repetundarum succedere coeperunt. Similiter MERETO MERETA tenuit antiquitas in Scipionis Barbati f. epigrammate, in Marsorum longe vetustissimis Mommsenianis 5483 et 5567 [C. I. L. I n. 182; P. L. M. E. tab. III *D* et C. I. L. I n. 183], una cum SOLEDAS et CALECANDAM in Aletrinati Orell. 3892 [C. I. L. I n. 1166; P. L. M. E. tab. LII *B*], quae ipsa circa annum 620 facta est. Nolo nimium Scto de Tiburtibus tribuere, in quo iam scriptum esse MERITO proditur: tantum exploratum habeo, ab norma et consuetudine eius aetatis, quae annum 620 insecuta est, adeo abhorrere E litteram pro I servatam, vix ut tria nunc exempla in promptu sint*): DECVMNINEBVS et POSEDET in aere Genuati, OPPEDEIS semel in repetundarum lege. Nam quod plurimorum annorum intervallo interiecto denuo E pro I frequentatum est in tabulis Heracleensibus, prorsus singulare est: quod quale sit, enucleare nuper in Museo nostro philol. studui tomi VIII fasc. 3 [p. 480 adn. = Opusc. II p. 623 sq. adn. ***].

Porro etsi anceps esse sentio et difficile explicatu, tamen non tacebo quod in HOC forma observavi vel potius in HIC pronomine. Quod cum servata E littera bisyllabum tum SC. de Bacanalibus usurpat tum a lege Bantina ad lapides Campanos (Mommseni I. N. 3561 sqq. [C. I. L. I n. 565 sqq.; P. L. M. E. tab. LXIII *A* D]) publica monumenta omnia solum norunt: interiecta fere sexaginta annorum aetas eiusdem formae non magis exemplum ullum praebet quam quae vel medium saeculum VII secuta est vel SC. de Bacanalibus praegressa. Itaque HONC · OINO incisum est in sepulcro

[* Vide de titulo Aletrinati p. XIII sq. infra p. 177. C. W.]

Scipionis Barbati f.: rursus HANC · AEDEM et HOC · PRO in Mummianis titulis Romano Reatinoque post a. 608 factis, HOC · SAXSVM in L. Scipionis Cn. f. Cn. n. sepulcro circa a. 615: utrumque autem genus coniunctum, HAEC · QVAE et HASCE, in Aletrinati lapide, quem etiam hanc ob caussam circa annum 620 scriptum ante dicebam: nam paullo post HINCE habes in miliario Pollano, HACE HANCE HOICE in aere Bantino, et sic porro. In quas successiones vicissitudinesque iam intelleges quomodo HEIC · VOVIT*) et HOC · SOLVTO conveniant posita in Sorano titulo. Ab hoc autem genere decurtato · quemadmodum transitus quidam ad alterum in Aletrinati fiebat, ita rursus ab hoc ad illud reditur in Capuensi 3569 Mommseni [C. I. L. I n. 570] anni 656, ut qui HISCE · MINISTRIS societ cum HAEC · PONDERA: inde enim ab hoc tempore redintegratum monosyllabarum formarum usum prorsus constantem iam leges Cornelia de XX quaestoribus et Antonia de Termesibus testantur cum insecutis omnibus. Cum aliqua igitur confidentia eisdem confiniis transeuntis a monosyllabis ad bisyllabas formas consuetudinis, ad quae iam Aletrinatem titulum referebamus, cum Lucanum illum tribues I. R. N. n. 299 [C. I. L. I n. 1258; P. L. M. E. tab. LIX *F*], in quo *h*OC · MONVMENTV**) legitur, tum Amiterninum n. 5753, in quo HOCE · DELVBRVM et HOCE · LOCO iuncta habes cum IN · VIA · POPLICAM.***) Quos quominus altero illo tempore scriptos putes,

---

*) Nominativo HEIC utor: nam adverbii cum apud scriptores bisyllabam *hice* formam legisse se Lachmannus negat teste Mommseno n. 5882, non magis ego in monumentis usquam HEICE scriptum repperi, tametsi HINCE est in Pollano lapide. Multo autem minus fieri illud potuit, ut HEICEI scriberetur in illo ipso epigrammate: quod mihi etiamnunc videor in HEIC · EI recte dispescuisse in nupera de Mummiano titulo commentatione [p. XVI, supra p. 110].

**) [Ceterum non MONVMENTV in inscriptione legi, ut illic editum, sed MONIMENTV animadvertit Ritschelius Enarr. tab. s. s. p. 52. C. W.]

***) [Cf. C. I. L. I n. 1291; P. L. M. E. tab. LXII *B*, in cuius Enarratione p. 54 haec scripsit Ritschelius: 'Quodsi quis PROXSIMVM (pro PROXSVMVM) scripturam in tam antiquo monumento miretur, praeter

quo rursus ad monosyllaba transitum est indice Capuensi
17 lapide, obstat ipsa M litterae suppressio: cuius, cum de Mummii inscriptione commentabar, non novisse me recentiorem testem quam L. Scipionis Cn. f. Cn. n. titulum dicebam circa a. 615 scriptum, nunc etiam certius intellego anni circiter 620 finibus usum terminandum esse. Nam quae posterior aetas exempla offert longe paucissima, ea aut singularem quandam rationem habere aut summa cum probabilitate soli lapicidarum incuriae tribui cum illic significavi tum alibi aliis me persuasurum confido, ubi quaedam ex hoc genere valde memorabilia dedita opera tractabo.

Habes igitur unde de DONV pro DONVM posito non dubitanter iudices (nam RE · SVA · DIFEIDENS probos ablativos esse verissime contra Henzenum Freundius monuit Musei phil. t. V p. 605). Sed minus etiam dubitationis relictum esse de DANVNT forma puto, quam praecipuam caussam haberi volo, cur ipsis septimi sextique saeculi confiniis Soranum titulum admoveam. Qui enim sunt, quos illa forma usos noverimus? Deciens vel duodeciens *danunt* Plautus posuit: cui quod semel *dane* imperativum tribuerunt Asinariae v. 671, videant quo iure fecerint: quod etiam *danam* Henzenus ascripsit, nescio quo id auctore dixerit. Plauto Naevium Pacuvium Caecilium addit Nonius p. 97: sexti saeculi poetas omnes, nullum septimi. Ne Terentius quidem *danunt* usquam vel aliquid simile. Nam ne similia quidem ultra sexti fines progressa sunt. Qualia habes *nequinont inserinuntur* Liviana, *prodinunt redinunt* Enniana Festo teste vel eius breviatore: item Ennianum *carinare* de quo nuper [supra p. 9] dixi: Plautinum *coquinatum*, si fides codicibus Aululariae III, 1, 3 et Pseuduli 853, ubi *coquitatum* legisse Festus p. 61 videri potest. Nec vel probari vel cum aliqua specie veritatis credi potest, non eiusdem aetatis cetera esse sine testimoniis auctorum a Festo vel e Festo excerpta: *explenunt obinunt ferinunt solinunt*. Nam communi haec omnia lege hac reguntur, quod a primitivis verborum formis productiores factae sunt immissa *in* syllaba, sed ea brevem vocalem non minus in

alia reputet semel FACIENDAM iam in SC. de Bacchanalibus legi.' C. W.]

verbis habente quam in illis quae Musei nostri phil. t. VII p. 315 sqq. [Opusc. II p. 442 sq.*)] tractavi nominibus *itiner iecinoris feminis*. Vnde recte Ennio *carĭnans* et *carĭnantibus* tribuitur: nec non correptum *coquĭnatam* apud Plautum. Quae suapte natura brevis *in* syllaba in longam tum demum crevit, cum coaluit cum alia vocali eaque radicis propria. Ergo ut a *frŭor* ductum est *frūniscor* (produxit enim Lucilius in exitu hexametri *aeque fruniscor ego ac tu* apud Nonium p. 113) hac ratione: *fru-in-iscor*, ita a *ple-in explēnunt*, a *que-in* vel *qui-in nequīnunt*, maioreque adeo necessitate ab *e-in* vel *i-in prodīnunt obīnunt redīnunt*, ut in Enniano versu *Prodi-* 18
nunt famuli —. Hinc perspicitur non recte Godofredum Hermannum de Livii ex Odissia versu sic statuisse in Elementis doctrinae metricae p. 621: ⏑ ∸ *partim érrant néquinunt Graéciám redíre*, qui versus ita metiendus est:

Partim érrantés nequínont – Graéciám redíre;

sed non minus graviter in contrariam partem ab O. Muellero peccari, qui cum Supplem. Festi p. 397 *inserīnuntur* probavit in eiusdem Livii hoc apud Festum v. *topper: Mília ália in ísdem ínserínúntur*, admisit quod nullam ab analogia defensionem patitur. Vbi, cum fidem apud me non inveniat binarum thesium nullo intervallo se excipientium suppressio *ínsériminúntur*, haud scio an rationi una adiecta syllaba satisfiat:

Mília ália in ísdem – ín*tér*serinúntur.

Nisi forte aliquid syllabarum ante *in isdem* vel post ea verba intercidit.

Vnum quiddam sciens praetermisi, ut quod in hac quidem quaestione vim nullam habere intellegerem: quod spectat ad nominativos plurales secundae declinationis *s* littera terminatos in VERTVLEIEIS et LEIBEREIS.**) Non est enim harum usus formarum tam artis temporis finibus circum-

---

*) [Ibi in adnotatione laudantur etiam H. Sauppii quaestiones Plautinae (Gottingae 1858) p. 10 sqq. C. W.]

**) [Conferas quae praeterea congessit Ritschelius Musei Rhen. t. IX p. 156 sq. (= Opusc. II p. 647); in prooemio ind. schol. hib. Bonn. a. 1855 et 56 'de *idem, isdem* pronominis formis' (infra n. XIII) p. VI sq., in indice Enarrationis P. L. M. E. p. 121 b s. v. 'nominativus'. C. W.]

scriptus, hinc ut post ea quae ante disputata sunt aliquid proficiamus: qui, ut breviter dicam, ultra medium saeculum septimum duravit, quamquam paullum annorum est quo eum terminum excesserit. Quod ut ita esse demonstretur, ab eis inscriptionibus ordiendum est, quae quibus annis factae sint compertum habemus. Igitur primum in SC. de Bacanalibus anno 568 scriptum est EEIS VENIRENT, item bis QVES ESENT, quod non hinc alienum esse facile perspicitur. Minimo post intervallo *conscr*IPTES apparet in aere Fundano I. R. N. 4139 [C. I. L. I n. 532; P. L. M. E. tab. II *K*], quod vix posse falli videor cum ipsi anno 571 tribuo.*) Proximo saeculo primum EIS IOVRANTO lex tabulae Bantinae § 3 offert. Sequitur ITALICEIS in Argiva pseudograeca C. I. Gr. 1137 [C. I. L. I n. 596], quam praeclaro acumine Cavedonius in Diar. Inst. arch. a. 1846 p. 185 sq. cum latinitati reddidit tum ad annum 636 rettulit**): quod contra ITALICI scribitur in Argiva altera simillima [C. I. L. I n. 595; P. L. M. E. tab. LXX *A*], sed anni, ut Borghesius Decad. numism. XVI, 3 [Opp. II p. 247 sqq.] docuit, 663. Vno post anno frequentavit hoc genus Minuciorum sententia aeris Genuatis, in quo cum HISCE FINIS VIDENTVR ESSE habes et mirum illud EVS QVEI POSSIDEBVNT pro EIS accipi solitum, tum praeter pronomina MINVCIEIS RVFEIS COGNOVERVNT et VITVRIES VITVRIS et CAVATVRINEIS CAVATVRINES et bis MENTOVINES: quibus cave DECTVNINES addas, ut a quo DECTVNINEBVS declinatum
19 sit. Pergo ad legem de repetundis, non tantum EIS IVDICES SVNTO § 8, EIS IVDICES LECTEI ERVNT § 10, EIS CENSVER*unt* § 17, EIS FACIVNTO § 19, et EISDEM IOVDICES SIENT § 10 exhibentem, sed etiam CDL·VIREIS LECTEI ERVNT § 6, NEPOTES EIEI FILIO GNATEIS § 23, pro quo non satis capio qui GNATEI *Sunt* legi ius-

*) [Haec accurate exposuit Ritschelius Musei Rhen. t. IX p. 2 adn. (infra n. VII). C. W.]

**) [Vide infra p. 29 (150). — Ceterum cf. P. L. M. E. Enarr. p. 61 'Vbi (in titulo Argivo pseudograeco) pro ITALICEIS, quod vix obnoxium esse dubitationi puto, nollem ITALICEI ab Henzeno Or. 5295 editum.' C. W.]

serint. A qua lege paucissimorum annorum spatio distans lex agraria anni 643 tamen ter tantum similiter: QVEIQVOMQVE POST HAC FACTEIS ERVNT § 12, QVEI PVBLICEIS [*agrei fuerunt*] § 14, [*quei popul*]EIS LEIBEREIS IN AFRICA SVNT § 36: quamquam fieri potest ut in medio verius Goettlingius PVBLICEI testetur. Circa idem autem tempus in titulis Campanis frequentari haec coepta sunt: MAGISTREIS in I. R. N. 3560 [C. I. L. I n. 563], HEISCE MAGISTREIS ibid. 3561. 3562 [C. I. L. I n. 565. 566; P. L. M. E. tab. LXIII *A B*] (fortasse etiam HEISCE MAGISTREI 3563 [C. I. L. I n. 567]), HEISCE MAG. 3565 [C. I. L. I n. 569; P. L. M. E. tab. LXIII *D*], HISCE MINISTRIS 3569 [C. I. L. I n. 570], annorum quidem 643. 646. 648. 655. 656: quibus vicinum est IEIS INPROBARINT in lege Puteolana anni 649 (I. R. N. 2458 [C. I. L. I n. 577; P. L. M. E. tab. LXVI]). Recentiora exempla novi nulla h. e. quae esse recentiora vel necesse sit vel ullo certo argumento probabile. Remotissimi aevi Venusina est Orell. 3257, in qua IEI*S* CENSVERE legendum esse credo cum Mommseno I. R. N. 715 [C. I. L. I n. 185]; antiquitatem Amiterninarum ib. 5758. 5764, quarum in altera L · P · MODIES legitur, in altera *mag*ISTRES superstes est, ipsa ES pro EIS vel IS terminatio testatur*); circa annum 620 Praenestinam illam factam esse, in qua est EISDEMQ · LOCVM · EMERVNT, supra disputavi p. 7 [121 sq.]; ad Campanarum similitudinem proxime accedit Corfiniensis ib. 5351 [C. I. L. I n. 1279; P. L. M. E. tab. LXIV *J*] MAGISTRI LAVERNEIS offerens; nec quicquam caussae est profecto, cur recentior vel eiusdem Campaniae haec ib. 1909 A · FREIO — — P · L · FREIS FILIEI FECERVNT, vel Massica illa 5618**) habeatur in qua

---

*) [Cf. C. I. L. I n. 1293; P. L. M. E. tab. LX *L*, in cuius Enarratione p. 54 dixit Ritschelius: 'cum dubitari vix possit quin v. altero MAG et ISTRES syllabas sociatas habuerit, apparet fracti lapidis partes interlita calce nimio intervallo diremptas esse.' C. W.]

**) [Cf. C. I. L. I n. 1169; P. L. M. E. tab. LXX *F*; vide 'de *idem isdem* pronominis formis' (infra n. XIII) p. VI Ritschelium de recentiore origine huius inscriptionis disserentem; cf. etiam Musei Rhen. t. XIV p. 379 sq. (infra n. XIV). C. W.]

P·T·SEX·HERENNIEIS·SEX·F·SVPINATES apparent, vel denique Formiana 4102 rursus *e*ISDEMQVE PROBAVERE sistens.*) Certum igitur fundamentum habes, unde profectus valde inconsideratum Freundii iudicium reprimas, ad Tiberii Imp. aevum Coranam illam Orell. 3808 [C. I. L. I n. 1149; P. L. M. E. tab. LXVIII *C*] reicientis Musei phil. t. V p. 606: M·MANLIVS**) M·F·L·TVRPILIVS L·F· DVOMVIRES — — COERAVERVNT EISDEMQVE PROBAVERE: quem nimirum metaplasmum Hartungus interpretatur de casibus libro p. 252. Eam tamen inscriptionem ne ad Sullana quidem tempora recte referre Henzenum ibid. t. VI p. 615 concedet, qui multo prius cessasse ES terminationis usum reputaverit. Nec Caesaris auctoritate interposita quicquam in contrariam partem poteris, de quo sic Charisius p. 86 prodidit: *Is homo idem compositum facit: nisi quia Caesar libro secundo singulariter idem, pluraliter isdem dicendum affirmat: sed consuetudo hoc non seruat.* Quae si sana sunt, credi ille poterit, ut *idem homo* ab *idem (eidem iidem) homines* discerneretur, aliquamdiu intermortuam scripturam, sed quae vixerit tamen olim, resuscitari iussisse, quamquam sine eventu iussisse. Quodsi de transponendis Charisii verbis Nipperdeius p. 757 cogitat, hoc modo: *nisi quia Caesar libro secundo idem pluraliter, singulariter isdem dicendum*

---

*) [Cf. C. I. L. I n. 1192; P. L. M. E. tab. LX *K* et Enarr. p. 53, ubi haec scripsit Ritschelius: 'Formianum etsi «litteris vetustis» scriptum Mommsenus I. R. N. 4102 suo iure dixit, tamen propter MVRVM et CVRAVERE scripturam, de qua egi Mon. epigr. tr. p. VI, non videtur medio saeculo septimo posse antiquior haberi.' C. W.]

**) [Immo M·MAELIVS, cf. Ritschelius Musei Rhen. t. IX p. 157 (= Opusc. II p. 648) et Enarr. tab. s. s. p. 60, ubi haec scripsit: 'Non fuit autem auctor huius tituli qui ab omnibus putatur cum L. Turpilio M·MANLIVS quidam, sed M·MAELIVS. Nec enim AN litteras lacunae spatium capit, nec neglegendum fuit quod ante LIVS in imo versu superstes est quamvis pusillum vestigium talis litterae quae aut L aut E esse potuit, non potuit N: cuius rei et oculatum testem habeo Brunnium et mutum chartaceo ectypo expressum exemplum, in quo reputandum est octuplo maiorem titulum apparere. Et reapse MALLIVS, non MANLIVS, editum est olim a Fabrettio p. 342 n. 528. Verum qui metiri intervalla volet, facile ne L quidem litteram convenire in spatii angustias intelleget, sed unam E illa aliquanto breviorem.' C. W.]

affirmat: ita quidem novasse Caesar de suo credendus sit in singulari, quod usitatum ullo tempore fuisse ignoremus. Nam quod secundum codicem Charisii non habent sane *nisi quia* verba, h. e. *nisi quod,* quo satis recte referri dicas: intercidisse potius aliquid probabile est, quo non hoc tantum, quale compositum *is homo* faceret, sed etiam, quale *i* (*ei, ii*) *homines,* diceretur, sive id *idem* de grammatici sententia item fuit sive *eidem* sive *iidem.**)

His autem ita uti fecimus exploratis iam non anceps esse de Bentleio iudicium potest, quin ille in Eunuchi II, 2, 38 praeter rationem Prisciani XII p. 948 hoc testimonium reiecerit: *inueniuntur tamen etiam nominatiuum pluralem hisce proferentes antiqui, ut Terentius in Eunucho hisce hoc munere arbitrantur suam Thaidem esse:* quae verba turpiter pessum dedit theologus Lipsiensis t. I p. 554. Vt non tantum ubi libri servarunt, sed etiam quibusdam aliis in locis cum Plauto tum Terentio ille *hisce* nominativus haud haesitanter restituendus sit. Quod quia cum aliis quaestionibus coniunctum est, velut de *illisce* forma Plautina (ut Most. 510), hic leviter perstrinxisse satis habeo, alibi tractabo curatius. — Verum tamen his omnibus nondum satis praesidii paratum video *laetitias insperatas* nominativis, quos in Atellanarum scriptoris Pomponii apud Nonium p. 500 hoc septenario: *Quód* (immo *Quot*) *laetitias ínsperatas módo mi inrepsere ín sinum* quidam indagasse sibi visi sunt post Hartungum. Nam ut taceam quod inter Plautum Terentiumque atque Pomponii aetatem temporis intervallum intercedit, in tanta exemplorum multitudine ne unum quidem habes ad primam declinationem pertinens: in qua si item *s* litteram umquam vetus lingua servavit, ut est sane prorsus credibile, fecit id saltem eis temporibus quae antiquissimorum aetatem monumentorum superant. Pomponio igitur vix dubito equidem quin pro veris accusativis *laetitias insperatas* fuerint, suspensis e verbo transitivo cum aliquo quod praecessisset sub-

*) [Haec accuratius exposuit et ex parte retractavit Ritschelius 'de *idem isdem* pronominis formis' (prooem. ind. lect. Bonn. hib. a. 1855 et 56; infra n. XIII) p. III sq. C. W.]

iecto. Quale verbum non videtur sane *inrepsere* esse posse: potest fortasse *inrupere*, quemadmodum Varro in satura *naui-*
21 *cularius semustulatus irrumpit se in curiam* dixit apud Nonium p. 263: quamquam aliquantillum interesse haud nescio.

Tantum quidem de his. Ceterum versu sexto epigrammatis Sorani LVBENTES edidit Henzenus cum Mommseno: ab exemplo, quod lithographo sequendum fuit, N littera abest. Quam tamen olim a lapide afuisse credibile non est.*) Ne enim de LVBETES scriptura cogites, hoc dissuadet quod, etsi suis temporibus usitata fuerunt COSOL COSOLERE CESOR LANGESES TERMESES et similia, ut in Pollano titulo COSENTIA, nec inusitata COIVNX vel QVICTILIS, tamen ante *t* extritae *n* litterae exemplum, quale DEDROT illud est in vetustissima Pisaurensi, ista quidem aetas ignorat. Quod genus satis late patens hic persequi longum est, praesertim cum aliquid explicandum restet quo supra posita de miliario Popilliano disputatio suppleatur: quod quidem ad CONQVAEISIVEI formam spectat. Ac de triphthongo illa non habeo quod addam: quando in inscriptione sepulcrali apud Lupum Sever. mart. p. 88 et 94 non possum CAEICILIVS scripturam cum Furlanetto agnoscere. Sed dum in hoc moror, oblitus sum de ipsa CONQVAESIVEI forma dicere pro *conquisiuei* posita: quando haec quoque non levi antiquitatis indicio est. Quam, si librariis fides esset, post Plautum a nemine esse usurpatam credendum esset. Quamquam non magnam eam fidem esse, ipsi Plautini libri

---

*) [Contrarium statuit Ritschelius P. L. M. E. Enarr. p. 46: 'Versui 6 extremo additae N litterae, quam Henzeni cum in «Bullettino» Rom. a. 1845 p. 71 tum in Museo Rhen. t. V p. 70 exempla xylographa praestant servavitque idem Orell. t. III n. 5733, nullum in ullo ectypo (habui autem tria) vestigium repperi. Vt reapse scriptum esse LVBETES videatur, contra atque Mon. epigr. tr. p. 21 opinabar: quando non prisca tantum aetate DEDROT et fortasse EMERVT, sed etiam recentiore *Vicetia* (VEICETINOS habes tab. LV *B*) scriptum est, et si quae sunt similia ut PARETES VALETINIANI.' Quibus adde in Supplem. Enarr. p. 105 scripta: 'Enarr. p. 46 non recte sensi de VEICETINOS scriptura, quam ipsam veram et antiquam nominis formam esse cum alii docuerant a me neglecti tum dedita opera memet Mommsenus edocuit Musei Rhen. t. XVI p. 303 sq.' C. W.]

planissime declarant. Nam cum in Aulularìae IV, 10, 70 *exquaere* Priscianus I p. 561 legisset, tamen nec Vetus nec Vaticanus servarunt. Omninoque in exemplis circiter quinquaginta verborum a *quaero* compositorum non saepius quam sexiens diphthongum illi tuentur vel vicariam eius *e* vocalem: Pseuduli v. 450 *exquaerere* cum Ambrosiano, Bacchidum 721 *exqueris*, Cistellariae IV, 2, 99 *exqueritote*, Stichi 107 *exquaesitum*, Captivorum 293 *exquesiuero*, Mercatoris III, 4, 48 *requereres* solus Vetus. Quo accedit ex Ambrosiani, nisi quid me fefellit, vestigiis erutum Pseuduli 392 *exquaere*. Ceterisne igitur locis omnibus eundem poetam *exquire exquisiuero requiram* et cognata posuisse? Credat qui poterit: tametsi eam scripturam vel Ambrosianus aliquotiens testatur ut in Bacchidibus 951, in Persa IV, 3, 17. 4, 56. 6, 14, in Casina III, 5, 49, in Epidico III, 4, 56.*) Nec Bembinus Terentii diphthongum umquam servavit: quam tamen ne septimo quidem saeculo abolitam fuisse non solum Popillii monumentum, sed ipsa documento est lex repetundarum, CONQVAERI et CONQVAESIVERIT servans § 12. Quamquam in aliis vocibus mutatam in *i* diphthongum iam Plautina aetas aut agnovit solam, aut ascivit adeo praeter posteritatis consue- 22
tudinem. Non memini me *concaedere occaedo occaesus* usquam legere in codicibus; sed *pertisum distisum* veteribus placuisse Festus cum Paulo testantur p. 216 sq. et 72, Scipionem Africanum dixisse idem ille Festus p. 273, 9 scribit, alios frequentasse a Festo commemoratus Lucilius. Item *deficatam*, pro quo *defaecatam* vulgatur, latuit adhuc Mostellariae v. 158 in librorum scriptura *edificatam*. Contra, ut *conquaesiui exquaero*, ita *exaestumo* olim exstitisse cum e Mario Victorino intellegitur, damnante eam scripturam p. 2467, tum extra dubitationem lex repetundarum ponit, ipsum EXAESTVMAVERIT exhibens § 6.

---

*) [Cf. de fictilibus litteratis (infra n. X) p. 23. C. W.]

CAPVT III.
DE VOCALIBVS GEMINATIS DEQVE L. ACCIO GRAMMATICO.

Tralaticium est geminasse scribendo veteres Romanos quas vocales enuntiando producerent. Nec mirum creditum id esse a plerisque omnibus, cum ipsum Quinctilianum auctorem haberent sic testantem I, 4, 10: *at quae ut uocales iunguntur, aut unam longam faciunt, ut ueteres scripserunt qui geminatione earum uelut apice utebantur, aut duas* e. q. s.*) et aliquanto etiam planius I, 7, 14: *semiuocales geminare diu non fuit usitatissimi moris, atque e contrario usque ad Accium et ultra porrectas syllabas geminis ut dixi uocalibus scripserunt* [et Priscianum instit. VII, 14 p. 736 P. *longas uocales uetustissimi geminare solebant;* 15 p. 737 *uetustissimi pro una longa uocali solebant duas scribere*]. Itaque cum praeter Accium in eadem caussa etiam Livii atque Naevii mentionem factam a Mario Victorino vidissent, ad quem revertetur oratio, bona fide grammaticorum filii, servasse geminandi consuetudinem Livium Naevium Accium, certatim ad hunc usque diem scriptitavere, inque his viri optimi, velut quos honoris caussa nomino, Io. Ger. Vossius Aristarchi II, 12 et Conr. Leop. Schneiderus gramm. I p. 96. Verum enim vero quid esse illud dicamus, quod tam certis
23 ut visum est testimoniis ipsa monumenta repugnant ut quod maxime? Nam ut dicam quod res est, ne unum quidem geminatae vocalis exemplum vel certis temporibus factae inscriptiones saeculi sexti monstrant, vel earum multitudo praestat quae sine certorum annorum indicio a quinto ad septimum saeculum pertinent: hoc est, nullam per illa

*) Sequuntur haec: *nisi quis putat etiam ex tribus uocalibus syllabam fieri, si non aliquae officio consonantium fungantur.* Quibus verbis fieri potest ut illuc spectarit, quod reapse per aliquod tempus d[illegible] certa, ut supra conieci, doctrina quadam AEI scriptum est pro AE vel AI. [Accuratius de ea re exposuit Ritschelius Musei Rhen. t. XXI p. 613 = Opusc. III p. 726. C. W.]

ipsam aetatem totam, cuius fuere Livius Naeviusque cum proximis usque ad Accium poetis. Velut prorsus ignorant geminationem Scipionum tituli ad unum omnes praestantissimumque de Bacanalibus monumentum illud; nec magis vel Pisaurenses lapides norunt vel Furiorum sepulcrum Tusculanum vel laminae aereae antiquissimae vel in vasis quibusdam et figlinis pictae epigraphae. Vt profecto non agat temere, qui de fide Quinctilianeae narrationis paullulum addubitare coeperit eamque dubitationem num quo documento vel argumentatione firmare possit, circumspiciat. Quod facientibus primum non poterit non mirum accidere quod, etsi Accium in ea quaestione alii grammatici item commemorant, tamen id longe alia ratione faciunt: nec enim ad Accium et ultra, ut Quinctilianus, esse geminatum scribunt, sed geminatum ab Accio. Sic enim Velius Longus p. 2220: *nam nec Accium secuti sumus semper uocales geminantem ubicumque producitur syllaba, quoniam expedita debet esse condicio scribendi.* Nec minus aperte Terentius Scaurus p. 2255: *primum igitur per adiectionem illa uidentur esse uitiosa, quod Accius geminatis uocalibus scribi natura longas syllabas uoluit, cum alioqui adiecto uel sublato apice longitudinis et breuitatis nota posset ostendi. nam singulares uocales et produci et corripi possunt* e. q. s. Hanc igitur in partem illis testantibus operae pretium est expendere, quid tandem Marius Victorinus prodat. Cuius apud Putschium p. 2456, Gaisfordum p. 8 verba infra posui qualia in Parisino libro leguntur, a quo non differre eiusdem saeculi Valentiânum Henricus Keilius me certiorem fecit: *Accius uero cum scriberet* anguies angules *imponebat. idem nec* z *literam nec* y *in libro suo retulit, quia quae ante fecerant Naeuius et Liuius, cum longa syllaba scribenda esset, duas uocales ponebant, praeterquam quae in* i *literam inciderant, hanc enim per* e *et* i *scribebant.* Vbi *anguis angueis* editum a Putschio, et *item* pro *idem.* Hiscine igitur tam misere conceptis verbis corruptelamque suam palam clamantibus credi potuisse Accii Naevii Livii communem geminandi consuetudinem fuisse? Quae qui paullo minus incogitanter perlegerit, facile intelleget facili opera sic emendari: *Accius uero cum scriberet* angulus, aggulus *ponebat. idem nec* z *literam*

nec y *in libros suos rettulit, quamquam* (*id*)*) *ante fecerant*
24 *Naeuius et Liuius; et cum longa syllaba scribenda esset, duas uocales ponebat, praeterquam quae in* i *literam inciderent: hanc enim per* e *et* i *scribebat.* Et pluralis quidem *ponebant* . . . . *scribebant* similiter atque paullo post in haec irrepsit: *Cneius Pompeius Magnus et scribebant et dicebant kadamitatem pro kalamitatem*, irrepsit autem ex eis quae praecessere. Exorsus enim ab *antiquis* Victorinus, qui *consonantes literas non geminabant* et *sicilicum imponebant* et *aussus scribebant* nec *cm ponebant* ideoque non *Alcmenam dicebant* (de quo genere nuper exposui Mus. phil. VIII p. 475 [Opusc. II p. 473] sqq.), nunc totus in eo est ut, quid singuli homines auctoritate pollentes instituerint ac probaverint, breviter perstringat: Iulius Caesar Vopiscus, Accius, Naevius, Livius, Pompeius, Nigidius Figulus, Licinius Calvus, Divus Augustus, Messalla, Brutus, Agrippa. E superioribus igitur etiam *imponebat* per errorem inlatum est pro *ponebat*.

Porro *aggulus* voluisse Accium pro *angulus* scribi, citra dubitationem ponit praestantissimum Prisciani I p. 556 testimonium, sed illud egregio demum supplemento e Leidensi codice ab Iacobo Gronovio auctum in dissertationibus Livianis p. 20, e Monacensibus a Leonardo Spengelio in Varr. p. 7, cui leves maculas quasdam cum olim in comm. de disciplinarum libris Varronis p. 24 Museique phil. VI p. 530 [Opusc. III p. 373. 469] abstersimus, tum nunc demimus: *transit* (de *n* loquitur) *in* g *ut ignosco.....: et sequente* g *vel* c *pro ea* g *scribunt Graeci, et quidam tamen (etiam) uetustissimi auctores Romanorum, euphoniae causa bene hoc facientes, ut agchises agcéps aggulus aggens. quod ostendit Varro in primo de origine linguae latinae his uerbis: 'ut Ion scribit, quinta uicesima est littera quam agma uocant, cuius forma nulla, set uox communis est Graecis et Latinis, ut (in) his uerbis aggulus aggens agguilla iggerunt. in huiuscemodi Graeci et Accius noster bina* gg *scribunt, alii* n *et* g, *quod in hoc ueritatem facile uidere* [*est, in illo* adde] *non est; similiter agceps agcora'*: nam haec omnia Varronis sunt. Nisi quod *bene* illud quid sibi velit,

---

*) [Sed cf. infra p. 28 (150). C W.]

hoc minus perspicio quo planius, non probare se talem scripturam, grammaticus p. 569 ostendit: *apud Latinos tamen servatur* n, *ut angelus Longinus Anchises.* Quare videndum ne *euphoniae causa nempe hoc facientes* scripserit. Nec probasse Nigidius Figulus videtur, e cuius commentariis haec Gellius XIX, 14 excerpsit: *inter literam* n *et* g *est alia uis, ut in nomine anguis et angari et ancorae et increpat et incurrit et ingenuus: in omnibus enim his non uerum* n, *sed adulterinum ponitur.* Ascripsi haec omnia ut apertior esset Marii Victorini in alio loco quodam emendatio, qui est p. 2465 P. 21 G.: *anceps ancilla ancilia angustum anquirit non iudico per an, sed more Graecorum per ag solitum scribi. nunc adiicio* e. q. s., quibus in fine haec subiciuntur: *et* (*ut* vulgo) *anceps et ancilla et angina et angustum et anquirit et ancora et similia per* n *potius quam per* g *scribite.* Pro eo quod ab initio est *ancilia*, in fine *angina*, Parisinus codex bis exhibet *angitia*: quod nisi forte ad Aeneidos versum VII, 759 spectat (quando ad Vergilium potissimum omnem applicare doctrinam suam latini grammatici consueverunt), quod habeo tamen cur addubitem, scribendum esse utroque loco *angina* videtur. Praeterea priore loco et *ancora* intercidit post *anquirit* et ibidem in transversum detorta est mens grammatici, quippe qui nequaquam iudicet '*non per an, sed more Graecorum per ag*' vel scribendum esse vel scribi solitum. Vt paucis complectar, apage illud importunum *iudico*, quod nec coit sana ratione cum eo quod consequitur *nunc adiicio*, nec magis in Parisino legitur quam *scribi*, sed *iudicat* et *scribere.* Ergo dispestas *iu dic at* syllabas licebit *iā dix̄ at*[*tiū*] interpretari, misereque obscuratam Victorini memoriam omnem sat clara in luce ita conlocare: *anceps ..... anquirit ancora iam dixi Attium non per an, sed more Graecorum per ag solitum scribere: nunc adicio, sicut inter* m *et* n *litteram uox media tam Graecis desit quam nobis* (de qua re dixerat p. 2462 sq. P. 17 sq. G.), *ita inter* n *quoque et* g *deesse. neque enim illi,* ἄγγελον *et* ἀγκάλην *et similia siue per* ν *siue per* γ *scripserint, alterutram in pronuntiando litteram exprimunt, nec nos, supra dictas uoces siue per* n *siue per* g *scribamus, proprie aut* n *exprimimus in dicendo aut* g

sed mediam (haec inserenda): *quae uox quoniam ordini litterarum nostrarum deest et familiarior auribus nostris* n *potius quam* g *est, anceps ..... scribite.* In quibus correxi quae esse corrigenda res ipsa clamaret.

Effectum est ut quadruplici testimonio ad unum Accium geminandarum vocalium consuetudo referretur, seiungeretur ab Accii societate Livii Naeviique memoria. Quibus quod *z* et *y* litterarum aliquis usus correctis a me Victorini verbis tribuitur, non habeo quidem quo id quale fuerit accuratius definiam, sed tamen fide non necessario esse destitutum intellego. Quidni enim potuerint illi, quod saltem ex parte iam ante eos factum esse sat certo constet? quando *z* litteram et in antiquissimis fuisse latinis certum est et eandem in carmine Saliari Velius Longus p. 2217 legit et indidem Varro de l. lat. VII, 26 protulit: quode aliis subtilius Mommsenus exposuit de dial. Ital. inf. p. 33. 216. Itaque etsi *Setus*
26 (vel potius SETVS, ut est in saeculi septimi Amiternina I. R. N. 5825 [C. I. L. I n. 1299]), non *Zethus* scripsisse Pacuvium probabiliter Fleckeisenus coniecit in epistula Plautina ad me data p. XIII, *sonam* autem pro *zonam* Plautum posuisse ipsi codices fidem faciunt, tamen cur necessario ab eo poeta illius litterae usus omnis abiudicetur, non video satis rationis esse: eaque caussa fuit cur Mus. phil. VII p. 566 [= Opusc. II p. 529] dubitare me significarem, num satis prudenter praeter libros omnes *trapessita* Plauto pro *trapezita* obtruderetur. Longe sane plus dubitationis fatendum est de *y* littera esse a Livio Naevioque iam usurpata. In cuius locum substitutae *u* vocalis usum et patuisse latissime et diu solum obtinuisse cum Plautinorum exemplorum quorundam singularis condicio facit ut facile credamus, tum etiam firmius
4 monumentorum eo in genere constantia persuadet. Plautina talia dico qualia habes Bacchidum v. 129 et 362:

> Non omnis aetas, Lyde, ludo conuenit.
> Facietque extemplo crucisalum me ex Chrysalo:

ubi nisi *Lude* et *Crusalo* pronuntiatum putaveris, ipsum acumen sententiae perierit.*) In monumentis autem non AMVCES

*) Habebit igitur quo se tueatur, qui ex Plautinis fabulis *y* lit-

tantum quinto saeculo scriptum est in speculo Ficoroniano, septimo autem PVL, quod PVL*ades* interpretor, non *Polus* cum Goettlingio p. 71, in pagi scito Herculaneo, VENERVS HERVC*inae* in tegula Neapolitana I. R. N. 6306, 1 [C. I. L. I n. 1495] (quae propter genetivi formam illam non est medio saeculo recentior: unde de Casinati 4227 [C. I. L. I n. 1183] existimari poterit CERER · ET · VENERVS exhibente), sed etiamtum anno 693 *p(h)ilar*GVRVS *si*LANI in tessera gladiatoria apud Cardinalem Diplom. n. 172 p. 121, inque simili anni 695 PILARGVRVS PROCILI ibid. 175 [C. I. L. I n. 729; 'Tesserae gladiat.' p. 311 n. 17 ibique tab. I *H*, ubi est PHILARGVRV], eodemque anno SVRVS in Vaticana ms. ab Avellino edita Opusc. II p. 295 [C. I. L. I n. 602]: in quo nomine, ut hoc tamquam praeteriens adnotem, SIRIA non prius quam circa annum 724 in Orelliana n. 572 [I. N. 4320 ubi est SYRIA] scriptum repperi, quamquam semel sane antea, sed semel tantum quod sciam, I pro Y ascitum est in Arpinati illa I. R. N. 4472 [P. L. M. E. tab. LXXVI *C*; C. I. L. I n. 1178], cuius vetustatem CLOVACAS forma prodit, ubi SISIPVS habes, non SISVPVS.*) Vides expeditum usum Y litterae et communem consuetudinem non ante saeculum octavum fuisse, h. e. paullo post aspirationem consonantium 27
constanti more receptam, id quod vergente iam saeculo septimo esse factum nuper [de titulo Mummiano p. V (supra p. 89 sq.)] ostendi novorumque multitudine exemplorum nunc comprobare possum.**) Vnde rectius anno 699 Grute-

teram omnem atrocius expellendam edixerit: sed idem ita tamen, ut etiam geminatas consonantes omnes et omnes aspiratas et praeter has alia quaedam ipsa poetae manu numquam scripta non patientius exturbet et *Calicles Carmides Bacides Tesala Pilocomasium Crusalus Arguripus* instauret: nec in discernendis *bracchium brachium, marsuppium marsupium, repperit reperit, mustella mustela, comesum comessum, mille milia, anus annus anulus, uilla uilicus* et quae sunt finitima satagat, sed simplicitatem consonantium perpetuet.

*) [Cf. Musei Rhen. t. X p. 448 (Opusc. II p. 479) et 'Tesserae gladiatoriae' p. 334 sq. C. W.]

**) Vt paucis complectar, non aspiratum est, si a longe paucissimis recesseris, usque ad annum 660: promiscue vel aspiratum vel non aspiratum ab anno 660 ad exitum saeculi: aspiratum constanter

rianam tesseram p. 334, 5 [C. I. L. I n. 721], in qua est PHILARGYRVS LVCILI, tribues quam anno 684 cum Cardinale p. 121 n. 171, qui PHILARGVRVS expressit nullo auctore: habebisque quibus aetatis finibus velut haec discrimines, LVSIMACVS in plumbea lamina apud Ficoronium II, 1 n. 18 et Garruccium tab. III, 16, PHILARGVR· cum NICEPOR· sociatum in Capuensi I. R. N. 3662 [C. I. L. I n. 1203], PHILARGVRVS cum PHILOM .... in Borbonica 6591 [C. I. L. I n. 1241; P. L. M. E. tab. LXXVI *H*], PHILARGVRVS cum PHILEROTI in Fabrettiana X, 577 p. 750 (ubi quater scriptum MVMIVS non potest non pro *Mummius* esse), CALITHVCE cum MALCIO in Amiternina I. R. N. 5854 [C. I. L. I n. 1300; P. L. M. E. tab. LXXVI *G*], haec igitur discrimines ab illis quae graeca littera suscepta scripta sunt PHILARGYRO in Venusina 734 [C. I. L. I n. 1268; P. L.

praeter rarissima quaedam exempla ab exitu septimi saeculi. Olim [de titulo Mumm. p. V (supra p. 90)] collectis exemplis velut haec addere licet: primum ex anni 656 Capuensi [C. I. L. I n. 570] carentia aspiratione PILOMVSVS PILEMO PILOTAER·NICEPOR. Deinde mediae post a. 660 aetatis haec praeter supra posita: circa a. 670 POPVLVS· EPHESIVS in C. I. Gr. n. 5881 *b* [C. I. L. I n. 588; P. L. M. E. tab. LXXII *A*], anni 662 ARCHELAOS in Athoa supra publicata, anni 683 PILOTIMVS in Cardinalis Dipl. p. 121 n. 168 [C. I. L. I n. 720], anni 696 ELEVTHERVS ib. 176 [ibid. n. 730], anni 698 PHIL*ippo* ib. 177 [ibid. n. 731], anni 700 TEOPROPV ib. 178 [ibid. n. 732]: sed praeter cetera in anni 695 ampliore inscriptione illa quam Avellinus Opusc. II p. 295 vulgavit [C. I. L. n. 602], mira varietate utrumque genus sic mixtum: APRODIS·PHILEMO·POTHVS·PHILOGEN·ANTIOC· TIASVS·PAMPHIL·ANTIOC·PHARNAS. Contra statim ab anno 701 PHILODAMVS habes in tessera Orelliana 2562 *b* [C. I. L. I p. 200 *a*], nisi haec potius anni 722 est, anno 702 PHILEMO apud Card. n. 179 [C. I. L. I n. 734], anno 708 PAMPHILVS ib. 182 [ibid. n. 736], anno 710 PHILOGEN ib. 183 [ibid. n. 738], et sic deinceps reliqua. Hinc autem nummorum in eo genere varietas iudicanda potius, quam e nummis ipsum genus definiendum. [Vide nunc P. L. M. E. tab. XCI. XCII et Enarr. p. 79: 'Tabularum XCI. XCII promiscua varietate illud potissimum volui luculentis exemplis perspici, quanta inconstantia circa confinia saeculi septimi et octavi fluctuatum sit in eis generibus duobus, quorum alterum ad aspirationem consonantium spectat, alterum in substituto pro V littera latina Graeco Υ ψιλῷ versatur.' Cf. etiam 'tesser. glad.' p. 305. C. W.]

M. E. tab. XCI *D*], GLYCERAI in Beneventana 1590, DIONYSIuS in Neapolitana 2897 [C. I. L. I n. 1210; P. L. M. E. tab. LXXVI *A*], HYMNINIS LYSSA DIONYSIA in Capuensibus 3681 [C. I. L. I n. 1206; P. L. M. E. tab. XCI *E*]. 3732 [C. I. L. I n. 1208; P. L. M. E. tab. LXXVI *K*]: ne nunc plura coacervem. Neve infringi hanc argumentationem contrarii generis exemplis putes, sciendum est primum ficticium esse L. Cornelii Sullae titulum VENERI ERYCINAE VICTRICI dicatum apud Orellium n. 1363: quem cum iam Muratorius p. 58, 10. 1982, 1 merito suspectum habuisset, frustra defensum a Borghesio Observ. numism. dec. IX p. 9 suo iure in falsis rettulit Mommsenus I. R. N. 198*. Praeterea potest sane Y littera exstare videri in anni 662 hac inscriptione e Vaticano codice excerpta [C. I. L. I n. 578], quam a Borghesio communicatam cum Mommseno infra posui:

C · CLAVDIO · M · PERPENNA · COS 23
MENS · QVINC · MYSTEDIEI
L · LVVCEIVS · M · F · LEG · P · LIVIVS · M · L · PAL
M · LVVCEIVS · M · L · L · ARTEMIDORVS
Q · HORTENSIVS · M · L · ARCHELAOS

Cuius versu altero cum extremum vocabulum Mommsenus praeclaro acumine MYSTERIEIS interpretatus sit, tamen ipsa secunda littera eius vocis in Borghesiana quam ipse vidi epistula tam ambigue, idque consulto ut puto, picta est ut Y an V sit prorsus non liqueat. Verum ut Y reapse exstet in lapide, singularis quaedam excusatio praesto est monumento in monte Atho reperto [cf. C. I. L. l. s. s.], cum in graecis regionibus aliquanto prius quam in Italicis increbrescere graecae litterae usus posset.*) Eandemque excusationem ad illum titulum transfero quem populo Romano circa annum 670, ut probabiliter conicitur, POPVLVS LAODICENSIS AF LYCO fecit, C. I. Gr. n. 5881 [C. I. L. I n. 587; P. L. M. E. tab. LXXII *B*], tametsi in eiusdem ut videtur aetatis titulo 5880 [C. I. L. I n. 589] scriptum est LVCIOS. — Nec vero lapidibus in hoc genere nummi repugnant. In quibus quae gentes Considia, Manlia, Plautia usurparunt:

*) [Haec retractavit Ritschelius Musei Rhen. t. IX p. 17 adn. (infra n. VII). C. W.]

ERVC, SIBVLLA, HVPSAEVS (hoc quidem apud Eckhelium II, 5 p. 275 [C. I. L. I n. 466]), sive septimi saeculi exeuntis sunt sive ineuntis octavi, at HYPSAE vel YPSAE in Plautiae itemque Aemiliae eis demum nummis apparet, quos ad P. Hypsaei M. Scauri famosam a. 696 aedilitatem relatos vides apud Eckhelium p. 132. 276 Ricciumque p. 7. 175 (ubi neglegentissime HIPSAE(VS) expressum), [itemque in C. I. L. I n. 467].

Haec igitur cum ita sint, aegre sane Livius Naeviusque credentur iam usi esse *y* littera. Vt aut Victorinus, quod in solam *z* caderet, neglegentius transtulisse ad utramque putandus sit, aut fortasse, si est diligenter locutus, sic scripsisse: *idem nec* z *literam nec* y *in libros suos rettulit, quamquam illud ante fecerant Naeuius et Liuius.*

Ad geminationem vocalium revertimur, usitatam ad Accium et ultra, si Quinctilianum audimus, ab Accio inventam, si ceteros grammaticos. Quorum utri verius tradant ut recte diiudicetur, consulenda monumenta sunt, rursus autem ab eis exordiendum quae temporis notam certam habent. Itaque primum omnium miliarium Popillianum anni 622 in tanta longarum vocalium multitudine semel PAASTORES offert, similiterque singulis exemplis Bantina tabula LVVCI HAACE LEEGEI, bis SEESE, sed eadem tamen etiam LVCI HACE LEGE SESE et sic cetera omnia simpliciter. Ter MVVCIO scriptum in aere Genuati, semel ARBITRATVV,
29 nihil praeterea pariliter. MAARCIVM in Argiva anni 636 (C. I. Gr. 1137 [C. I. L. I n. 596; III, 1 n. 532]) recte legi videri supra dixi p. 18 [136]: ac sero video bilinguem illam ante Cavedonium in eandem fere partem Philippum LeBas Inscr. gr. et lat. fasc. 3 (a. 1837) p. 202 interpretatum esse.*) Iterum MVVCIO ter est in lege agraria anni 643, sed in eadem etiam MVCIO aliquotiens; LVVCEIVS bis in Athoa illa anni 662 [C. I. L. I n. 578], cuius paullo ante mentio

*) [Cf. P. L. M. E. Enarr. p. 61: 'titulum Argivum spectantem ad Q. Maarcium Q. f. Regem cos. anno aut 636 aut (quod minus placet) 686 . . . . Latinum esse nec Cavedonius primus vidit . . ac ne Le-Basius quidem, sed ante hos ipse Rossius Inscr. graec. ined. fasc. I Naupliae a. 1834 edito p. 18.' C. W.]

facta; circa a. 674 in lege Cornelia de XX quaest. PEQVLATVV (quamquam PEQVLATV Goettlingius testatur), ter autem IVVS; postremo in Antonia de Termesibus anni 684 semel VVTEI, semel AA · CETEREIS. Huc adde e Romanorum exemplo repetendam, alienam a Graecorum consuetudine scripturam in Tauromeniorum titulo anni 676 C. I. Gr. 5644 ΓΑΙΟΣ ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΜΑΑΡΚΟΥ ΥΙΟΣ ΜΑΑΡΚΕΛΛΟΣ, quicum ΜΑΑΡΚΟΥ bis scriptum in titulo Attico 887 et ΚΟΙΝΤΟΝ ΜΑΑΡΚΙΟν in Argivo 1137 iam Franzius recte composuit Elem. epigr. gr. p. 248 adn. Quodsi ex his quae enumeravimus apparuit certorum sexaginta et quod excedit annorum spatio geminandi usum contineri, nihil caussae in reliquis monumentis certas temporis notas non habentibus reperies, cur illos fines in alterutram partem egrediare. Circa a. 620 Aletrinatem titulum factum esse, in quo VAARVS et SEEDES habentur, supra significavi p. 15 sq. [132 sq.]. Eidem fere tempori non multum falli posse videmur cum arae Iuliae Bovillis repertae inscriptiones tribuimus, LEEGE ALBANA (non LEGE, nec ALBAANA, ut est apud Orellium n. 1287 et Cardinalem Diplom. p. 46) in antica parte, ... AARA ut videtur in latere.*) Nec in multo posteriorem aetatem vel versus Saturnii viae Appiae conveniunt Musei phil. VIII p. 288 editi [C. I. L. I n. 1006; P. L. M. E. tab. LXIX *D*], MAARCO CAICILIO et SEEDES formis insignes, vel frequentantes in FAATO REE EE NAATAM NAATA geminationem elegiaci versus cippi Romani apud Fabrettum V, 388 p. 421, Gruterum p. 1046, 6, Muratorium p. 1522, 2 [C. I. L. I n. 1011]. Altera ex parte recentem originem nihil in his prodit: PAAPVS (una cum TEOPHIL) in Capuensi I. R. N. 3846 [C. I. L. I n. 1214], CALAASI in Puteolana 2480 [C. I. L. I n. 1234; P. L. M. E. tab. LX *G*]**), PAAT... AT-

*) [Cf. nunc C. I. L. I n. 807; P. L. M. E. tab. LVI *F*, Enarr. p. 50. C. W.]

**) [Cf. Enarr. p. 53: 'Puteolano hunc locum concessi, quod «litteris vetustis» scriptum Mommsenus pronuntiaverat I. R. N. 2480: quas tamen longe propius accedere ad eorum temporum speciem apparet quae circa a. 680 fuerunt: hunc enim ne migremus, vix dubia v. 3 CALAASI scriptura suadet.' C. W.]

TIEDI in Albana 5611 [C. I. L. I n. 1167; P. L. M. E. tab. LX *H*]*), RVVBIVS in hac anno 1839 Romae reperta 'ad portam Latinam in cella sepulcrali vetustissima', missa ad Borghesium a Ven. Patre Marco [C. I. L. I n. 1084]:

Q · RVVBIVS · C · F
POP

Contra lapicidae errori deberi MAACI*streis* videtur in Furfensi 6023**): aliam autem in partem interpretanda SVVO in Capuensi 3789 [C. I. L. I n. 1242; P. L. M. E. tab. LXX *H*], quod cum SOVO scriptura compono, item DOMVVS in Lusitana Gruteri p. 106, 13 [C. I. L. II n. 12*], EXERCITVVS in Orelliana 4922 [C. I. L. VI, 1 n. 230], quae nescio an pro bisyllabis genetivis sint ad similitudinem SENATVOS formae in SC. de Bacanalibus: quo etiam CONVENTVVS in eiusdem Gruteri p. 83, 4 [C. I. L. II n. 2416] item Lusitana referrem, nisi ibi Pighii schedae ms. CONVENTVS testarentur. Silentio autem praetermisi THRAAC · in Patavina Gruteri p. 480, 6 [C. I. L. V, 1 n. 2841], ut pro quo THRAC · Furlanettus p. 207 ediderit. Nec a lapidibus discre-

---

*) [Cf. Enarr. p. 53: 'Albensis I. R. N. 5611, expers aspiratarum consonantium, quin v. 2 habeat PAAPIA · ATIEDI, non PAAT AATIEDI, iam non esse dubium puto.' C. W.]

**) [Cf. C. I. L. I n. 1285; P. L. M. E. tab. LXIV *H*, in cuius Enarratione p. 57 haec scripsit Ritschelius: 'MAACI*streis* in principio versus 3 ediderat Mommsenus: quod cum et testium fide et grammatica ratione destitutum viderem, in geminatarum vocalium exemplis consulto omisi Mon. epigr. tr. p. 29. Quo in loco quid potuerit scriptum esse, patefecit Brunnii acumen de *magistris pagi* concientis. Nam duae litterae extremae etsi speciem sane earum habent quae sunt CL, tamen cum et paenultimam non minus commode G interpretere et ex ultimae duabus quae perierint lineolis adiectis facile E efficias, nec aegre post eas litteras aliquid litterulae evanuisse conicias, in promptu est sane haec interpretatio: MAG · *p*AGE*i*. Quamquam cur ne sic quidem omnes mihi scrupulos exemptos sentiam, caussa haec est, quod eo ipso in loco ubi L est minime attritus esse lapis videtur: quo accedit quod adiecta in fine I littera tam prope ad eam quae insequitur interpunctionem accessura sit ut spatiorum concinnitas non usitato modo turbetur. Quodsi quis forte de quinto nomine aliquo cogitabit velut tali: *c* · MAG*i* · A · C · L..., tamen cur ne hoc quidem prorsus satis faciat neminem fugere puto.' C. W.]

pat nummorum memoria. Vnde (si recte nunc memini) Bruttium SVVRAM, anno 666 proquaestorem Macedoniae, Borghesius Obs. num. dec. XVI, 11 [C. I. L. I n. 516] protulit, PAAPI h. e. C. Papium Mutilum ducem bello sociali clarum denarii Samnites monstrant apud Eckhelium I, 1 p. 103, FEELIX Sullae cognomen quidam gentis Corneliae apud Havercampium p. 124 sq., Eckhelium II, 5 p. 192 sqq., Riccium p. 72, postremo VAALA Numoniae gentis nummus, incertum cuius aetatis, apud Hav. p. 299, Eckh. p. 263, Ricc. p. 156.

Monumentis igitur si credimus (et qui possis non credere?), coeptum est geminari circa annum 620, desitum paullo post 680. Quod vides quam mirifice in aetatem L. Accii quadret annis fere 584 et 670 conclusam. Eum autem poetam minime alienum ab aridioribus doctrinae studiis fuisse, Didascalicon Pragmaticon Parergon exemplis ab Madvigio et G. Hermanno inlustratis satis nunc inter omnes constat. Qui utrum in illorum aliquo an in alio libro, cuius vel nomen interciderit, de rebus grammaticis recteque scribendi ratione quaesiverit, nec scitur nec, quantum video, cum aliqua specie probabilitatis conici potest. Certum est non senem demum in ea studia incubuisse: immo in ipsa iuventute ea praestiterit praeceperitque oportet, quibus ut pareretur iam quadragenarii, ut monumenta docent, auctoritas effecit. Verum nec ultra ipsius vitae finem diu ea duravit auctoritas, nec dum vivit tantum valuit, ut non longe longeque saepius neglegeretur quam ascisceretur nova scribendi ratio: cuius, si verum fateri volumus, insignis raritas apparuit et in tanta monumentorum multitudine vel nunc superstitum usus perexiguus. Nec tamen hoc solum, quod nova esset et sui simile nihil in consuetudine maiorum habens, quominus et increbresceret et perennaret obstabat: gravior caussa ab alius doctrina grammatici repetenda est, cuius auctoritas Accianis praeceptis palam adversata est. Fuit is non alius atque item grammatica cum poetica arte sociata clarus C. Lucilius, Accio paullo minor aetate, quem ab a. 606 ad 652 vixisse exploratum est. Nam ad Accium spectare, quos illius versiculos percommode Terentius Scaurus p. 2255 memoriae prodidit, prorsus nunc et evidens esse puto et in

confessis fore confido: quibus sic Acciana doctrina aperte impugnatur:

31 *A* primum est: hinc incipiam, et quae nomina ab hoc sunt.
A primum longa an breui' syllaba, nos tamen unum
Hoc faciemus et uno eodem, ut diximu', pacto
Scribemus PACEM PLACIDE FANVM ARIDVM ACETVM,
ΑΡΕΣ ΑΡΕΣ Graeci ut faciunt:

an enim versu altero quam *ac* malui. Quippe exorsus erat poeta ab Acciana geminatione generatim iudicanda, eoque *diximus* spectat: quod qui *dicimus* scribunt, non cogitant verum profecto non esse uno eodemque modo *a* litteram in *pacem* et *placide* pronuntiari. Nec in hoc uno loco Accianae doctrinae impugnatio Luciliana substitit, sed eodem etiam de EI et I litteris in vulgus nota et decantata ab omnibus Lucilii praecepta referenda sunt: de qua re quid sentiendum esset, paucis nuperrime significavi Musei nostri phil. t. VIII fasc. 3 [p. 480 sq. = Opusc. II p. 623]. Etenim longam *i* vocalem non item geminando Accium ut ceteras notasse, sed pro ea EI scripsisse Marius Victorinus auctor est. Quod cum ille faceret, non excogitavit aliquid incognitum antea, ut prorsus sane ante se incognitam geminationem, verum, quod inde a sexto saeculo iam succedere antiquiori etiam E scripturae coeperat, sed coeperat tantum, perpetuavit et esse constans iussit. Vnde cum hoc intellegitur quale sit, quod ab anno inde 620 multo iam crebrior EI scripturae quam ab eodem Accio commendatus geminatarum vocalium usus exstitit, tum caussa perspicitur cur illam scripturam Lucilius non item ut hanc prorsus repudiaverit, sed partim reiectam, partim probatam certioribus tantum finibus quibusdam [illegible] circumscripserit, ut discreta generum diversitate velut [illegible] PVEREI ab HVIVS PVERI distingueret. Quod constat ne[illegible] Lucilium quidem popularibus suis ita probasse ut pervinceret: unde non mirandum est tantam in hoc genere per totum saeculum septimum atque adeo per octavum monumentorum inconstantiam esse. Vere autem Victorinum de *i* testari, non ascitam in hoc geminationem ab Accio esse, eadem monumenta certissimo documento sunt: neque II scripturae exempla nisi paucissima eaque vel dubia vel recentis aetatis vel bar-

rararum regionum vel neglegenter factorum titulorum suppetunt: quo velut MARIINVS pertinet in Gruteriana p. 90, 4 [C. I. L. III, 1 n. 1005], vel SANCTISSIMIIS p. 62, 8 [C. I. L. VI, 1 n. 629], ubi simplicem vocalem Pighii schedae prodidere, vel alia vix digna memoratu ut aperte vitiosa MAXSIIMINVS PIENTISSIIMI ibid. p. 94, 10 [Inscr. Rhen. Bramb. n. 1784]. 733, 11 [C. I. L. II n. 3307]. Cessare autem sat frequenti more recepta EI scriptura tum coepit, cum rursus nova doctrina grammaticorum invaluit, qua iuberetur I *longa* usurpari, ceterarum autem vocalium productio *apice*, quem *accentum* vocitamus, notari. Quod factum 32
est circa D. Augusti tempora: eo autem enucleatius olim disceptandum erit, quo plus utilitatis ex eo capite recte pertractato in gravissimas quasdam partes grammaticae latinae redundaturum est. Atque hic est ille *apex*, cuius mentionem cum vocalium geminatione Quinctilianus Scaurus Longus sociant. Quorum hos iam esse intellectum confido longe diligentius de geminatis vocalibus quam Quinctilianum tradidisse: qui quam non curiosus harum rerum scrutator fuerit, vel hinc apparet quod non locupletior testis de consonantium geminatione exstitit. Nam hanc cum in consonantibus omnibus, etiam mutis quibuslibet, ignoratam esse ante geminandi auctorem Ennium cum scriptores consentiant tum monumenta clament, tamen ille de unis *semivocalibus* geminationem olim aspernatis loquitur. Videant igitur in posterum, cuius se fidei mancipent, qui nimirum Livianis illecebris talibus oculos nostros delinire animum induxerint valde ridicule:

Aut nunc quaipiam alia tee iloo Asiaaticoo ornatuu fluens
Aut Sardiaanoo ac Luudioo fulgens decoore et glooriaa:

quomodo ne Accium quidem scripsisse mox perspicietur.

Ceterum hunc quis credet, postquam semel ad hoc genus animum suum applicavit, in vocalium scriptura illa suadenda acquievisse nec ad aliorum, quae emendari posse viderentur, emendationem progressum esse? quod quidem in Accium non minus quam in Lucilium cadere volo. Itaque percommode et magna cum probabilitate ad eundem Accium referes, quae per idem fere tempus h. e. circa annum 620 mutata esse

per varias disputandi occasiones supra admonui. Quo pertinet adiectae in fine vocabulorum *m* litterae constantia: quam sane non potuit iam ante Accium non suopte exemplo Ennius commendare, quem item ad stabiliendam grammaticam haud paullum contulisse alibi significavi, sed tamen ut communi usu reciperetur Accius demum effecisse videtur. Cui consimile hoc est quod, etsi consonantium geminationem iam Ennium praecepisse cum ratio arguit tum testimonia evincunt, eandemque prorsus consentaneum est Accium quoque suasisse, tamen in eadem ut conicio via perseverans Lucilius demum contra vim inertiae tantum valuit, ut non geminandi consuetudo plane aboleretur: in hanc enim partem illud interpretor, quod non ante annum 640 constans esse geminatio deprehenditur. Possum eiusdem Accii auctoritati alias quasdam mutationes probabili coniectura tribuere: velut non ab alio, nisi fallor, profecta est QVM QVRA PEQVS PEQVNIA PEQVLATVS scripturae in illis monumentis fre-
33 quentia quae insecuta annum 620 aetate facta sunt. Sed de his, cum breviter non possit, non potest in praesentia dici. Vnum operae pretium est quaerere: num non in scripturae tantum, sed etiam in formarum mutatione tanta vis artis et disciplinae efficacia fuisse videatur, hinc ut ipsius vitae usus regi potuisse credatur. Quod qui concesserit, habebit qui illud esse factum dicat, quod per aliquod tempus abolitas HANCE HACE formas bisyllabas denuo prodiisse et tamquam erupisse circa annum 620 supra vidimus. Ego in hac quoque re Accii quasdam partes fuisse nec affirmabo confidenter nec pertinacius negari patiar.

Non pertinuisse ad *i* vocalem geminandi usum, satis perspectum est: sed idem tamen, quamvis tacentibus grammaticis, ne ad reliquas quidem omnes pertinuit. Inspice exempla supra composita: AA EE VV vocalium vides esse omnia, OO scripturae plane nullum. Cuius rei nescio an non lateat caussa. Dixi supra de tralaticiae vi memoriae, quae tanta fuit ut, cum EI scribi Accius iuberet maiorum exemplo, praeter exemplum maiorum geminari ceteras vocales, illud permaneret diutissime, hoc nec satis increbresceret nec perduraret. Verum quod non maiorum ille exemplo

instituit, non est continuo credendus nullo instituisse, sed tali potius quod, cum aliquanto etiam remotius ab urbis consuetudine quam maiorum usus esset, minorem etiam quam ille in aequalium animos vim haberet. Fuit autem illud, nisi mea me coniectura fallit, Oscorum exemplum: quo duce geminationem Accius ascivit, ubi ab illis geminari satis inter omnes constaret: non est ausus asciscere, ubi novandi periculo ne ab illorum quidem auctoritate quicquam praesidii paratum esse videretur. Non potuerant autem Osci geminare qua littera carebant: contra et A et E et V geminasse, item exclusa I vocali, Mommsenus docet de dialectis libro p. 211.

Quae si ita sunt, quid esse caussae putabimus cur, cum in reliquis Accium videamus non tam opposuisse inventa sua pristinae consuetudini quam ad eam dedita opera accommodasse potius, tamen non susceperit more maiorum probatam OV diphthongum, qua antiquitus notari longam *u* vocalem communis opinio est? Ea autem ipsa opinio auctorem sane Marium Victorinum habet, sic testantem p. 2459 P. 12 G.: *quod apud illos* (Graecos dicit) *iunctum* υ *litterae* ο *facit syllabam, nostri etiam, quotiens eiusdem soni longa syllaba scribenda esset, et ipsi adiungebant* o *litteram* (*litterae* perperam vulgatur): *inde scriptum legitis Loucetios nountios et loumen et cetera.* Sed eadem tamen graviores etiam Mariana auctoritate dubita- 34
tiones habet. Ac primum animum advertit magna non tam ipsius raritas scripturae, quam vocabulorum paucitas eam passorum. Velut cur non VIRTOVTEI MINOVCI PECOVNIAM NOVGES SOLOVTO POVRGATOS FOVFIDIVS FORTOVNATA MATOVTAE scriptum est in eisdem monumentis illis cap. I commemoratis, in quibus praeter singularia NOVND ADIOVT FOVLV CLOVAC undeciens FOVR redit, quater DOVC, ter LOVC, ter CLOVL, quater PLOV, item bis POVBL? ut mittam frequentatas IOVSS IOVR IOVD syllabas. Vnde profecto in promptu est conicere, certas vocabulorum stirpes quasdam exstitisse propriam sibi OV litterarum societatem suapte natura et origine vindicantes. Deinde cum exploratissimum sit antiquiorem *o* vocalem cessisse recentiori *u*, non autem contraria via linguam ab *u*

ad *o* progressam esse, qui illud expedies quod, si POVBLICOS et FOVLVIVS et NOVNTIARE tantundem valuerint atque *pūblicos Fūlvius nūntiare*, tamen non ad haec ab illis transitum est scribendo, sed aetate mediae fuerunt *poplicus Foluius nontiare* formae? Nam prius POPLICVS quam *pupplicus* vel *publicus* fuisse supra apparuit; FOLVIVS ante *Fuluius* habes in anni 625 (non 622) Aeclanensi I. R. N. 1094*); *nuntiare* autem non ante medium saeculum septimum scribi coeptum est, quando NONTIATA est in SC. de Tiburtibus, *den*ONTIARI in aere Bantino, PRONON*tiato* PRONONTIATO PRONONTIARIT in lege repetundarum § 12. 13, item PRONONTIATVM et . . . ONTI . . . in earum legum fragmento nunc Florentino [C. I. L. I n. 207. 208; P. L. M. E. tab. III *A. B*], quas miro commento ad Cn. Pompeium et C. Iulium a Klenzio relatas alibi [Musei Rhen. t. VIII p. 481 = Opusc. II p. 625] dixi circa idem cum 'Servilia' tempus factas videri, apud Maffeium Mus. Ver. p. 365 et Marinium Act. fratr. arv. p. 40. Idem in CLOVACA cadit, cuius in locum primo *cloaca* (ut *Cloacina*) substitutum est, hoc demum in *cluaca* (Mar. Vict. p. 2469) *Cluacina* abiit: nisi quod ea forma tralaticiae illi opinioni de aequante longam *u* scriptura OV praeterea eo fortiter repugnat, quod ne habent quidem productam *u* vel *o* vocalem *cluaca cloaca* nomina. Haec igitur omnia cum ex *ū* derivari prorsus recusent, tum unum nomen est quod indidem multo etiam minus nasci potuit: nam qui quaeso illud factum dices, quod e CLOVLIVS nec *Clulius* nec *Clolius* prodiit, sed valde discrepans *Cluilius* vel *Cloelius* forma?

His quae exposui curiose perpensis satis iam confidenter amplector quod modeste Mommsenus coniecit de dial. Ital. p. 217 sq., non unius simplicis vocalis loco illam esse OV scripturam, sed ex *o* vocali et *v* consonanti compositam syllabam. In quam partem plurima exempla felicissimo ut

*) [Vide C. I. L. I n. 554. 555; P. L. M. E. tab. LV *C D*; cf. Enarr. p. 49: 'limitum Gracchanorum cippos in agro Aeclanensi repertos, quos ad annum u. c. 625 referendos esse iam Mon. epigr. tr. p. 34 significabam, apparet haud sane usitatam pro eius temporis consuetudine et scripturae et sermonis vetustatem servare.' C. W.]

arbitror cessucu ipse interpretatus pauca aliis expedienda reliquit. Non pro *flŭio conflŭont* esse in decreto Genuati FLOVIO CONFLOVONT formas, sed pro *flovio conflovont*, non magis qui sapiat negabit quam pro *Vitrovius Ioventionem Iovei* accipienda esse quae in I. R. N. 1957 [C. I. L. I n. 1227; P. L. M. E. tab. LXXVII *B*]; in aere Genuati, in decreto pagi Herculanei [C. I. L. I n. 571; P. L. M. E. tab. LXV] VITROVIVS IOVENTIONEM IOVEI*) scripta sunt cum similibus multis, non pro *Vitrŭius Iŭentionem Iŭei*: tametsi aliquando etiam FLVIO esse positum scio h. e. tamen *flŭio*, non *flūio*, pariterque *Iŭentius Pacŭius*, ut *nous aeum* pro *novos aevom*: tum quidem, cum mallent *u* vocali quam obsoletiore *o* uti et tamen vitare vel *uv* vel *vu* litterarum concursum. Eandem condicionem esse SOVOS formae apparet, quater nisi fallor hodie exstantis: in vetustissimo**) titulo Lucano I. R. N. 299 [C. I. L. I n. 1258; P. L. M. E. tab. LIX *F*] *le*IBREIS SOVEIS, in antiquiore etiam ut videtur epigrammate Amiternino 5882 (Or. 2623 [C. I. L. I n. 1297; P. L. M. E. tab. XLIX *G*]) SOVEIS NVGES, in Romano Gruteri p. 769, 9 (Or. 4848 [C. I. L. I n. 1007])

*) Genetivus hic est a nominativo *Iovius*, quem recens consuetudo *Iuvius* efferat, ductus ab *iovando* h. e. *iuvando*. Nam praeter rationem IOVEI illud in decreto pagi Herculanei Goettlingius p. 7 interpretatur *Iovis* genetivum, quod fieri nullo modo potest. [Cf. P. L. M. E. Enarr. p. 58: 'IOVEI v. 2. 7 fieri nullo modo potest ut *Iovis* interpretere cum Goettlingio p. 71: *Iovium compagum* dici quasi aliquem *Genium communem* Mommseno duce (indicis p. 465) significavi Mon. epigr. tr. p. 35 adn.: ut substantivi nominis naturam idem vocabulum induerit quod pro adiectivo est in MAGISTREIS · VENERVS · IOVIAE verbis tituli Capuensis tab. LXIII *A*.' C. W.] Nec ipse nunc teneo quod in speculo Etrusco [P. L. M. E. tab. I *G*, C. I. L. I n. 56] scriptum IOVEI nuper volui [de titulo Mumm. p. XVI (supra p. 110)] *Iovis* (idque nominativo) esse, sed Ottoni Iahnio cedo dativum subtili ratiocinatione defendenti comm. de cista Ficoroniana p. 58. [Cf. Enarr. p. 3 et Suppl. Enarr. p. 99, ubi haec scripsit Ritschelius: 'quod IOVEI interpretatus sum dativum, ne nunc quidem muto. Nec enim vel de hac forma vel de ALIXENTROM in *F* atque DIOVEM tab. XI *M* Buechelerus persuasit nominativos post alios interpretans omnes Musei Rhen. t. XV p. 444 sq.' C. W.]

**) [Cf. P. L. M. E. Enarr. p. 52: 'Vetustissimam cum dicebam Tegianensem Mon. tr. p. 35, non posteriorem certe anno 620 cogitabam.' C. W.]

CORDE SOVO, in lege repetundarum § 13 QVOM SOVEIS VIATORIBVS.*) Quamquam enim, hoc si per se solum spectetur, non inepte quispiam sūos formam cum aliunde defensum eat (de quo alibi dicetur) tum permiri tituli Campani 3789 [C. I. L. I n. 1242; P. L. M. E. tab. LXX H] scriptura RVFA DIANAES SIBI ET COINVCI SVVO utatur in eandem partem, tamen nec in Amiternino carmine pro una syllaba esse posse spondiacum *sueis* vocabulum videtur, nec iambum non flagitat Romanus titulus:

> Plouruma que fecit populo soueis gaudia nuges:
> Suom mareitum corde deilexit souo.

Non alia autem ratione, atque qua extrita *v* littera *conflovont* transiit in *confloont*, hoc in *confluont*, vel *sovos* (per *soos*) in *suos*, e *clovaca* factum est *cloaca*, ex hoc *cluaca*: a quorum societate neminem esse puto qui CLOVATIVS CLOVATIA nomina separet in titulis Pompeiano Allifanoque I. R. N. 2377. 4795 et Gruteriano p. 660, 3 reperta [C. I. L. II n. 545], quae per *Cloatius* (non exstans hodie) transiere in CLVATIA CLVATIVS in Canusino 689, Gruteriano p. 302, 1. Proficiscuntur haec omnia a simplici *clov* stirpe: unde primum CLOVI*us* factum in nummis eius gentis, pro quo postmodum *Cluvius* forma increbruit, cuius rursus vicaria CLVIVS exstitit aliquotiens rediens apud Gruterum, pertinens ea ad illud genus cuius est *Pacuius*.
36 Huic par est ab obsoleto *Cloventius* ductum CLVVENTIVS et elisa *v* CLVENTIVS eis I. R. N. exemplis quae in Mommseni indicibus p. 421 consignata habes. Quo cum praeterea *Cluvienus* accedat, non est profecto ullo modo incredibile etiam *Clovilius* nomen exstitisse: e quo ut suppressa *v* natum est *Cloilius* [vel *Cluilius*] vel *Cloelius*, ita suppressa ut in aliis *i* littera fiebat *Clovlius***): qua quidem cognatione is

---

*) [Cf. P. L. M. E. Enarr. tab. LXXII *A*, qua repraesentatur titulus Vaticanus C. I. L. I n. 588: 'SOVOM formam, in cuius locum indiligens editor Franzius C. I. Gr. 5881 SQVOM substituit auctore nimirum Osanno, quintum adde quattuor eius scripturae exemplis in Mon. epigr. tr. p. 35 compositis.' C. W.]

**) [Exempli sui margini adscripsit Ritschelius haec verba: 'Viell. mehr zuerst CLOVLIOS, wie VINCLOM, dann *Clovilius*, dann *Cloilius*.' C. W.]

ratione patefacta vides harum difficultates formarum omnes complanari. Eademque via haud scio an iure nostro ad expediendam PLOIRVME scripturam utamur quae est in Scipionis Barbati f. sepulcro: nam cum PLOVS sit in SC. de Bac., PLOVRVMA in eo cuius paullo ante mentio facta epigrammate, ordiendum videtur a pristina quadam *plovirumos* (vel etiam antiquiore *plovisumos*) forma, unde vel *v* vel *i* extrita vel *ploirumos* fieret vel *plovrumos*. Neve asperitatem iunctarum *vr* sonorum reformides, reputandum est non reformidasse linguam ipsam maiorem *Mavrte* formae asperitatem extrusa ut videtur *o* vocali natae, quae in Furii titulo illo Tusculano exstat. Itaque nec *Fovrios* est quod magnopere mirere, nec *Fovlvios* nimiae esse offensioni patiere. Quod qui tandem possis omnino, cum in haud suaviore NOVNDINVM forma consonantem esse V litteram ipsa ratio compositi e *novem* et *dies* vocabuli arguat? Item, quicquamne esse manifestius potest, quam ex *adiovare* verbi frequentativo *adiovitare* prodiisse *adiovtare*? Paullo alio modo, dupliciter mollito consonantium concursu, ex *iovbeo*, quod SC. de Bac. testatur, aut *iob-* relictum est quod mansit in *iubeo*, aut *iov-* quod cum *d* vel *r* coiit in *iovdico* et *iovro*: sed hoc tamen discrimine ut, cum illic prorsus extrusa *v* littera nullum sui vestigium reliquerit, eiusdem hic iactura, ut saepe factum, producta vocali ita compensaretur ut per *iōdico iōro*, quae nunc non exstant, transiretur ad *iūdico iūro*: quamquam illud facile largiar, multo prius haec per *u* pronuntiata esse quam scribi OV desitum est. Cum autem duplicem omnino in talibus viam lingua probaverit: aut ut vocalem producat elisa consonanti, aut ut hanc adsimilet insequenti consonanti: velut e *red-latum* aut est *rēlatum* factum aut *rellatum*, nisi quidem, ut in *iŭbeo*, prorsus prior consonans intercideret in *rĕlatum*: cogitari potest etiam hoc fieri potuisse ut e *povblicos* vel *povplicos* non tantum *poplicus puplicus publicus* nascerentur expulsa *v* ut in *iobeo iubeo*, sed etiam, ut in *iovdico iovro*, expulsa labiali littera *povlicus*, hoc autem adsimilando transiret in *pollicus pullicus*: nisi tamen verendum sit ne ab unius Plautini codicis quamvis praestantis fide non satis praesidii tam singulari formae paratum sit. Quamquam

37 οὐδέν ἐςτ' ἀπώμοτον in hoc genere universo. Tantum esse in propatulo video, disparem in *pŏpulus* et *pūblicus* atque adeo *pūplicus* Plautino prosodiam non aliunde nisi ex eo pendere, quod illic prorsus exempta est *v* consonans, hic eadem vim suam cum ea quae praecedit vocali communicavit eoque, ut longa e brevi fieret, effecit. Superest ut in aliis sociatarum OV litterarum exemplis *v* consonantis firmamentum certissimum ex Oscorum sermone petiisse Mommsenum narrem. In quo ut *súveís suvad sivŭm siŭm* formae, ad quarum similitudinem proxime accedit in lingua Sanscrita *swa*, in Graeca cφόc, aequant Latinorum *sovos sovom* formas, item κλοϝατοc in vase Lucano incisum (apud Mommsenum p. 270) latinum *Clovaĭ(i)us* nomen: ita *Tovtia* in titulo Corano scriptum lucem e nobili Oscae linguae stirpe *tuvt-* accipit *publicum* significante (cf. Mommsenum p. 304), quicum et Sanscritae *tâwat* formam et Latinae *totus* congruere perspectum est. Indidem arcessitam *lúvk-* stirpem, cum aliis exemplis tum his *lúvkanateís* λουκανομ a se inlustratam p. 273, Mommsenus adhibuit latinis LOVC explicandis: quo et *Lovcina* et *Lovcana* et a Victorino prolata *Lovcetios* et *lovmen*, ortum id quidem e *lovcmen*, pertinere intellegitur, vix recte tamen etiam *polovcta* refertur. Huc adde e *nuvkrinum* (vel rectius cum Mommseno p. 283 *núvkrinum* ut videtur) explicandum *Novceria* nomen, per mediam quae evanuit *Noceria* formam transgressum in *Nuceria*: quod contra e *núvla* procreatum *Nola* in *o* vocali subsistens non est ad *Nula* progressum. Haec autem, quae sunt *Novceria* et *Nola* h. e. tamquam *Novella*, ut dubitari nequit quin originem ducant ab eo quod est *novus*, unde etiam *Novariae Novanae Norbae Nursiae* nomina repetenda esse Mommsenus persuadet, ita eiusdem stirpem adiectivi nemo non agnoscat in *novntiare* verbo, quod in hoc genere Victorinus numerat. Restat igitur unum *dovcere* verbum: cuius radix num item *v* sonum proprium sibi antiquitus habuerit, de quo vix esse dubitandum videtur, fortasse edocere nos poterunt si qui a multiplici linguarum inter se comparatarum apparatu instructi bene mereri de his litteris volent. In quibus illi plus nostra sententia proficient, si, quid tandem instituisse atque probasse antiquitas curiose per-

vestigata deprehendatur, a philologis discere, quam fastidiosius cavillari philologos maluerint, e Schneideri rivulis suos irrigare agellos contenti. Quibus ut illud debeo, quod *flovius* et *conflovont* finitima esse Sanscritae *plawa* radici et latinae *pluvia* voci intellexi, ita ab eisdem percupio alia in hoc genere doceri, quod equidem non potuerim nisi testimoniorum fide inlustrare et quibus memoriae finibus circumscriberetur explorare. Qua tamen via cum fieri nequeat quin 38
saltem pars verae rationis eaque non minima patefiat, non nimium audere videbor, cum multo plura OV scripturae exempla, si plus monumentorum superesset, repertum iri dixero. Qualia futura sint, ut exemplis utar, LOVCIVS IOVNIOR ROVINA MOVTARE PROVDENS TOVTVS AVSCOVLTO NOVLO NOVMEN NOVNCVPO, item NOVRAM pro *noram*: ut non miraturus essem, si VOVRAT potius quam bisyllabam mensuram aequans VOVERAT in versiculis tituli Mummiani scriptum esset. Sed tacere quam hariolari praestat.

II. De titulo Aletrinati*)

(accedit tabula lithographa**).).

Aletrinatium sive Alatrinatium titulum in honorem L. III
Betilieni L. f. Vari factum cum nec Celsus Cittadinus, nec Gruterus p. 171, 8 quamquam a Smetio acceptum, satis diligenter ediderint, ad archetypi fidem exemplo lithographo ita imitandum curavimus, ut de vera lectione nihil iam dubi-

---

*) [Prooemium indicis scholarum hibernarum Bonnensium annorum CIƆIƆCCCLII et LIII; una cum programmate academico eiusdem anni 1852 'de miliario Popilliano deque epigrammate Sorano' foras datum est in libello 'Monumenta epigraphica tria. Berolini 1852' addita singulari inscriptione hac: 'De titulo Aletrinati commentarius F. Ritschelii'. Vide nunc C. I. L. I n. 1166; P. L. M. E. tab. LII *B* et Enarr. p. 46 sq. et 105; cf. 'Bullettino' 1865 p. 65. C. W.]

**) [Tabula VI eadem est atque P. L. M. E. tab. l. C. W.]

tationis relictum sit. Quamquam laudandus est Orellius, quod hunc quam illum sequi maluit n. 3892, cum mendorum multitudinem Celsus non sit eo compensare credendus, quod versus noni initio LACVM exhibuit pro eo quod cum apud Gruterum tum in ipso nunc lapide est . . CVM. Quae syllaba etsi illis litteris rectissime suppletur, ut nec de A[illegible] CVM nec de CIRCVM cogitandum sit cum aliis: *lacus* enim *balinearius* et *lacus ad portam* discernuntur: tamen Celsi illud coniecturae deberi, non maiori olim lapidis integritati, facile hinc perspicitur quod nihil nisi CVM syllabam saeculo XVI Smetius vidit, proximo demum saeculo Celsi liber Venetiis prodiit sic inscriptus 'Trattato dell' origine della volgare lingua', qui iteratus est in 'Opere di Celso Cittadini.... raccolte da Girolamo Gigli' Romae a. 1721 editis, ubi cap. IX p. 27 sq. huius exemplum inscriptionis positum est. Quamquam proximo versu integram *PORTAM* vocem cum Celso etiam Smetius prodidit. His vero longe gravius hoc est, quod in eiusdem versus exitu non ADOV, sed ADQV scriptum esse nunc demum apparet: quod esse ADQVE legendum, AR-DVOM autem pro *arce* dictum, Mommseno Henzenoque coram patuit. Id tamen ne forte antique scriptum pro *atque* putes et cum *in* praepositione construas, vel illud satis monere
IV potest, quod testibus monumentis non magis antiquior aetas in coniunctione ADQVE scripturam, quam contrariam in AT praepositione vel APVT SET HAVT IT ILLVT vocibus novit.*) Vt, qui Bentlei exemplo has formas libris suadentibus in Plauto atque Terentio probant, faciant id quidem

*) [Cf. P. L. M. E. Enarr. p. 105, ubi haec scripsit Ritschelius: 'Tituli Aletrinatis v. 10 sq. verba AQVAM · IN · OPIDVM · ADQVE · ARDVOM cum Mon. epigr. tr. p. III interpretatus essem *aquam in oppidum et ad arduom* h. e. arcem, post vidi qui simpliciter dicta pro *in oppidum atque arduom* acciperet. Quod quidem vel eo displicet quod ADQVE pro ATQVE scripturam certum est minime vetustiorem esse, sed circa Augustea demum tempora invectam. Quam ne in Reatino quidem titulo illo antiquissimo (C. I. L. I n. 542), quem tractavi comm. de tit. Mumm. p. IX (supra p. 97) sqq., mihi probari significavi Enarr. p. 43, utpote unius Manutii ACQVE exhibentis pertenui fide nitentem.' C. W.]

non sine aliqua ratione, sed tamen ipsorum poetarum manum nequaquam redintegrent, verum grammaticorum disciplinam sequantur liberae rei publicae temporibus recentiorem.

Sed nec in his nunc morari animus est nec in rerum explanatione versari, quantumvis notabilem esse censurae in Aletrinatium municipio memoriam sciam. Verum quod identidem tamquam praeteriens dixi*), non posteriore aliquo tempore septimi saeculi potius quam circa ipsum annum 620 scriptum esse titulum, id videor tam probabili ratiocinatione persuadere posse, ut hoc velut corollario supplere nuperas disputationes constituerim. Et a superiore quidem aetate separat eum vocalium in VAARVS et SEEDES geminatio, cuius nullum ante annum 620 exemplum exstat: ab aliquanto posteriore cum alia multa quae deinceps persequar, tum non geminatarum usus consonantium, quod genus paullo etiam subtilius quam adhuc feci definire licet. Etenim non est geminatum, si ab uno eoque singulari exemplo recesseris, ante Ennium; promiscue vel geminatum vel non geminatum inde ab anno circiter 580 h. e. paullo ante mortem Ennii qui a 585 obiisse perhibetur; saepius geminatum quam non

---

*) [Cf. supra p. 132. 133. Musei Rhen. t. XIV (infra n. XIV) p. 381 sq. et P. L. M. E. Enarr. p. 46 sq., ubi haec scripsit Ritschelius: 'Quod circa annum 620, sed tamen post factum (titulum Aletrinatem) dixi, id gravissimo sane argumento infringeretur, si verum esset quod Garruccius affirmavit in «Bullettino» Rom. a. 1859 p. 61, longiuscula I littera OMNIS vocabulum versu 5 scriptum esse. Quod cur ita esse non crederem, explicavi Musei Rhen. t. XIV p. 381. Verum ex eo tamen tempore aliquid mihi scrupuli praeter exspectationem Io. Baptista de Rossi iniecit, qui cum in itinere Rhenano Bonnam nuper visitaret, comiter ut solet me admonuit non videri titulum illum nisi posteriore tempore aliquo instauratum nunc haberi. Cui cum ego litterarum formas opposuissem in antiquiora tempora saeculi VII convenientes ut quod maxime, ille tamen ipso inspecto lapide opus esse, ut aetas scripturae recte aestimaretur, respondit. Itaque ut caussam esse ampliandam largiar, tamen fateor etiam plus Rossiano iudicio me tributurum fuisse, nisi simul Mummianum quoque titulum tabulae superioris sibi videri restitutum significasset: cuius priscam, quam ipse profitetur, aetatem meo sensu satis citra dubitationem tamquam rigor quidam vetustatis ponit in figurandis litteris conspicuus.' C. W.]

geminatum post annum 620*); constanter geminatum paucis- simis exceptis vetustioris moris reliquiis paullo post annum 640. Et primae quidem aetatis singulare exemplum illud INNAD dico Romae insculptum anno 540 [C. I. L. I n. 530 = VI, 1 n. 1281]: quod cum olim addubitassem [tit. Mumm. p. IV, supra p. 88], post intellexi eandem a graeco nomine veniam habere**) quam in alio genere vergente saeculo sexto [C. I. L. I n. 35; P. L. M. E. tab. XL *G*] incisum ANTIOCO h. e. *Antiocum*, vel anno adeo 662 ARCHELAOS in Athoo titulo quem nuper [de mil. Pop. deque epigr. Sor. p. 28 (supra p. 149)] publicavi, postquam iam exeunte quinto saeculo O litterae in altera declinatione usus desierat.***) Ceterum singulare INNAD illud dixi, quod de SEFFI forma in mirabili illa codicis Gudiani inscriptione, quam in libro
v de dialectis p. 364 Mommsenus posuit, nimis incertum est iudicium. Secunda autem aetas cum a prima invalescentis auctoritatis Ennianae discrimine distineatur, non esse nimis mirum puto quod, cum in SC. de Bacanalibus anni 568 num- quam geminatum esset, constanter id factum est in SC. de Tiburtibus quod exeunti ferme saeculo VI tribuendum con- ieci, siquidem hoc litteris consignari ab aliquo potuit qui Ennianae doctrinae sese addixisset: nisi forte non ipsa vetus tabula fuit quam nunc deperditam Fulvius Vrsinus et Ennius Quirinus Viscontius viderunt ediderantque, sed post- modum instaurata.†) Ceterum secundae tertiaeque aetatis exemplis in commentario Mummiano p. IV [supra p. 88] compositis addi possunt CINA e cippo miliario I. R. N. 6243 anni 627 [C. I. L. I n. 558; P. L. M. E. tab. LVI *A*], C·FANNI·M·F . . . . COS ex inedita Romana anni 632 [C. I. L. I n. 560; P. L. M. E. tab. LVI *C*]: quando am- bigua sunt breviata FLAC et GRAC nomina in Aeclanensi I. R. N. 1094 [C. I. L. I n. 554. 555; P. L. M. E. tab. LV *Cb* *Db*] anni 625. E quarta aetate perraris omissae geminationis exemplis accedunt, ut dubia in lege Puteolana

*) [Cf. Musei Rhen. t. XIV (infra n. XIV) p. 299. C. W.]
**) [Vide Musei Rhen. t. IX p. 17 (infra p. 232) adn. C. W.]
***) [Haec retractata sunt ibid. p. 16 (231) sq. C. W.]
†) [Vide Musei Rhen. t. IX p. 160 (infra p. 229 adn.) C. W.]

(I. R. N. 2458 [C. I. L. I n. 577; P. L. M. E. tab. LXVI]) BLOSIVS*) inque Mariniana Inscr. Alb. p. 3 [C. I. L. I n. 593, P. L. M. E. tab. LXXI *A*] POPILI mittam, ex Orelliana 569 [C. I. L. I *elog.* X; VI, 1 n. 1283 *b*] anni 662 PERPENA, ex Argiva anni 663 METELO, si fides LeBasio Inscr. gr. et lat. fasc. 3 p. 202.**) Sed his multo dignius observatu est, per quos tamquam gradus quosdam ad geminandi frequentiam tertia aetas progressa sit: quippe qua in aere Bantino geminatum sit quater, non geminatum bis: contra mira sane consuetudinis fluctuatione in tabula Genuati geminatum circiter deciens, non geminatum plus viciens (ubi quidem, quae suapte natura ambigua sunt, in neutram partem valere volui): sed iam in lege repetundarum plus quadragiens geminatum, non geminatum circiter viciens: in agraria autem viciens ter non geminatum, geminatum plus octogiens: quam insecuta est magna geminandi constantia illa quam Campani lapides I. R. N. 3559 sqq. [C. I. L. I n. 563 sqq; P. L. M. E. tab. LXIII. LXIV *A*—*F*] prae se ferunt. Hinc igitur fieri coniectura potest, probabiliusne admoveas ad annum 620 an ab eodem removeas Aletrinatem titulum, in quo non geminatum sit quater in MACELVM OPIDVM ESE IOVSIT, semel tantum geminatum in OPPIDO. Eademque ratiocinatio potuerat etiam lapidi Pollano adhiberi, ter non geminanti, geminanti VI nusquam: quem nimia liberalitate satis habebam anno 640 priorem dicere.

Huc non leve pondus reliqua vetustatis indicia addunt. Nihil sane tribuam QV litterarum societati in IOVSIT, de

*) [De hac scriptura legis Puteolanae fefellerat Ritschelium Mommseni exemplum, ut ipse dixit P. L. M. E. Enarr. p. 61 ad tab. LXX *A*. C. W.]

**) [Est sane, ut docet exemplum P. L. M. E. tab. LXX *A*; cf. C. I. L. I n. 595; III. 1 n. 531. — Ceterum vide quae scripsit Enarr. p. 61 Ritschelius: 'Ad filium C. Caecilii Metelli Caprarii consulis anno 641, Macedoniae praefectum anno 663, referebat Borghesius. De qua aetate si satis constat, valde memorabili exemplo non geminatae liquidae METELO scriptura est, id quod designabam Mon. epigr. tr. p. V. . . . Quamquam multo etiam recentiore tempore semel scriptum esse TVLI constat tab. LXXXVI *A* (in titulo Mutinensi a. 691 ⟨C. I. L. I n. 599⟩), aliquotiens incuria peccatum ut tab. XCII *G*. XCIII *A*. XCIV *AG*.' C. W.]

qua ad mil. Popill. [supra p. 116 sqq.] dixi: quando illud ipsum vocabulum et longe diutius per OV scriptum est, et per V scribi coeptum iam anno 613. — Nec magis in OI diphthongo haerebo quam COIRAVIT ostendit. Fatendum est sane in monumentis quidem (grammaticos nunc mitto) antiquiorem aetatem ne novisse quidem OE diphthongum, sed unam OI servare in PLOIRVME OINO OINVORSEI FOIDERATEI COMOINEM OITILE; fatendum in ipso *curare* verbo, vel simili *murus* nomine, V vocalem non ante leges repetundarum agrariamque apparere, itemque COERARE scripturam, quae per totum saeculum septimum frequentata mansit adeo per magnam partem octavi, post annum demum 640 usurpari coeptam esse una cum finitimis FOEDERE OETANTVR LOEDOS MOERVM. Sed tamen hinc in contrariam partem argumentari propterea non licet, quod vel post invectam V vel OE scripturam minime evanuit OI diphthongus: quam in lege repetundarum legeque agraria COIPERIT MOINICIPIVM OINA POINICIA vocabula tuentur, in Campanis titulis annorum 646. 648. 650 [I. R. N. 3561—64; C. I. L. I n. 565—568; P. L. M. E. tab. LXIII *A—C*] ipsae COIRAVERVNT COIRAVERE formae cum MVRVM et LOIDOS sociatae, item in Aeclanensi I. R. N. 1119 [C. I. L. I n. 1230; P. L. M. E. tab. LXX *C*], qui vix recte ad belli Marsici tempora promovetur*), COIRAVERVNT cum MOIROS MOIRO.

Sat commode autem in eadem tempora illud convenire vides, quod de iunctis in uno titulo HAEC et HASCE formis deque renascenti circa annum 620 bisyllabi pronominis usu in capite de epigrammate Sorano p. 16 [supra p. 132 sq.] disputavi: quod etsi ita comparatum est ut non mirer si cui argutius enucleatum videatur, tamen testimoniorum ponderi rerumque congruentiae cedendum fuit. — Certius de SENATV genetivo iudicium est. Quem si qui animum inducat e lapsu

*) [Cf. nunc P. L. M. E. Enarr. p. 62, ubi haec scripta sunt: 'Aeclanensem I. R. N. 1119, Orell. 566 et 6582, hic conlocandum duxi, quod non immerito ad tempora belli Marsici referri visus est. Quibus cum etiam antiquiorem esse posse suspicatus sum Mon. epigr. tr. p. VI, vereor ne nimius fuerim.' C. W.]

lapidarii repetere ad proximam S litteram aberrantis, ei demonstrandum erit umquam veterem linguam SENATVS forma ullo certo exemplo usam esse: id quod prorsus negandum esse video. Ac profectam illam a SENATVOS genetivo esse satis Vindobonense de Bacanalibus monumentum testatur: eamque formam fuit qui suo usu instauraret, si optimis Oudendorpio teste codicibus Suetonii auscultamus sic narrantis de Octaviano Augusto cap. 87: *item simus pro sumus, et domuos genitivo casu singulari pro domus (ponit).* Vbi quod vulgatur *domos,* irrepsit etiam in Marii Victorini verba p. 2456 (8 G.): *Divus Augustus genitivo casu huius domos* (immo *domuos*) *meae per* o (immo *uo*), *non ut nos per* u *literam scripsit.* In eodemque antiquitatem aliquotiens postera aetas imitata est, sed *o* vocali de suo more mutata in *u*: quo illa pertinent in capite de vocalibus geminatis commemorata p. 29 [supra p. 152] DOMVVS (CONVENTVVS) et imperante Alexandro Severo scriptum TOTIVS EXERCITVVS. Pristinam VOS declinationem, ut in *nominus nominis,* excepit VIS forma, quae cum dempto, ut in prima, secunda, quinta declinatione, sibilo evasisset VI, contrahi aut in V ut in dativo *sumptu* quintaeve genetivo *dic* potuit, aut in I ut in *populi dii.* Praeter haec enim quod per linguae leges fieri item potuerat, ut eadem opera et contraheretur et *s* littera servaretur, hoc illud ipsum est quod factum esse negamus ante multo posteriora tempora adultae latinitatis. Nec tamen, quae facta sunt antiquitus, pari frequentia fuere. Vnum tantum VI terminationis leve vestigium exstat in Ambrosiani codicis Plautini memoria, SVMPTVI prodentis Trinummi v. 250, ubi *sumpti* et numeris satis facit sane et lectum est a Nonio: item unum, quamquam certum ut puto, V contractionis exemplum SENATV in Aletrinati titulo nostro. Restant igitur SENATVIS et SENATI formae, quae ipsae a sexto saeculo per maximam partem septimi regnarunt solae, sed hoc tamen temperamento ut multo rarior sit, si ab uno Varrone discesseris, VIS quam I terminatio: quando largam de hoc genere universo existimandi materiam cum Gellio IV, 16, Charisio p. 10 et 40 et 105 et 116, Donato in Andr. II, 2, 28 et Hec. III, 2, 21,

VIII Priscianoque lib. VI p. 711 sq. et 718 et VII p. 778 Nonius potissimum a p. 483 ad 494 suppeditat. Itaque etsi *anuis* sane Terentius dixit Heaut. II, 3, 46, *senatuis* Calpurnius Piso apud Nonium p. 484 itemque C. Fannius cos. anno 632 oratione in C. Gracchum apud Charisium p. 116, *quaestuis* Novius Nonii p. 483, ut mittam '*ueteres*' in *senatuis fructuis fluctuis* ab Charisio Gellioque commemoratos, tamen longe longeque latius per sextum septimumque saeculum altera terminatio patuit. Qua et Plautus usus est constanter in *quaesti tumulti uicti senati sumpti gemiti*, et Ennius *strepiti tumulti* declinans, Pacuvius *flucti aesti parti soniti*, Caecilius *quaesti sumpti soniti*, Terentius *quaesti tumulti fructi ornati aduenti*, Turpilius *quaesti tumulti fructi sumpti piscati porti*, Titinius *quaesti*, Accius *flucti tumulti exerciti aspecti lucti salti*, Lucilius *sumpti*, Afranius *tumulti*, Pomponius *quaesti tumulti piscati*, bis Lucretius *geli*, Calpurnius Piso *senati*, Cato *fructi*, Sisenna *senati soniti*, Sallustius *tumulti senati*. Atque in hoc ipso *senatus* nomine tam tenax antiquitas eius declinationis fuit, ut vel apud Ciceronem *senati* Charisius p. 116 vel quocumque is auctore usus est bis legeret, semel in deperdita oratione, semel in divin. in Caecil. c. 5, ubi praeter rationem spreverunt editores, idemque in epist. ad Brutum I, 2 etiamnunc exstet. Quicum mirificum in modum monumentorum memoria congruit. In quibus EX SENATI CONSVLTO (semel CONSOLTO) quater habes in Patavinorum Atestinorumque terminis [C. I. L. I n. 547. 548; P. L. M. E. tab. LVIII *A*—*C*] anni 613*): idem in termino Atestinorum Vicentinorumque anni 619: DE SENATI SENTENTIA in Orelliana 2135 [C. I. L. I n. 632; P. L. M. E. tab. LVI *E*] anni 627**), cuius versu altero CALVINVS · PR incisum est

---

*) [Vide quae ad Mon. epigr. tr. p. 4 (supra p. 116 sq.) adscripta sunt ex P. L. M. E. Enarr. p 51. C. W.]

**) [Cf. Enarr. p. 50: 'titulum Romanum, parum e vero editum ab Orellio 2135, nec TRI habere in fine versus alterius scriptum, nec vel TP vel TR, quod Nibbyo in «Analisi d. c. de' dintorni di Roma» t. I p. 321 (312 ed. alt. a. 1848) auctore Klausenus testabatur in libro de Aenea et penatibus a. 1840 edito p. 1085 adn., sed PR potius, planissime nunc demum e figura nostra apparet. Vnde profectus, cum anni 630 con-

in lapide, nec vel CALVINVS · TRI vel, ut est apud Klausenum Aeneae t. II p. 1085 (tab. IV, 5), TR: rursus EX SENATI CONSVLTO in decreto Genuati anni 637: denique DEVE SENATI SENTENTIA in lege agraria anni 643 § 16. Quo magis miror DE SENATVS SENTENTIA omnes testari in Corana illa exstare (Or. 3808 [C. I. L. I n. 1149; P. L. M. E. tab. LXVIII *C*]), quae cur non possit posteriori aetati tribui, dixi ad epigramma Soranum p. 19 [supra p. 138]. Ad pristinam VIS terminationem ut redeam, eam unum potissimum Varronem adeo in deliciis habuisse intellegimus, IX
ut prope intermortuam ut videtur declinationem tamquam excitasse ab inferis censendus sit. E quo cum alterius formae duo tantum exempla Nonius p. 484 sq. et 492 commemoret, *sumpti* et *quaesti*, at ad solum Varronem horum quae infra posui insolita multitudo refertur: *quaestuis fluctuis uictuis fructuis exercituis* (sic enim de mutilis p. 485, 17 verbis statuendum) *partuis graduis anuis rituis*, item *domuis* p. 421, 21. Vt eundem aegre credam ipsum *domus* genetivum iterasse libro V de lingua lat. § 162, ubi mea sententia *domuis* formam librarii obscurarunt. Ceterum lacunosum ut puto Victorini p. 2456 testimonium prudens praetermisi in hac disputatione: qua satis levi bracchio a magistris tractari solitum de analogia locum paullo clariore in luce collocatum esse conicio.

[Quae hic disputata sunt aliqua ex parte supplevit Ritschelius Musei Rhen. t. VIII (1852) p. 494 sq., ubi inscripta 'Der Genetiv *senati*' haec leguntur:

'Dass die Form *senati* im ganzen Verlauf des 7ten Jahr- 494
hunderts die weit vorherrschende in Vers und Prosa war, dagegen *senatuis*, obgleich ebenfalls alt, ja älter als *senati*, doch hauptsächlich nebst den andern analogen Genetiven auf die Privatliebhaberei des Varro beschränkt blieb, *senatus* endlich aus jener Zeit, mit Ausnahme einer einzigen frühen Inschrift, überhaupt gar nicht nachzuweisen ist, zeigte ich

---

sulem fasti C. Sextium C. f. Calvinum prodant, huius ipsius anno praetorio circiter 627 titulum tribui Mon. epigr. tr. p. VIII. In quo bis posita G pro C nota memorabilis.' C. W.]

unlängst an einem andern Orte (de titulo Aletrinati, Bonn 1852, p. VI—IX [oben p. 169 ff.]). Selbst bei Cicero las be-
495 kanntlich Charisius p. 116 die Form *senati 'pro Oppio II'* und noch in unserer divin. in Caecil. 5, 19 *beneficio senati populique Romani*, wo ich eine Kritik nicht verstehe, die den consensus codicum höher hält. Hierzu fügte ich aus dem Briefe an Brutus I, 2 extr. *neque senatum neque senati ducem*, wo es die Abschreiber ausnahmsweise nicht verwischt haben, kann aber jetzt, nach Bernays' Mittheilungen, vier weitere Belege hinzufügen, obwohl sie nicht ganz so schlagender Natur sind wie die genannten, weil in Cicero's eigener Rede vorkommenden. Zwar seine eigenen Worte sind es auch ad fam. II, 7 extr., aber in der von Alters her festen Formel: *ut et senati consultum et leges defendas*, wo die Form im Mediceus m. pr. erhalten ist, während m. sec. *senatus* corrigirt hat. In einem wirklichen Senatsconsult, wie ad fam. VIII, 8, 6, wird man eine andere gar nicht erwarten: *ad senatum referri senatique consultum fieri possit*, wie derselbe Mediceus bewahrt hat. Nicht in einem SC., aber doch in einer 'sententia a Cicerone dicta' ist ferner Philipp. III, 15, 38 von jeher zu lesen *in senati populique Romani potestate*. Endlich gibt in einem Briefe des Caelius ad fam. VIII, 5 extr. der Mediceus so: *neque adhuc frequentem senatis efficere potuit*. Was daraus Orelli gemacht hat, *senatum is efficere*, findet Bernays mit Recht matt, und vermuthet, nach Anleitung einer andern Stelle desselben Caelius VIII, 9, 2 *ne frequentiam quidem efficere potuerant*, als ächte Lesart *neque adhuc frequentiam senati efficere potuit*, oder — *senatuis*. Wenn man dem Caelius Varronische Sprachfärbung zutrauen darf, liegt dem *senatis* gewiss nichts näher als *senatuis*; gewisser ist, dass am fernsten *senatus* liegt.' C. W.]

Specie ambiguum, re vix fallax antiquitatis indicium volo etiam neglectam in INFERA BALINEARIVM et CALECANDAM syncopam esse. Et ambiguum quidem, vel fallax adeo facile quispiam propterea dixerit, quod certissimum est, rem si generatim iudicamus, vetustiorem a recentiore aetate eo potius distare ut syncopam admiserit illa,

ubi haec ignoret.*) Cuius generis inde ab antiquissimis temporibus exempla suppetunt: DEDROT et DEDRO pro *dederont* in Pisaurensibus, ibidem LEBRO pro *Libero*, cui finitimum est *le*IBREIS SOVEIS in Lucano titulo I. R. N. 299 [C. I. L. I n. 1258; P. L. M. E. tab. LIX *F*], VICESMA in valde memorabili illa Orell. 1433 [C. I. L. I n. 187; P. L. M. E. tab. II *B*], TVRPLEIO in Furiorum sepulcro, LICNIA ad similitudinem Tuscae LECNE formae (totiusque omnino linguae Tuscae) in columbario Somascano [C. I. L. I n. 892; P. L. M. E. tab. XV n. 17], FOSTLVS in denario gentis Pompeiae apud Eckhelium II, 5 p. 280 Ricciumve p. 179, item NVMS*ius* OFDIVS nomina in I. R. N. titulis Beneventano 1685 Amiterninoque 5765 [C. I. L. I n. 1287; P. L. M. E. tab. XLIX *F*]. Quid? quod singulari sane exemplo FECT scriptum est pro *fecit* in statua Kircheriana teste Ottone Iahnio de cista Ficoron. p. 61.**) Quae vetus consuetudo quaedam sui vestigia etiam posteriore aetate reliquit, ut TABLEIS et IVGRA in lege agraria, hisque prorsus similia quaedam in recentioribus non
unius saeculi. Ceterum nec paria prorsus nec prorsus dis- x
paria sunt in SC. de Bacanalibus posita SENATORBVS, nisi hoc peccatum est a scalptore, et OINVORSEI. Haec igitur cum ita sint, potuit etiam ab ea radice quae est VINC prius asperior VINCLOM forma fieri pariterque *piaclom periclom* vel *Hercles* formae, eaedemque aliquanto post demum ascita copula vocali molliri in *vincolum piacolum Hercoles*. Favetque huic vicissitudinum rationi quod illa, quae sunt *vinclum periclum poclum* cum cognatis, hac breviore forma usitata sunt apud veteres poetas ipsum vitae usum servantes ut Plautum, ita quidem ut praeter normam tantum nec nisi certis condicionibus molliores formae admitterentur. Eaeque molliores formae in aliis manserunt semper, ita ut ad antiquius genus poetica tantum licentia quadam rediretur, velut

*) [Cf. 'Priscae latin. epigr. supplem. II (infra n. XVIII, 2) p. IX sq. C. W.]

**) [Sed cf. Musei Rhen. XIV p. 383, XVI p. 609 (infra n. XIV et XVII), etiam Musei Rhen. XVII p. 145 (infra ad n. XVII l. l. adiecta). C. W.]

cum aequales Octaviani Augusti poetae *periclum* dixerunt; in aliis autem hic ipse ad antiquitatem reditus tam constans evasit communique more receptus est, ut trium aetatum successio fieret, quarum tertia redintegraretur primae asperitas, sed quae iam elegantia potius quaedam videretur. Velut *dextra* formam cum pristina aetas probavit tum tertia adultae linguae: media aetate trisyllaba *dextera* forma regnavit sola, ut apud Plautum ubique, quam tertia poetis tantum concessit. Quamquam mirum esse non potest, in singulis vocabulis non prorsus pari vel temporum vel graduum vel consuetudinis et frequentiae proportione has rationes exaequari. Quo in genere quam multiplex varietas fuerit, demonstrare velut in *Hercules* voce promiscui usus constantia potest: quam cum rationi consentaneum sit a principio *Hercles* fuisse, deinde *Hercoles* vel *Hercules*, ac fortasse tertio loco rursus *Hercles*, tamen ipse usus hoc potius voluit, ut una Plautina aetate *Hercules* simul et relictum ex antiquiore sermone *hercle* diceretur, pro quo postera demum aetas accommodatam ad ipsius nominis formam particulam *hercule* substitueret. Hinc recte existimari de illis poterit quae dixisse *antiqui* vel traduntur vel reperiuntur *Alcumena Alcumaeo Tecumessa Patricoles drachuma techina*: quibus formis etsi sunt sane recentiores *Alcmena Alcmaeo Tecmessa*, tamen
XI eaedem illas etiam antecesserant: quod non est dubitandum quin planissime appareret, si plus monumentorum ex vetustissima linguae aetate superesset. Itaque etsi contractas vel ut rectius dicam primitivas*) *infra extra supra* formas cum Plautus solas novit ipsaque monumenta ut SC. de Bacanalibus cum lege agraria testantur, tum in eisdem adulta lingua acquievit, tamen medio tempore quodam saltem coeptum esse etiam *infera extera supera* dici, ut paucis

---

*) Quodsi qui tamen proficiscendum sibi esse a plenis formis ut *infera* putabunt: cuius ego exordii necessitatem non video qui demonstraturi sint: faciant id quidem arbitratu suo, sed hac simul liberalitate, ut bis facto eodem transitu linguam concedant quadruplici successione ab *infera* progressam ad *infra*, ab *infra* reversam ad *infera*, ab *infera* denuo ad *infra* transgressam. [Cf. Priscae latin. epigr. supplem. II (infra n. XVIII, 2) p. IX. C. W.]

ita certis documentis intellegitur. Ac *supera* tribus syllabis constat et Lucretium extulisse IV, 674 (672), V, 1407 et M. Tullium in Arateis a semet prolatis de nat. deor. II, 42 aque Prisciano XIV p. 980 et 1001. Sed ante utrumque scriptum est REE · FVIT · EE · VERO · PLVS · SVPERAQVE · PARENS in versibus elegiacis cippi Romani apud Fabrettium V, 388 p. 421, Gruterum p. 1046, 6, Muratorium p. 1522, 2 [C. I. L. I n. 1011]. Huc igitur INFERA illud Aletrinatis tituli pertinet, quod iam apparet simul et recentius esse antiquiore, et antiquius recentiore *infra* forma. Constanter molliorem formam lingua in *altera* servavit, et eadem tamen in *altrinsecus altrouorsum* duriorem. Nisi forte etiam *altrius*, non *alterius*, Plautus scripsit in Captivis v. 306 *Qui inperare insuéram, nunc altríus inperio óbsequor* [cf. Opusc. I p. 436. II p. 672 sq. 694 sq.]: quem contrariam in partem *alterim* pro *altrinsecus* semel dixisse conieci Musei philol. t. VII p. 476 [= Opusc. II p. 457]. *Exteri* et *extra* sola quod sciam usus probavit; nec magis vel *intrim* vel *intera intero* novi: et tamen in verbo semel *interet* scriptum est in opere tessellato pavimenti Iuvaviensis teste Abekeno in Diario Inst. arch. Rom. a. 1841 p. 125: HIC HABITAT (*felicitas*): NIHIL INTERET MALI [cf. C. I. L. III, 2 n. 5561 et p. 947 adn. 1].

In his affinibusque praepositionibus prorsus usitatam apud Plautum syncopam quemadmodum idem tamen poeta numquam admisit in *dextera*, etsi *dextrouorsum* dixit, ita in XII
aliis aut fluctuavit usus aut fallunt librarii. Velut semper sane *columen* Plautus distraxit, quode Prol. p. LXV monui: ut pristinam *colmen* formam excepisse *columen*, hoc aliquanto post rursus transisse in *culmen* credendum sit. Sed idem etsi semper *balineas*, nusquam *balneas*, tamen fortasse iam ascivit syncopam in *balneator*. Nam illud libri tuentur seriens, Asin. 357. Merc. I, 2, 17. Most. 756. Pers. I, 3, 10. Rud. 383. Trin. 406:

'Ille in balineás iturust: índe huc ueniet póstea.
Numquam édepol omnes bálineae mi hanc lássitudinem éximunt.
Et bálineas et ámbulacrum et pórticum.

Me dícit: euge. Laútum credo e bálineis —.
In bálineas, cum ibi sédulo sua uéstimenta séruat.
Coméssum expotum exúnctum elotum in bálineis:

quorum antepaenultimo *ebalieneis* est in Vetere, *abalieneis* in Decurtato Vaticanoque, postremo autem ceteris libris Ambrosianus accedit. Sed idem tamen Ambrosianus syncopam cum ceteris testatur in his Poen. III, 3, 90 (ubi irrepsit *et*) et Rud. 527:

Vbi bálneator fáciat unguentárium.
Edepól, Neptune, es bálneator frígidus:

quo praeter Ambrosianum accedit Trucul. II, 3, 4:

Omnés amantes bálneatorés sient.

Itaque cum etiam apud Terentium contractam in ipso primitivo nomine formam cum ceteris libris Bembinus servet Phorm. II, 2, 25:

Ténc asumbolúm uenire unctum átque lautum e bálneis

(nam *e*, non *a* est in Basilicano Vaticanoque, omissa in Bembino praepositio), refelli quidem vix poterit qui transeuntis a longiore ad breviorem formam consuetudinis initia ipsi Plautinae Terentianaeque aetati tribuat. Quamquam non magis profecto ille culpandus qui, late patentis in hoc genere librariorum sive incuriae sive curae memor, ne *balneatores* quidem a Plauto dictos sibi persuadeat, sed ad ceterorum exemplorum aequabilitatem hoc quoque immissa *i* vocali eo confidentius accommodet, quo firmius sane eius rei praesidium ex Aletrinatis tituli memoria petat, BALINEA-
XIII RIVM scripturam septimo etiamtum saeculo servantis. Ceterum sciens praetermisi Poenuli V, 2, 16 hos versus:

Sed quaenam illa auis est quae huc cum tunicis aduenit?
Numnam it a balneis circumductus pallio?

Vbi etsi item ad *balineis* scripturam videri potest librorum memoria spectare, quorum Vetus *Nunnam inabaliniis* habet, *Numnam inabalinus* Decurtatus, tamen omnis omnino balinearum notio ab istis sermonibus aliena est. In quibus aviculae potius alicuius nomen exspectatur. Velut, ut exemplo utar, sed quo mihi ipsi non satis fiat: *Nonne, hém, acalanthust circumductus pállio?*

Tertium his in eodem titulo exemplum accedit CALECANDAM pro *calcandam*: in quo vocabulo omissam syncopam ipsius artis usus, sive opificium dicere males, per longius tempus stabilivit. Id enim ita esse satis intellegitur triplici Festi testimonio, unde Paulus profectus p. 47 haec posuit: *calicata aedificia calce polita*, iterum p. 59 *calicatis calce politis*, tertio loco p. 75 *decalicatum calce litum*, quibuscum iam alii Isidori Placidique glossas contulerunt '*decalco dealbo*' et '*decalcatis de calce albatis*', ipsum autem Aletrinatium titulum ab Aldo Manutio P. f. acceptum Iosephus Scaliger composuit.

Monet autem eadem *calecandam* forma, ut de antiquiore E pro I littera dicatur vel alibi dicta in memoriam revocentur. Quam in hac ipsa voce in Festi (h. e. Pauli) libro vetustissimo scriptam se repperisse Salmasius Plinian. exercitat. p. 868 testatur, *calecata* et *decalecatum* illinc afferens. De eo igitur genere, cuius praeterea SOLEDAS et MERETA sunt in hoc titulo, ad epigramma Soranum p. 15 sq. [supra p. 132] dixi, ipsius anni circiter 620 finibus eius usum terminans: atque MERITA iam habes in legis repetundarum simillima formula AERA · STIPENDIAQ*ue* · OMNIA · MERITA · SVNT*o* § 24. Ceterum illic cum proximae post annum 620 aetatis vix tria me exempla meminisse servati E soni scripsi, de brevi vocali cogitavi, non de producta quae fuit EI scripturae vicaria: nam huius sane plura exempla in promptu sunt, ut IVRE DEICVNDO in repetundarum lege, XIV
VETERE in agraria § 6, PAPERIVS ibidem § 42 inque Aeclanensi I. R. N. 1094 anni 625 [C. I. L. I n. 554. 555; P. L. M. E. tab. LV *C* et *D*], DEDIO (huc enim valet DIIDIO) in Capuensi 3569 anni 656 [C. I. L. I n. 570], ut in his nunc subsistam.

Aliquanto diutius, quam pro brevi *i* servatam E, in mediis vocabulis O mansisse pro recentiore V, ibidem disputatum est p. 15 [supra p. 131 sq.]. Quare cum facile quispiam POPOLVS potius versu paenultimo scriptum exspectet (quam formam cum *piacolum hoic fonus* Victorinus p. 2458 sociat*)),

*) Corruptissima verba Victorini alibi emendata dabo. — In eadem caussa quoniam Priscianus I p. 554 cum *polcrum colpam Hercolem* for-

quam quod revera ibi exstat POPVLVS, tamen reputandum est in hoc ipso vocabulo ab illa forma ad hanc transitum iam
xv in lege Bantina fieri, semel POPOLVM exhibente, semel POPVL(*o*), constanter transitum esse in lege repetundarum § 6. 13. 18. 19 bis. — Illud autem, quod ARDVOM scriptum est v. 11, non ARDVVM, ne tangerem quidem, nisi tamen monendi quidam esse viderentur, noviciam hanc scripturam plane inauditam esse in septimi saeculi et monumentis omnibus et omnibus eius generis vocabulis. Vt ne in *suus suum tuus tuum* quidem, e reliquorum societate exemptis a

mis componit *poblicum*, non *poplicum*, item *poblicum* et *colpam*, non *poplicum*, dixisse veteres Cassiodorus scribit p. 2290, utar hoc ut nuperae de his disputationi, quae fuit ad miliarium Popillianum p. 9 sq. [supra p. 123 sqq.], aliquid addam. Nam cum etiam Venusini tituli illi I. R. N. 715. 716 [C. I. L. I n. 185. 186], qui non possunt non quinti saeculi esse, molliorem in media syllaba sonum POVBLICOM et POVBLIC... servent, sic esse statuendum videtur, ut antiquior etiam quam P in hoc vocabulo B littera fuerit, sed eadem, ut in aliis, interiecto temporis intervallo tamquam revivisceret. Quo fit ut haec formarum sese excipientium successio prodeat: *povblicos poblicos poplicus puplicus publicus*, ut nunc mittam *u* vocalem item antiquiorem quam *i* in media syllaba. Quam ratiocinationem primum firmant nummi gentis POBLICI*ae* ad Poblicium Q. f. praetorem a. 590 referri soliti: quorum consuetudinem non est mirum etiam recentiores tenere a M. POBLICI*o* cusos, sive is Cn. Pompei Magni legatus pro praetore circa a. 677 fuit, sive filii cognominis circa a. 708: de quo Eckhelii Borghesii Cavedonii coniecturas Riccius Mon. fam. Rom. p. 179 composuit. Eandemque nominis formam etiam lapidum tituli quamvis recentes satis frequenti usu cum PVBLICIVS forma miscent. Nec diversa ratio *Poblilius Publilius* nominis vel POB*liliae* tribus est, cuius haec ipsa nota et antiquioribus temporibus constans fuit et post illa mansit diutius: nisi quod huic non tantum PVB vel PVBL successit posteriore aetate, sed media quadam etiam POP ut in *poplicus*: siquidem haec nota nec necessario et fortasse ne recte quidem pro POP*illia* accipitur. Quamquam in hanc partem nihil colligo e Scti de Asclepiade Clazomenio scriptura ΠΟΠΛΙΛΙΑ: quando latina POBL- vel PVBL- nomina numquam aliter Graeci extulerunt. Quod quidem ita instituisse ea aetate censendi sunt, qua POPLIOS Latini dicerent convenienter POPLOS formae, quae pariliter extensiorem POPOLOS antecessit atque VINCLOM cum finitimis supra tractatis extensiores VINCOLOM LEIBEREI FOSTOLOS. Ab his autem antiquissimis Graeci reperiuntur in vertendis nominibus latinis prorsus de more profecti esse: id quod Κάτλος Λέντλος Δέκμος Ῥῆγλος Βύβλος testantur cum similibus.

Plauti editoribus, admissa *u* vocalis quicquam illinc praesidii habeat: nam ipsam SVOS formam eadem illa lex repetundarum non minus tenet in PARENsVE · SVOS · FILIVSVE · SVOS § 1, item PARENSVE · SVOS § 18, quam in PERPETVOM COMPASCVOS MORTVOS vel EQVOS INIQVOM vel SVPCISIVOS VIVOM ea sibi scriptura constitit. Vnde perspicitur recentes esse, non antiquas eas inscriptiones, in quibus aut DVVM · VIR scriptum est ut in Capitolina apud Guascum Musei Capit. I p. 36 [C. I. L. VI, 1 n. 518] inque Puteolana I. R. N. 2514 [C. I. L. I n. 1235; P. L. M. E. tab. LXXVIII *E*], aut CLVVIVS ut in eadem et vicina 2513 [C. I. L. I n. 1236], aut VIVVS ut in Samnitica 4994 [C. I. L. I n. 1276]: pro quo alibi proditum VIVOVS cur ne commemorandum quidem duxerim in sociatarum OV litterarum exemplis, ex eis perspici potest quae ad titulum Mummianum p. XVI [supra p. 111] exposui. Non esse anno 649 marmori incisum quod hodie superstes est legis parieti faciundo Puteolanae exemplum, in quo habes sane DVVMVIRVM, vel frequentatae I *longae* novitas documento est: quantumvis antiquitatis in aliis formis servatum sit.*) Quo minus habeo qui antiquam esse mihi persuadeam Campanam illam 3789 [P. L. M. E. tab. LXX *H*; C. I. L. I n. 1242], quam diligenter a semet examinatam Mommsenus testatur litteris esse vetustissimis: in qua et SVVO

*) [Cf. P. L. M. E. tab. LXVI et Enarr. p. 58, ubi haec adnotavit Ritschelius: 'Anno 649 factae legis exemplum tantum haberi multo posteriore aetate paratum, etsi pridem a multis intellectum est ipsaque scripturae novitate extra dubitationem positum . . ., tamen verba formasque grammaticas pristinae tabulae satis apparet tanta religione lapidarium servasse aut voluisse ubique servare, ut iure nostro tamquam in vero monumento saeculi septimi medii versari nobis videamur. In quo genere cum perpauca sint quae aliquid dubitationis moveant (quale est quod Mon. epigr. tr. p. XV tetigi DVVMVIRVM), contra litteraturae sane ratio nulla habenda. Quae si centena exempla offerret vitiose productae I litterae, qualia mihi ipsi olim fraudi fuerunt Musei Rhen. t. VIII p. 493 (= Opusc. II p. 643), id omne vitio saeculi posterioris tribuendum esset. · Verum hac ipsa in re mirum quantum fallere quottot adhuc inscriptionis exempla vulgata sunt, nunc demum nostra e tabula planissime perspicitur. Singillatim hoc persecutus sum nuper eisdem Musei t. XIV p. 308 sq. (infra n. XIV).' C. W.]

illud, quod suo loco non praetermisi [Mon. ep. tr. p. 29. 35 (152. 160)], ac fortasse etiam COIIVVCI scriptum aegre expedias*), et SIBI exaratum non possis non valde demirari.

Non alia atque VIVOS VIVOM formarum, ratio est verborum VIVONT CONFLOVONT vel CONFLVONT, pro quibus ante saeculum octavum exitumve septimi ne potuere quidem VIVVNT CONFLVVNT scribi. Contra non minus vel rationis vel temporis intervallum, quam inter VIVOS
XVI VIVOM et CORNELIOS DONOM, certum est inter VIVONT vel CONFLVONT atque PONONT DEDERONT intercedere. Non ignoratam Quinctiliano I, 4, 16 *dederont probaueront* formarum vetustatem vel superstites sane quidam tituli testantur: ipsum DEDERONT nobilis lamina illa post Fabrettium et Maffeium ab Orellio n. 3147 [C. I. L. I n. 181] repetita, quo pertinent etiam in Pisaurensibus DEDRO DEDROT formae; COSENTIONT Scipionis Barbati f. elogium, ut mittam affectatam in EXFOCIONT antiquitatem columnae rostratae: nam ex *hau pulcro pulcrae Claudiae sepulcro* (Or. 4848 [C. I. L. I n. 1007]) a quibusdam proditum NOMINARONT fide caret, ficticium est in ficticia Spoletina Grut. p. 95, 6 DEDERONT una cum FACIONDAM. Sed illa, quibus plura quod sciam non exstant, ne quintum quidem saeculum excedunt. Quod insecuta aetas perrexit fortasse per aliquod tempus in eo usu: in neutram enim partem praesto sunt monumentorum exempla, codicum unum *nequinont* Livianum apud Festum p. 162: sed ita tamen ut iam anno 568 CONSOLVERVNT SVNT ERVNT in SC. de Bacanalibus legantur, item septimi saeculi ut conicio initio EMERV in Corano titulo ab Henzeno edito in Annal. Inst. arch. a. 1846 p. 254**), DANVNT in versibus Soranis, SVNT in miliario Popilliano, plurimis autem in decreto Genuati

*) [Cf. Enarr. p. 62: 'Campanus musei Borbonici, I. R. N. 3789, Or. 6392, ubi tamen praeter verum CONIVGI expressum pro COINVCI. Tam antiqui, quam habiti esse ab aliis videntur, nec hic nec proximi qui praecedunt credi poterunt.' C. W.]

**) [Editus nunc est in C. I. L. I n. 1148; P. L. M. E. tab. L *B*. — Enarr. p. 44 scripsit Ritschelius: 'de aetate tituli (Corani) errabam Mon. epigr. tr. p. XVI, quia de L litterae figura ex Annalibus Inst. Rom. a. 1846 p. 254 nihil constabat.' C. W.]

exemplis COGNOVERVNT COMPOSEIVERVNT DIXSERVNT IVSERVNT IOVSERVNT POSSIDEBVNT SVNT ERVNT FVERVNT HABVERVNT, nec usquam aliter in lege repetundarum. Hinc igitur recte aestimari valde singulare vetustatis documentum SONT poterit versu tertio tituli Aletrinatis positum, tametsi in eodem LVDVNT est v. 7, non quod Cittadinus testatur LVDONT.

Vnum restat quod non abhorrere a tanta antiquitate ostendatur: FACIENDA versu quarto pro eo quod exspectes FACIVNDA scriptum. De quo breviter dicere possum, verum non esse quod creditur vulgo, tam recentem esse eam formam, quam esse sane recentiorem certum est, ut vel praeter auctoritatem librorum in Plautinis Terentianisque fabulis constanter in *-undus* terminanda sint participia illa. Quod ut demonstretur, satis est SC. de Bacanalibus et aes Genuense commemorasse: quorum illud FACIENDAM exhibet, hoc COLENDI. Nec praeter haec monumenta duo contendi potest septimo saeculo eam terminationem, quae fit in *endus*, V vocalis usu multum praeponderari. Fatendum est semel tantum in lege repetundarum TRIBVENDEI haberi § 19, seriens *u* in LEGVNDIS SCRIBVNDI DEFERVNDO LEGVNDEIS DEICVNDO QVAERVNDAE. Contra in proxima agraria anni 643 adeo *e* littera praepollet ut, cum haec noviens scripta sit in FRVENDVM FRVENDVS FRVENDEIS FRVENDA DEDVCENDAE, bis tantum VENDVNDEIS legatur, idque tam mira fluctuatione ut FRVENDEIS VENDVNDEIS § 42 consocientur, prorsus ut post multo REFICIVNDAS STERNENDAS in lege Iulia municipali, quae pari in hoc genere cum agraria proportione est, vel in Formiano titulo I. R. N. 4102 [C. I. L. I n. 1192; P. L. M. E. tab. LX *K*] CLAVDENDAM et FACIVNDVM. Praeterea, ut aliquot exemplis quod dixi firmem eisque temporis notam certam habentibus, FACIVND· est in anni 648 Capuensibus 3562 (3563) [C. I. L. I n. 566 (567); P. L. M. E. tab. LXIII *B*], in anni 649 lege Puteolana 2458 [C. I. L. I n. 577; P. L. M. E. tab. LXVI], in anni 650 Capuensi 3564 [C. I. L. I n. 568; P. L. M. E. tab. LXIII *C*], REPETVNDIS STERNVNDIS in anni 662 Orelliana n. 569

[C. I. L. I *elog.* X; VI, 1 n. 1283], REFERVNDOS in SC. de Asclepiade anni 676, FACIVNDVM in eiusdem anni Orelliana n. 31 [C. I. L. I n. 592; VI, 1 n. 1314], CAPIVNDIS in lege Antonia anni 682, FACIVNDVM in Gruteriana p. 69, 11 [C. I. L. I ad n. 1105; VI, 1 n. 7] anni nisi fallor 685, item in eiusdem p. 160, 3 anni 692 [C. I. L. I n. 600; VI, 1 n. 1305; P. L. M. E. tab. LXXXVII], item in Lucana I. R. N. 321 anni 697 [C. I. L. I n. 604; P. L. M. E. tab. LXXXV *A*] et sic porro per magnam partem vel adeo maximam saeculi octavi. Contrariam vim habent EMENDVM *et fac*IENDVM in anni 655 Capuensi 3565 [C. I. L. I n. 569; P. L. M. E. tab. LXIII *D*], bis FACIENDVM in anni 656 item Capuensi 3569 [C. I. L. I n. 570], REFICIENDAM in anni 660 lege pagi Herculanei, RESTITVENDOS in Orelliana 570 [C. I. L. I n. 583] anni circiter 678, ut missum faciam saeculum octavum: sed ante haec omnia FACIENDAM in Corana illa Orell. 3808 [C. I. L. I n. 1149; P. L. M. E. tab. LXVIII *C*], FACIENDAS in vetere Pompeiana Mommseni 2196 [C. I. L. I n. 1249; P. L. M. E. tab. LXXVIII *J*].

Habetis singularium in Aletrinati titulo non paucorum enarrationem, non supervacaneam eam si, qui Gruteri de illis sensus fuerit, reputaveritis. Nimirum haec ille prae-
XVIII scripsit: *tabula lapidea, litera vetusta atque obsoleta, incorrectè scripta.* Nec hoc nescire vos volumus, quo potissimum consilio hos de titulo Mummiano, de miliario Popilliano, de epigrammate Sorano, de Aletrinatium lapide commentarios pertexuerimus. Quibus significationem fieri volumus, qua via esse insistendum putemus, si qui hac aetate bene merere de emendanda ratione grammaticae latinae animum induxerint.

VI.

De titulo columnae rostratae Duellianae

(accedit tabula lithographa*)).

I. Commentatio prior.**)

In venerandae vetustatis monumentis haberi solita tabula 3
illa marmorea, quam partem esse credunt columnae rostratae C. Duellio positae, quando et ubi reperta sit, certo locupletique testimonio unus ALDVS MANVTIVS nepos prodidit. Is enim eius tabulae titulo, quem primus omnium vulgavit in 'Orthographiae rationis' pleniore editione quae

*) [Tabulam VII non talem exhibuimus qualem Ritschelius commentationi priori adiunxit, sed e marmore denuo inspecto emendatam et editam P. L. M. E. tab. XCV. Eandem imaginem iam repraesentaverat Ritschelius in tabula xylographa commentationi alteri adnexa (eaque iterata in Enarr. p. 85. 86), in qua praeterea supplementa totius inscriptionis, qualia ipsi necessaria visa sunt, addenda curavit. Minus igitur recte scripsit Henzenus in C. I. L. VI, 1 p. 285: 'imaginem lithographam dedit Ritschl in programmate universitatis Bonnensis a. 1852 et P. L. M. tab. XCV, emendatam post inspectum a Brunnio lapidem iterum in programmate universitatis eiusdem a. 1861 et P. L. M. p. 85. 86.' C. W.]

**) [Programma academicum Bonnense a. 1852 'Natalicia Augustissimi regis Friderici Guilelmi IIII ... die XV m. Octobr. a. CIƆIƆCCCLII concelebranda indicit F. R.' singulariter sic inscriptum: 'Inscriptio quae fertur columnae rostratae Duellianae. ad fidem marmoris Capitolini exemplo lithographo exprimendam curavit F. Ritschelius.' Bibliopolae Berolinensi G. Trautwein traditum in publicum prodiit additis in fine inscriptionis his verbis: 'accedit commentarii pars I.' Vide nunc C. I. L. I n. 195; VI, 1 n. 1300; P. L. M. E. tab. XCV et Enarr. p. 82 sqq. C. W.]

anno CIↃIↃLXVI Venetiis prodiit, haec verba praemisit p. 142: 'Infra Capitolium, ad Arcum Septimii, vetustissima inscriptio, nuper effossa, anno MDLXV mense Sextili.' Vt, unde suum illud Sachsius habeat, qui in Hist. et descr. urbis Romae t. I p. 419 basim columnae rostratae anno CIↃIↃLX auctore cardinale Farnesio effossam esse scribit, prorsus ignorem. Quem parum peritum harum rerum existimatorem etiam in hoc deprehendo, quod dedita opera quaerere potuit, num forte, quae hodie in 'palatio conservatorum' Capitolino columna rostris exornata conspicitur, cuius ipsius basi titulus Duellianus ille insertus est, non esset ex antiquitate prodita: quam saeculi XVI artificio deberi breviter, ut erat consentaneum, Ernestus Platnerus admonuit Descr. Vrb. t. III, 1 p. 108. Nisi quidem paullo etiam rectius de saeculo XVII cogitabis propter eam quae infra afferetur ratiocinationem.

Circa ipsum autem reperti lapidis tempus etiam alia inscriptionis exempla parata esse partim compertum est partim probabile. Et unum quidem ad STEPHANVM PIGHIVM pervenit sic ea de re narrantem Annalium Rom. t. II p. 24: 'Reliquos nunc in eo characteres, uti extant, diligentissime
4 descriptos more suo Româ, mox ut inventum marmor erat' (quod Parium esse, 'truncum illud atque contusum' modo dixerat), 'amicissimus meus Nicolaus Florentius Batavus Bruxellam ad me misit: quemadmodum solebat tum perquam accurate nobis communicare recens inventa quaevis non prius a me visa, si ad communia nostra studia pertinere videbantur.' Ipsam autem columnam (sic enim loquitur) cum 'paucis abhinc annis Romae esse erutam e ruderibus fori Romani, inter Septimianum arcum et Capitolii radicem' Pighius dicat, aliqua fieri coniectura potest quo fere tempore chartis haec consignaverit: quando publicam lucem primum Annalium volumen (cum praefatione anni CIↃIↃXCVII) anno demum CIↃIↃXCIX vidit, alterum post mortem adeo Pighii a. CIↃIↃCXV prodiit. Sed quibus supplementis mutili tituli exemplum a Florentio acceptum redintegrare conatus est, ea profecto sciri nequit quo tempore sic uti nunc p. 26 expressa leguntur perscripserit: ut, utrum suo illa ingenio omnia debeat an eorum curas suum in usum converterit, qui

usque ad annum CIƆIƆCVIII (quo ipse vita decessit) in eadem re elaborarunt, valde dubia sit opinatio. Nec tamen in hoc Pighius substitit, verum in tabula aeri incisa adiecit 'ipsius figuram columnae ex antiquitatum reliquiis eleganter admodum Romae delineatam, et ANTONII LAFRERI nec non TRAMEZINORVM fratrum formeis aheneis publicatam': quae figura integrum titulum in columnae basi perscriptum repraesentat, non sine paucis quibusdam a Florentiano exemplo discrepantiis quantumvis eis levibus. Sed quo anno Lafreri illud artificium Romae prodierit, incompertum. Ceterum Pighianum exemplum in sua Flori editione a. CIƆIƆCLXXX Georgius Graevius iteravit.

Suis oculis recens repertum lapidem lustrare etiamtum potuit ONVPHRIVS PANVINIVS, qui anno CIƆIƆLXVIII diem supremum obiit. Quamquam in hanc partem nihil illinc concludendum, quod similis, sed haudquaquam congrua Lafrerianae columnae imago aere expressa, cum inscriptione tamen non in basi, verum in singulari tessella conlocata eademque supplementis aucta, reapse adiecta est Panvinii de triumpho 5
libro in Graevii Thesauro antiq. Rom. t. IX p. 1384. Nam nec in ipso Panvinii commentario ulla mentio fit illius monumenti, nec potuit fieri, ut qui iam anno CIƆIƆLVII, quantum ex Eberti lexico intellego, Venetiis esset foras datus. Vnde cum in promptu sit conicere in posteriorum una editionum, quae post mórtem Panvinii paratae sunt, figuram illam aeneam accessisse demum, tum nescio an id iam anno CIƆIƆLXXI factum sit in Veneta illa quam prodiisse 'cum figuris aeneis' Maderus in suis ad Panvinium notis (Helmstadii a. CIƆIƆCLXXV emissis) testatur: ut vel hinc vel ex aliqua posteriore (nam etiam Venetam anni CIƆIƆC, item anni CIƆIƆCXVIII Romanam, 'Amplissimi ornatissimique triumphi ex monumentis descriptio' inscriptam, commemorari video) petiisse Graevius putandus sit. Verum enim vero cum in ea tabula inscriptionis quidem ipsius exemplum tam prope accedat ad Pighiani Lafrerianique speciem, ut e communi fonte profecta esse facile videantur, lacunarum autem supplementa et Pighianis et ceteris quae sunt post facta omnibus dissimillima sint, proximo autem saeculo in reconcinnando

titulo sequi se Ciacconium et Onuphrium Panvinium planis verbis Gozzius testetur: ex his omnibus non immerito conligas aliquid supplementorum (nam paullum est sane) iam Panvinium in schedas coniecisse, id autem post eius mortem demum in lucem protractum novis 'Triumphi' exemplis ab editoribus adiectum esse. Quodsi Gozzium non satis curiose ipsi Panvinio tribuisse, quae in commentariis tantum Panvinianis recens editis repperisset, credideris, nesciri fatendum erit ad quem auctorem supplementa illa referenda sint.

Triennio antea repertum titulum Romae peregrinans 'vidit et descripsit IVSTVS LIPSIVS anno LXVIII', ut Gruterus Inscr. p. CCCCIV testatur verbis ut puto Lipsianis. Sed prius quam publicavit integrum, aliqua ex parte tractavit in Antiquarum lectionum libris anno CIↃIↃLXXV primum editis. Ibi enim capite 14 libri II de columna rostrata C.
6 Duilii his praemissis: 'ostendit fragmentum antiquissimi lapidis in foro Ro. eruti, quem huius ipsius columnae partem esse omnes humanitate tincti homines mihi assentient', quattuordecim ab initio versuum 'fractam et mutilam scripturam' ipsam proponit, 'ita' ut ait 'cum cura expressam ut non ipsa Fides possit fidelius.' Quo etsi plus affirmavit quam praestitit, tamen hoc illinc intellegitur, anno CIↃIↃLXVIII nondum fuisse in superstite tabula eas litteras litterarumque partes recenti manu adiectas, quibus hodie v. 10 effectum est OLOROM, v. 11 NAVEIS CEPET, similiaque minore ambitu alia in dextra parte. Nam cum a Lipsio etiam supplendi tituli tenuissimum quoddam initium pauculis adiectis litteris factum sit, in versu tamen undecimo servavit lacunam, de v. autem 10 in insolitarum formarum quarundam brevissima quam subiecit interpretatione sic suspicatur tantum: 'quod fractum legitur OL . . . . OM, puto fuisse OL*LOR*OM, id est *illorum*.' De aliis quam non constiterit ei illo tempore, haec ostendunt quae de EXFOCIONT addit: 'illud monstrum verbi quid sibi velit, Apollo rogandus est: nisi cui placet eruditissimi St. Pighii amici mei coniectura, qui antique pro *exfugiunt* scriptum iudicabat.' Nihildum igitur supplementorum ab aliis excogitatorum illa aetate per-

crebruisse Lipsioque innotuisse apparet, ne ea quidem quae cum Panviniano libro vulgata esse ante dixi, ubi multo plura quam a Lipsio recte expedita sunt. Tredecim demum post annis integri tituli Romae a se transcripti exemplum integrum, quamquam illud in extremis versibus neglegentissime factum, idem Lipsius publicavit in suo ad Smetii Inscriptiones Auctario anno CIↃIↃLXXXVIII edito: simul autem alterum exemplum tituli multo plenius quam olim coniectura reconcinnati addidit, nisi quod hic quoque extremos versus non attigit. Vnde utrumque in suum Corpus Gruterus l. s. s. recepit, reconcinnatum etiam Graevius iteravit Thes. Antiq. t. IV p. 1831. Ceterum non eam Lipsii in hoc genere diligentiam fuisse, ut non compluribus in locis satis diversa de superstite scriptura et haec duo exempla et rursus illud quod olim ediderat testentur, infra apparebit. In supplendi 7
autem opera num forte Lipsio Panvinianum exemplum praesto fuerit, quocum tamen paucis tantum in locis illi convenit, non magis quam illud exploratum est, num quid forte e Pighii curis per litteras ut fit secum communicatis (quale illud de EXFOCIONT fuit quod supra tetigi) profecerit: quando tam multa eaque ex parte tam singularia Lipsius Pighiusque communia habent ut, etsi neutrum neuter commemorat, tamen non possit alterutrius inventa alter ignorasse. Nam Lipsiano Auctario etsi potuit sane Pighius, si post annum CIↃIↃLXXXVIII scribebat, commode uti, tamen dubitatio inde nascitur, quod tam pauca Lipsium aliquot ante annis meditando expediisse ex Antiquarum lectionum libris perspicitur. Quae cum ita sint, haud scio an non fallatur qui e communi fonte, cuius mentionem faciat neuter, utrumque hausisse sua coniecerit: qui est docti Hispani liber perutilis.

Quae enim Thesauri Graeviani tomo IV inde a p. 1807 inserta est Petri Ciacconii Toletani 'In columnae rostratae inscriptionem a se coniectura suppletam explicatio', eius quidem supplementa (quae etiam Pighii exemplo 'typographus' Antverpiensis subiunxit, Flori editioni suae a. CIↃIↃCCXXII Dukerus inseruit p. 928 sqq., repetiit etiam Funccius de pueritia latinae linguae p. 119) in rebus cum

gravioribus omnibus tum levioribus plerisque adeo cum Lipsianis Pighianisque congruunt, casui ut ea in re nullus locus sit. Quod autem inter utrosque discrepantiae intercedit, id etsi fatendum est sane, ubi per se spectetur, ita comparatum esse, ut cum maiore probabilitatis specie quaedam esse inutiliter addita a Ciacconio quispiam sibi persuadeat quam ab illis resecta: tamen unde tandem horum ipsorum curas omnino innotescere potuisse Ciacconio putabis, quippe iam anno CIƆIƆLXXXI mortuo? Quodsi ne Lipsium quidem potuisse Ciacconii commentario uti obieceris, ut qui non ante annum CIƆIƆCVIII in lucem proditus sit, aliquam sane hoc
8 veri speciem hinc habet, quod nec Ebertus Krebsiusque aliam praeter illius anni editionem*), quae mihi quoque sola praesto est, noverunt, et prorsus ita de 'Ciaconii', qui 'superioribus annis Romae obiisse' dicitur, libellis postumis in illius prooemio mentio fit, quasi ei numquam antea typis impressi sint. Sed tamen propter eam quam significavi caussam vix videtur fieri posse quin fides Bernhardyo habeatur, qui historiae litt. Rom. p. 179 ed. alt. iam anno CIƆICLXXXVI Ciacconii commentarium Romae prodiisse, incertum quo auctore**)

---

*) Est ea hoc titulo: 'PETRI | CIACONII | TOLETANI | Opuſcula. | *In Columnae Roſtratae inſcriptionem* | *De Ponderibuſ.* | *De Menſuriſ.* | *De Nummiſ.* | ROMAE | Ex Typographia Vaticana. | M DC VIII. | *De licentia superiorum.*'

**) Nam suis oculis vidisse aegre credam, cuius quidem haec verba sint: 'ergänzt von P. Ciacconius beim Buche *de numis ponderibus et mensuris*, Rom. 1586.' Nec enim in hunc modum discrepare utriusque editionis indices veri est simile, et tantum abest ut ullo modo adventicius sit de columna rostrata libellus, is ut et praecedat ceteros in posteriore editione et haud paullo his limatior sit. Vt multo magis in hos (qui ne latini quidem toti sunt, sed prōmiscue latino atque Hispano sermone scripti) quam in illum ea cadant quae in prooemio leguntur: 'Inter schedas Petri Ciaconii Toletani . . . . reperti sunt hi libelli eius manu diligenter quidem descripti, non tamen omni ex parte absoluti, cum eos iam pridem sic digestos in arca reposuerit, iterum relecturus: quod gravioribus postmodum curis distentus perficere non potuit nec suprema censura illos expolire.' — Ceterum quod 'P. Ciacconii in columu. rostr. C. Duilii Inscriptt. commentt. Rom. 1597' (sic) Baehrius Hist. litt. Rom. t. II p. 8 commemorat, id quale sit prorsus me fugere fateor.

narrat. Quod si est ita, non habeo sane quos, praeter unum fortasse Panvinium, illos esse dicam, quos ante se in instauranda columnae rostratae inscriptione operam conlocasse suam Ciacconius his verbis significat p. 5 (1812): 'nec enim mihi ipse tantum arrogo, ut quod eruditi quidam viri, cum in eo non parum studii posuerint, non satis feliciter perfecisse videntur, id vel aliqua ex parte assecutum esse me sperem.' In quo viro quoniam par accuratae doctrinae laudabilique diligentiae modestia apparet, quo plus similitudinis inter ipsius atque Lipsii Pighiique supplementa intercedit, eo minus illum credibile est hos, si ab eis profecisset, aut silentio praeteriturum fuisse aut sic uti fecit tecte significaturum. — Ceterum ipsum lapidem a Ciacconio inspectum esse ipsius verba fidem faciunt: ac Romae eum degisse satis 9
constat. Nec multo post erutum e terra titulum ad scribendum accessisse, haec eius verba docent: 'Eius columnae basis, seu parastata potius, non procul ab arcu Septimii, in Foro ipso Romano, proximis superioribus annis e ruderibus effossa fuit.'

Post hos non edidit quidem eam inscriptionem, sed tractavit tamen aliqua ex parte formasque notabiliores inde excerpsit anno CIↃIↃXCV (hunc enim ipse testatur p. 45 ed. alt.) CELSVS CITTADINVS in suo 'Trattato della volgare lingua' Venetiis a. CIↃIↃCI primum edito, iterato in eius 'Opere raccolte da Girolamo Gigli' Romae a. CIↃIↃCCXXI. Vbi p. 12 'questa incrizione' inquit 'benchè per la maggior parte lacera, e manca per le ingiurie del tempo, e delle ruine; si conserva oggi nel Romano Campidoglio', de tempore autem primum inventi marmoris sic loquitur p. 24: 'presso al qual Campidoglio fu al tempo di nostri padri ed a memoria mia trovata la detta base.' Qua in basi num illo iam tempore eae quae recens accesserunt litterae insculptae fuerint, haudquaquam hinc posse existimari videtur, quod inter exceptas a Cittadino formas etiam OLORVM illud est, iam a Lipsio, a Ciacconio (quem ipsum commemorat ille) atque apud Panvinium sic instauratum.

È Ciacconio autem tota fere opella Itali hominis GAVGES DE GOZZE Pisaurensis pendet, qui Romae a. CIↃIↃCXXXV

vulgato tali libello: 'Iscrizione della base della colonna rostrata, già nel foro Romano, supplita ed illustrata', quem latinum fecit Abrahamus Preigerus in Graevii Burmannique Thes. antiq. et hist. Ital. tomi IX parte VIII, fere in variando sermone tantum leviterque mutandis vocabulorum formis quibusdam a Ciacconii supplementis discessit*), nec ad enarrandum titulum quicquam contulit quo fieri operae pretium censendum sit. Quamquam ipsum sane lapidem ab eo examinatum esse cum certo argumento intellegitur in quod infra incidet oratio, tum ipsius testimonio constat e quo, qualis tunc marmoris condicio fuerit, commode discitur. Qui ubi de titulo in honorem Duellii facto disseruit, 'exstat' ait 'iste titulus in basi marmorea, cui columna quam dicimus [h. e. commemorata a scriptoribus] imposita fuisse debet. Basis autem (quae undique detrita inque plures partes confracta ac dilacerata est per temporis ac ruinarum iniuriam, adeo ut non solum scripturae principium ac finis, sed et multa verba hic illic desiderentur, uti praesens ipse vidisti haud dubie et hoc a me reconcinnatum exemplar ostendet) annis abhinc quam plurimis a fodientibus terram reperta est paullum ultra Imperatoris Septimii Severi arcum triumphalem, proxime fere columnam illam solitariam, quae superstes adhuc visitur e regione ecclesiae S. Adriani, cognominatae *in tribus Foris*, quoniam media inter forum Romanum ab Augusto adiectum et forum Traiani et forum Nervae Imperatorum posita est; postea populus Romanus eam

*) Quod quidem ita esse satis tecte dissimulat potius quam significat, cum 'adhibitis iis praesertim adminiculis, quibus eandem suppleruut ac reconcinnarunt Petrus Ciacconius Nobilis Toletanus et Frater Onuphrius Panvinius', elaborasse sese scribit p. 5. Quem pessimae fidei hominem deprehendi, ex quo intellexi miliarii Popilliani commenticium supplementum illud, quod ad Gozzium auctorem referebam in comm. de eo titulo nuper edito p. 11 [supra p. 126], una cum reliquis omnibus quae de lapide narrat transcripta esse e Celsi Cittadini libro supra commemorato p. 42 sq. Cuius verba infra posui: 'un' altra iscrizione alla qual, benchè manchi il primo verso, nel qual dovea essere scritto il nome dell' auctore di essa, nondimeno per molti forti e ragionevoli argomenti si ritrà, che ne fosse autore Manio Aquillio Gallo viceconsole o pretore di Sicilia l' anno di Roma 654': e. q. s.

restaurandam ibique collocandam curavit ubi praesenti tempore conspicitur, ad exordium sive pedem graduum palatii Dominorum Conservatorum in Capitolio Romano, tamquam rem pretiosam uti revera est.' Quae verba si recte interpretor, ipsa quidem tabula iam reconcinnata illa aetate erat, sed eadem nondum coniuncta cum recens facta columna illa, quacum composita est hodie. Quamquam in promptu est cur cum confidentia iudicari nequeat. — Ceterum Gozziana supplementa transierunt in Alexandri Donati 'Romae veteris ac recentis' editiones plurimas, etiam eam quam 11
in Thesauri antiq. t. III paravit Graevius, p. 587: falsissimum est enim quod ibi praemittitur 'Inscriptio in basi columnae rostratae a Petro Ciaconio suppleta.'

Eodem anno CIƆIƆCXXXV quod eandem inscriptionem 'RVBEVM celebrem Italum exhibuisse' Funccius l. s. s. p. 117 tradit, nescio equidem quo et quali id libro factum sit: nec magis, quem e claris eo nomine Italis dicat, conicere possum. Sed alius restat qui illo saeculo bene de hoc monumento meruerit, ELIAS BOHERELLVS: cuius manu scriptas 'animadversiones ad Nardini de Roma vetere commentarium, ad quem exegit omnia Vrbis loca cum illam perlustraret in itinere Italico et perquam diligenter omnia rimaretur', in praefatione tomi IV Thesauri antiq. Graevius posuit. Vbi pagina a fine quarta haec praemittuntur Boherelli verba: 'Vidi ipse quoque unam de his columnis insertam muro Palatii Conservatorum in Capitolio ad imam scalam a sinistra in introitu, cum inscriptione in eius basi, sed valde mutilam et imperfectam. Est illa columna Duiliana, qua de mecum egit Tanaquillus Faber in epistola 32 libri II epistolarum, ubi et mihi commendat aliam inscriptionem, quae eodem fere tempore fuit dedicata. Gassendus loquitur de utraque in vita Peirescii ad annum CIƆ DCXVI.' Adposui haec ut, quo fere tempore Romae Boherellus peregrinasset, intellegeretur: nam Fabri illa epistula inter eas conlocata est (edit. Salmur. a. CIƆIƆCLXXIV t. II p. 82 sqq.) quae sunt a. CIƆIƆCLXIII scriptae. Ergo tum saltem iam coniuncta fuit cum recenti columna vetus tabula litterata eo quo hodie exstat exemplo, si modo Gozzii aetate id nondum esse factum credideris:

quamquam de loco nulla inter utrumque dissensio est. 'Subiecit' autem Boherellus (nam haec Graevii verba caecutiit qui ad Gassendum rettulit Preigerus in sua ad Gozzium praefatione) 'inscriptionem, quam accurate cum lapide contulit': quam ita 'ut in fracto lapide conspicitur' aeri incisam lau-
12 dabili consilio Graevius proposuit. Nam est hoc sane omnium quae adhuc prodierunt longe accuratissimum exemplum: ut in quo etiam recentes a priscis litteris litterarumque particulis non tantum v. 10. 11 et 12, sed etiam v. 3. 4 probabili cum fide ac diligentia discretae sint, ubi quidem plena MACISTRATOS et EXFOCIONT vocabula tradiderant priores omnes.

Ex illo inde tempore per annos plurimos nihil quod sciam in hoc argumento praestitum est a quoquam. Nam Io. Nicolai Funccii exiliores curas, quas supra commemoravi, sciens praetermitto: nec magis sive totius columnae sive inscriptionis ea exempla moror, quae Floro ab Laurentio Begero edito Sallustique nescio cui Raphelingianae editioni esse adiecta dicuntur: nec M. Conr. Nahmmacheri 'Schedium de columna rostrata' vidi, cuius ipse mentionem inicit in Commentario de literatura Romana Brunsvigae emisso a. CIↃIↃCCLVIII p. 10. Perversissima tituli species est a Ludovico Lanzio suo de lingua Etrusca libro inserta t. I p. 113 (148 ed. pr.): quo haud paullo curatius Burtonus exhibuit in Antiquitatibus Vrbis a Sicklero vernacule versis p. 624 sqq. Prioribus autem auctoribus promiscue usus qui nostra memoria tituli suis supplementis aucti novum quoddam exemplum commendavit G. F. Grotefendivs Grammaticae latinae t. II p. 494 sq., id et in plurimos aliorum libros transiisse et nostratibus nunc fere pro limpido fonte esse e quo inscriptionis Duilianae notitiam omnem hauriant, hoc magis dolendum est quo plura in eo insunt aut a probabilitate omni aut ab ipsa veritate aliena: cuius rei insigni documento hoc est, quod numerorum notas illas, quibus capti aeris multitudo significatur, undeviciens posuit, cum deberet viciens semel. Et tamen tam male et suae existimationi et sylloges suae fidei Io. Casp. Orellivs consuluit, ut non alium auctorem in repraesentanda n. 549 inscriptione nisi

unum illum Grotefendium sequeretur. Quod ille damnum vix
aliquo modo resarsisse eo censendus est, quod acceptam ab
OLAO KELLERMANNO emendatam lectionem Analectis epi-
graphicis Turici a. 1838 editis inseruit. Quamquam ne huius 13
quidem quantumvis religiosi scrutatoris opera praestari id
ipsum poterat quo vel maxime opus erat.

Nam ut et breviter et graviter dicam: tot hominum tantis curis et laboribus nullo modo illud est effectum ut, quae in lapide vel sint vel non sint, et quomodo sint quae sunt, reapse sciatur certumque fundamentum quo tuto confidas paratum sit. Vt iure suo iam Dukerus 'omnes aliter atque aliter exhibere' questus sit ad Florum. Nec enim vel de mutilarum litterarum apicibus in marmore servatis vel de deperditarum tabulae partium mensura satis constat: quando de spatiorum rationibus ne Boherellus quidem non fallit. Et tamen, nisi utrumque genus summa cum cura rimatus exploraveris, non poterit supplendi opera recte atque ordine procedere: prius autem quam supplementorum probabilitate tituli integritas reconcinnata sit, non licet illius aetatem et originem via ac ratione disceptare et, quod est consequens, consideratum de eius fide et auctoritate iudicium facere: quam rem eo plus habere et gratiae et necessitatis apparet, quo securius a columnae rostratae testimoniis et grammaticam latinam et historiam linguae ordiri plerique consueverunt. Itaque quamvis sagaciter singula multa sive ab aliis sive a Lipsio potissimum et Ciacconio excogitata sint, tamen continua instauratio tituli universi ex editoribus omnibus nulli ita successit ut artis legibus satis factum sit, supplendique conamina ad unum omnia, ut in hoc subsistam, eo corruunt quod intervallorum rationes non modo non observatae satis, sed incredibilem in modum neglectae sunt.

Quae cum ita essent, hoc agendum esse praeter cetera intellegebam, ut qua posset fide ac religione ad superstitis lapidis similitudinem inscriptio Capitolina denuo repraesentaretur. Id igitur quod iam videri potest in adiecta huic commentationi tabula satis probabiliter praestitum esse, coniunctis cum nostra industria et lithographi haud vulgari artificio et HENRICI BRVNNII nostri studio debetur: a quo

14 non tantum ectypo chartaceo expressum exemplum scite admodum paratum est et ad me comiter transmissum, sed etiam de omnibus eis et accuratissime et patientissime relatum, quae per litteras identidem ego sciscitatus essem. Ergo cum de superstitibus hodie verbis et litteris nihil quod desideres relictum sit, tamen non inutiliter de illis quaeretur, si quae forte olim legi potuerint nunc deperdita in lapide. Cuius margines cum possint aliquanto integriores fuisse priusquam in tabulam quadratam illo immisso frustula quaedam detererentur, hoc ut quale sit planum fiat, componenda sunt de singulorum versuum cum initiis tum finibus superiorum editorum testimonia: quibus tamen utendum cum certis cautionibus. Primum enim specie tantum, non re discrepare illos apertum est, cum eas litteras, quarum nihil nisi aut fragmenta aut tamquam umbra quaedam fragmentorum superest, alii integras posuerunt, prorsus omiserunt alii: quippe quibus scripturae frustulis exprimendis impar esset ars typographi. Deinde ex ipsa typorum et maiusculorum (sive unciales vel versales appellaveris) et capitalium et minusculorum et cursivorum similitudine non potuit non aut ambiguitas aut error nonnullis in locis nasci. Denique manifesta est quorundam neglegentia in supplementis a pristina scriptura discernendis: quo in genere neminem fuisse Lipsio indiligentiorem illae discrepantiae haud paucae arguunt quae inter tria exempla Lipsiana intercedunt. Quorum illud, quod est in Antiquis lectionibus, primum dicimus: secundum, quod sine supplementis in Auctario inscriptionum Smetianarum posuit, nobis Gruteri fide cognitum: tertium, quod ibidem accessit supplementis auctum.

Ipsum autem, quale nunc est, tituli initium quod in duobus solis exemplis, Lafreriano et Panviniano, integer versus praecedit has litteras praestans:

· C · D . . . . . . M · F · M · N · C . . . . L · . . . .

(nisi quod *Duilios* et *Conso*L est in Panviniano), id vix posse dubitari videtur quin e mera interpolatione repetendum sit: quamquam fraudi et Drakenborchio fuit in Liv. XL, 52, 5
15 et Garatonio in Ciceronis Plancianam excursu VII p. 262 sqq.

ed. Orell. Nec satis adposite ad rem Dukerus Flori sui p. 930 sic commentabatur: 'de quo quid dicam non habeo: nisi vel eos, qui plura in marmore illo scripta fuisse prodiderunt quam Ciacconius, parum recte vidisse, vel literas nonnullas deinde ita exolevisse ut visum effugerent. nam mihi omnino verosimile videtur Ciacconium, qui non multo post effossum marmor Romam venit et in ea urbe per aliquot annos vixit ac diem obiit, inscriptionem, quam ex professo commentario inlustravit, et saepe et adcuratissime inspexisse nec quidquam eorum, quae tum in ea legebantur, detraxisse aut addidisse.' Atque hoc quidem ille satis recte; quo tamen plus valet, quod ne ante Ciacconium quidem lectas esse illas litteras, tacentium de eis Manutii Florentii Lipsii consensus arguit: quando 'C. Duilios. M. f. M. nepos. Coss.' posuit Pighius. Nam cur nolim ex eo argumentari, quod ipsa Duelliana aetate non est sane credibile avi nomen addituros fuisse (quod non ante exeuntis saeculi sexti tempora videam accedere solitum), facile est ad intellegendum. — Haec autem dum scribo, affertur Diarii Bergkiani novissimus fasciculus, in quo non sine miratione video BILIOS formam ab editore commemorari p. 336 ut in columna rostrata exstantem: quae nihil est nisi Ciacconii in supplementis suis commentum idque pravissimum. Qui error si Bergkio potuit accidere, profecto non videbitur opera abuti qui novam huius monumenti editionem paraverit. Ceterum non magis errore vacat, quod prius fuisse *Duilios Bilios* formas, successisse demum *Duellius Bellius* Bergkius sibi persuasit: id quod prorsus aliter se habet.

Versu autem primo ANO sic ut hodie fractis litteris Boherellus: plene perscriptis Manutius, Lipsius 2. 3, Ciacconius, Gozzius, Kellermannus. AN · O Panvin. AND Lipsius 1, quippe *pugn*AND*o* supplens. ANOS Pighius. S AN · O Laferius: quo voluisse *Segest*AN · *Opidom* (ut est apud Panv.) significare credibile est

V. 2 D · XEMET Man. D · *e*XEMET Ciac. DEXEMET Kell. EXEMET Lips. 2. *e*XEMET Lips. 1. D · EXEMET 16
reliqui In fine LECIONI Boh. LECIONE Kell. LECION Man. Pigh. Lips. 1. Ciac. (nisi quod G pro C Pigh., T pro I

Man.) LECIONES Lips. 2. 3. Panv. Gozz. LECIONES · R Lafr. (puto quia LECIONES · *romanas* est apud Panv.)

V. 3 XIMOSQVE soli Man. Gozz. Boh. Kell.: reliqui omnes AXIMOSQVE In fine MCISTRATOS Panv. MACISTRATOS Gozz. MAGISTRATOS · I Man. MACISTRATOS · L reliqui, nisi quod G pro C Lips. 2, E pro I Lips. 3, MACISTR*a*TOS Ciac., MACISTR[A]TOS Boh., MACISTR · · TOS Kell.

V. 4 ƆVEM Lips. 1. 2. OVEM Lips. 3. Pigh. Panv. Lafr. Kell. VEM reliqui In fine MACE Man. MACEL Boh. MACEL reliqui

V. 5 CNANDOD Pigh. Panv. Lafr. CNANDRO Man. VCNANDOD reliqui In fine MA(*cestratod*) Lips. 3. MACI Pigh. MACIS Panv. Lafr. MAC reliqui, attrita C littera Bob.: nisi quod MAG Man.

V. 6 M pro EM Lafr. In fine PRIMOS · (*ceset*) Lips. 3. PRIMOS · C reliqui, fracta C littera Boh.: nisi quod PRIMOS Ciac. Kell.

V. 7 CLASESQVE Pigh. Panv. Lafr. Lips. 1. 3. LASESQVE reliqui In fine PAL Pigh. Panv. Lafr. PA reliqui

V. 8 VMQVE Ciac. Boh. CVMQVE reliqui In fine OMI Man. Lips. 1. 2. Kell. O(*mneis*) Lips. 3. OM reliqui Praeterea de medio versu non piget adnotare veram NAVEB ⊘ S scripturam in solis Panv. Lafr. Ciac. exemplis esse eandemque apertis verbis Gozzium testari: NAVEBOS in Man. Boh. (nisi quod I pro E et hic et v. 6 Man.) item apud Kellermannum: NAVEBOVS in Pigh. Lips. 1. 2. 3. Quod cum iam Cittadinus quale esset pervidisset, plurimos tamen in transversum egit

V. 9 VMAS Man. Ciac. Boh. Gozz. Kell. SVMAS reliqui In fine PRAESENTE omnes

V. 10 ƆICTATORED Lips. 2. Boh. ICTATORED Man. Ciac. Gozz. DICTATORED reliqui Deinceps O*lor*OM Ciac., 17 in commentario OL'''///OM testans in marmore esse. OI · · · OM Kell. OL · · OM Lafr. OL*or*OM Panv. OL'''///OM Lips. 1. OL · · · OM Lips. 2. OLO*r*OM Lips. 3. OLO*r*VM Pigh. OLOROM Gozz. OM · · · · M Man. Ipsam lapidis, qualis nunc est, fidem solus Boh. servat Mox M*a*RID Ciac. M · · RID Kell.

MARID reliqui omnes, attritis ID litteris Boh. In fine PVCN Pigh. Lips. 1. 2. 3. LVCV Man. PVC reliqui, fractis litteris Boh.

V. 11 IQVE ex antiquioribus unus Gozzius et repraesentat et testatur p. 26 (11): item Kellermannus. \ı OVE Boh. NQVE Panv. Lafr. Lips. 1. 2. 3. QVE reliqui Mox NAVE · · · · · · T Kell. NAVI · · · · · · T Man. NAV*cis cepe*T Pigh. NAV · · · ET Lafr. NAV*ebos* ET Panv. NAVE//////EV//// (sic) Lips. 1. NAVI · · · · · · · T Lips. 2. NAVES · *Cepe*T Lips. 3. NA*veis cepe*T Ciac. NAVEIS [CEPE]T Boh. NAVEIS · CEPET Gozz. Deinde SOCIEIS · · · · (pro SOCIEIS) Lips. 2 In fine SEPTER Pigh. Panv. Lafr. Gozz. Kell. SEPTEM Man. Lips. 1. 2. 3 et fracta ultima Boh. SEPTE(*mresmomque*) Ciacconius, sed sic narrans p. 29 (1826): 'ita fractus est lapis, ut fere discerni nequeat fueritne scriptum SEPTER an SEPTEM. verum M litterae vestigia potius exstare mihi videntur, ideoque ita scripsi.' De quo virum optimum prorsus fefellit opinio

V. 12 QVE Lips. 3. Kell., fractaque Q littera Boh. OSQVE Man. Lafr. Panv. Lips. 2. Ciac. ////////OSQVE Lips. 1. SQVE Gozz. (*quinres*)MOSQVE Pigh. Vt de hoc potissimum loco non videatur dubitari posse quin ibi integrior olim lapis OSQVE scriptum habuerit, cum in aliis multis valde verendum sit ne, quod esse indubitatum putarent, in sua exempla intulerint quamquam non exstans in marmore In fine NAVEIS · XX soli Pigh. et Lips. 3, errore ut puto pro X*x*: quemadmodum etiam v. 11 XXXQVE expressum est apud Pighium pro eo quod voluit haud dubie *xxx*QVE

V. 13 ↃM Lips. 2. OM Pigh. Lafr. Panv. Lips. 1. M reliqui omnes In fine (post CIↃ CIↃ CIↃ) DCC Man. Pigh. Lafr. Panv. Ciac. DↃↃ Gozz. DC Kell. et fracta C littera Boh. D · CIↃ · Lips. 1. D CIↃ . . I . . Lips. 2. Nume- 18
ros omittit Lips. 3. Nihil in lapide fuisse potest nisi aut DC aut quod est probabilius DCC

V. 14 TOM omnes In fine CCCIↃↃↃ C solus Ciacconius. Nisi forte non est casu factum quod apud Kellermannum expressum est CↃIↃↃ!

V. 15 et 16 numerorum notas ad veritatem lapidis soli expresserunt Man. Lafr. Panv. Boh.: item Kell., nisi quod is ccIↄↄ perpetuat pro cccIↄↄↄ. Iustam multitudinem servant Ciac. Gozz., sed per tres versus distributam: item Lips. 2 in duobus primis versibus, quibus tamen tertium subiecit perversissime, in quo eandem notam posuit septiens (nam Lips. 1. 3 in versu 14 desinunt). Quam viciens sexiens Pighius repetiit per versus quattuor

V. 17 TOQVE Lips. QVE Lafr. OQVE reliqui In fine POPLOM Ciac. POPLO·N Pigh. Lafr.: quippe POPLO-*Numos* in Panv. est. POPLOI Kell. POPLO cum reliquis etiam Boh. In medio versu PR·AEDAD Kell. praeter rationem

V. 18 CARTA fractis litteris Boh. CARTAC Kell. CARTÁCIN Gozz. CARTACINI Man. Ciac.: quarum litterarum exilissimos ex parte apices, quales in lapide indagasse sibi Brunnius visus est, imitatus est lithographus. CARTACINI····IS Lips. CARTACINIENSI·N Panv. Lafr. CARTACINIENSIS·*i*N Pighius (statim continuans is *i*N*ge*NVOS)

In fine NVOS Man. NVOS·D Ciac. Kell. et fracta ultima Boh. ENVOS·D Gozz. NVOS·L Panv. Lafr. NVOS·B(*is*) Pigh. NVOS····D, et in novo quidem versu conlocata, perquam neglegenter Lips.

Et versu quidem 18 Gozzii Boherellique exempla terminantur. Quibus antiquiores testes omnes cum aliquid litterarum, quod nunc non superstes est (nam Kellermannus quoque in v. 18 desinit), in proximo versu lectum esse communi consensu prodant, evidentissimo hoc argumento est maioris olim integritatis. Sunt autem deperditae nunc syllabae illae EI vel EIS, et CAPT vel CART vel ARTA, et eis quidem
19 intervallis distinctae quae infra descripsi secundum Manutium (1), Lafrerium (2), Panvinium (3), Lipsium (4), Ciacconium (5):

1 ····OQVE·NAVALED·PRAEDAD·POPLO······
·····CARTACINI········. NVOS····
······················EI······

2 · · · · QVE · NAVALED · PRAEDAD · POPLO · N · · · · · · ·
· · · · · CARTACINIENSI · N · · · · NVOS · L · · · · · ·
· · · · · · · · · · · EI · · · · · CAPT · · · · · · · · · · · ·

3 · · · · OQVE · NAVALED · PRAEDAD · POPLO · · · · · · · · · ·
· · · · · CARTACINIENSI · N · · NVOS · L · · · · · · · · ·
· · · · · · · · · · EI · · · · CAPT · · · · · · · · · · · · · · ·

4 · · · TOQVE · NAVALED · PRAEDAD · POPLO · · · · · · · · ·
· · · · · CARTACINI · · · IS · · · · · · · · · · · · · · · ·
· · · · · · · · · · · · · · · NVOS · · · D · · · ·
· · · · · · EIS · · · · · · ARTA · · · · · ·

5 · · · · OQVE · NAVALED · PRAEDAD · POPLOM · · · · · · ·
· · · · · · CARTACINI · · · · · · · · NVOS · D · · · · · ·
· · · · · · · · · · · · · · · · · · EI · · · · · · · · · · CART · · · ·

Cum pulvisculo ut aiunt exhausi scripturae discrepantiam praeter levissima quaedam consulto omissa omnem, ut quam certissimum fundamentum in promptu esset, cui arti et rationi convenienter redintegrandi tituli opera superstrueretur. Ad quam rem cum non mediocri usui sit similium titulorum comparatio, eiusdem generis quosdam praemittam non in monumentis superstites, sed qui e T. Livii memoria sat probabiliter, nisi fallor animi, reconcinnari possint. Ac primum de rebus gestis anni DLXXX agens ille quae prodidit cap. 28 libri XLI, infra scripsi qualia exstare in Vindobonensi codice vel traduntur vel creduntur: 'Eodem anno tabula in aedem matris Matutae cum indice hoc posita est: Ti. SempronI Gracci consulis imperio auspicioque legio exercitusque populi Romani Sardiniam subegit . in ea prouincia hostium caesa aut capta supra octoginta milia . Rep. felicissime gesta atque liberatis uectigalibus restitutis exercitum saluomq atque incolumem plenissimum praeda domum reportauit . iterum triumphans in urbem Romam redit . cuius rei ergo hanc tabulam Ioui donum dedit. Sardiniae insulae forma erat atque in ea simulacra pugnarum picta.' In quibus verbis aliquid intercidisse ante *uectigalibus* vel post eam vocem omnes viderunt, *liberatis sociis* restituit Sigonius. Ad quod exemplum profecto etiam aliae voces

neglegi potuerunt: et satis constat de lacunarum multitudine in illa ipsa parte librorum Livianorum. In principio autem ipse scriptor potuit in brevius contrahere, quae in tabula credibile est ad similitudinem potius tituli Mummiani illius inscripta fuisse:

L · MVMMI · L · F · COS · DVCT
AVSPICIO · IMPERIOQVE
EIVS·ACHAIA·CAPT·CORINTO

quae non sunt aliter nisi sic interpretanda: *L. Mummius L. f. consul. Ductu* e. q. s. Hinc igitur profectus versus Saturnios, in quibus restituendis miserum in modum se torsit Walchius Emend. Liv. p. 254 sq., eosque prorsus accommodatos ad illas leges quas identidem dixi in monumentis regnare solas, prope nullo negotio sic instauro:

TI · SEMPRONI · GRAC · COS

Eius ínperio aúspicióque – légio exércitúsque
Poplí Románi Sárdiniam – *ínsulám* subégit.
In eá prouíncia hósti–úm caésa aut cápta
Supra óctogínta mília. – ré póplica *ídem*
Felícíssumé gesta – átque líberátis
Sociís, uéctigáli-bús réstitútis,
Exércitúm sáluom – *sóspitem* átque incólomem
21 Pleníssumúm praéda – dómum repórtáuit.
Iterúm triúmpáns in – úrbem Rómam rédiit.
Quoius réi érgo hanc tábolam – Ióui dedít dónum.

Vbi *ei* pro *ī* quotiens voles restituas. Plautinae prosodiae ratione in versus 8. 10 immissa sunt *domum* et *Ioui* vocabula: eodemque exemplo potuit etiam *dédit Ioui dónum* defendi. Vbi leniter transponere malui quam *Ióui donúm donáuit* vel *dicáuit* suadere. Initium eius versus licebat etiam sic acuere: *Quoiús rei érgo hanc tábolam,* atque adeo aliis modis, quibus simplicior visus est quem praetuli. De codicis scriptura *saluomq* recte ut puto statuit Kreyssigius Annot. ad Liv. libr. XLI—XLV p. 36. Elegantiore construendi vinculo ligare orationem nolui velut hoc exemplo: *Exércitúm póstquam sáluom átque incólumem . . . . domum reportauit, iterum . . . . rediit.*

Multo magis a codicum auxilio destitutus liber XL est, cuius capite 52 quae de M. Aemilio Lepido censore a. DLXXV Livius memoriae prodidit, sic (quantum ex editorum testimoniis intellegi potest) corrupta sunt a librariis: 'Idem dedicauit aedem Larium permarinum in Campo . uouerat eam annis XL. [*immo* XI.] ante L. Aemilius Regillus nauali proelio aduersus praefectos regis Antiochi . supra ualuas templi tabula cum titulo hoc fixa est: Duello magno regibus dirimendo caput subigendis patrandae pacis haec pugna exeunti L. Aemilio M. Aemilii filio auspicio imperio felicitate ductuque eius inter Ephesum camuchumque inspectante cos ipso Antiocho exercitu omni equitatu elephantisque classis regis Antiochi antea sic uicta fusa contusa fugataque est, ibique eo die naues longae cum omnibus sociis captae LXII. ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque eius rei ergo aedem Laribus permarinis uouit. eodem exemplo tabula in aede Iouis in Capitolio supra ualuas fixa est.' In his verbis neminem fugit tot et lacunas esse et singulorum pessimas corruptelas, prorsus ut intellegi nequeant: ipsoque 22
id testimonio Atilius Fortunatianus declarat vero tituli principio commode servato p. 2680 P. (324 Gaisf.): *Duello magno dirimendo regibus subigendis.* Nostrum igitur in usum conversis, quae ad emendationem vel Livii interpretes vel in Elementis p. 616 Godofredus Hermannus probabiliter contulisse visi essent, hoc fere exemplo laceros truncatosque Saturnios redintegrandos putavimus:

Duelló magnó dirimúndo, – régibús subigúndis,
Causá patrándae pácis – ád pugnam éxeúnti
Lucío Aemílio Márci – fílió *praetóri*
Res céssit glóriósc. – aúspício inpério
Felícitáte dúctuque – éius ínter 'Epesum
Samúm Ciúmque, ínspec–tánte eópse Antíoco
Cum exércitu ómni, equitátu, ele–pántis, clássis régis
Antíoci uícta fúsa – cóntúsa fugáta est.
Ibi eó die náues lóngae – cum ómnibús sóciis
Captae *incensaé demérsae* – dúae quadrágínta.
Ea púgna púgnatá rex – 'Antiocús *profúgit,*

Regnúmque *eius ín mari ómne – fráctum ét subáctum est.*
Eius réi ergo aédem Láribus – pérmarínis uóuit.

Versu 2 *causa* pro *caput* Drakenborchio debetur V. 3 *praetori* addendum erat cum Sigonio, non *Regillo* cum Perizonio V. 6 *Samum Chiumque* idem Sigonius repperit. Ibidem *cos* litteras, unde effectum a Fulvio Vrsino *eos* parum aptum est, interpretor ex *eopse* forma relictas, cui explicandi causa ascriptum *ipso* simul inrepsit V. 7 *Cum* Hermannus addidit. Pertinent autem haec *cum . . . . elephantis* ad *inspectante Antiocho:* quae cum ad ea quae insequuntur Sigonius referret, expedire non potuit V. 8 *antioci anteasic uicta* dittographiae errori tribuo: quae (similiter atque supra *cos ipso*) inde nasci potuit quod, cum vitiose scriptum esset *anteasic*, hoc autem vere correctum, servabatur utrumque. Alioqui non inepte quidem Hermannus *Antíochi incénsa uícta*
23 *fúsa túsa fugáta est,* sed tamen, si quid video, ne satis apte quidem V. 10 *XLII* numeris pro *LXII* substitutis cum Sigonio malui ad codicis fidem prope accedere, quam licentius mutatis duo amissarum navium genera sic discriminare:

Captaé *decém tres, mérsae – súnt nouém uigínti*

(sive *Captaé sunt trés decém, mer-saé nouém uigínti* praetuleris) auctore quidem Livio, qui l. XXXVII c. 30 'capessunt' inquit 'fugam quadraginta duabus nauibus in ea pugna amissis, quarum decem tres captae in potestatem hostium uenerunt, ceterae incensae aut demersae.' E quibus verbis nisi pendere maluissem, potueram etiam

Captaé *sunt aút demérsae* – dúae quadrágínta

vel *Captaé uél demérsae* omisso *sunt,* vel *Captaé uel démérsae – dúae quadrágintá sunt* vel *súnt quadrágintá duae* vel *Captaé sunt uél démer-saé quadrágintá duae* vel si quos alios conformandi modos multiplex huius generis varietas admittit. Nam de *duae* vocis mensura monosyllaba (ut v. 9 *die*) satis e Plauto constat V. 11 sq. vastus sententiae structuraeque hiatus quod his verbis expleri posse cum Vrsino tum Hermanno visus est:

Ea púgna púgnatá rex – 'Antiochús regnúmque
Eius ín potestátem pópuli – Rómaní redáctum:

id rectissime iam I. Fr. Gronovius dixerat 'nimium' esse, hoc est nimium ad rerum veritatem: quippe quod proelio ad Myonnesum illo minime dum effectum esset. Quid autem sit quod effectum erat, planissimis verbis ipse Livius declaravit cap. 31 l. XXXVII: 'Quo territus Antiochus, quia possessione maris pulsus longinqua tueri diffidebat se posse.' Et paullo post: 'Regillus Aemilius post uictoriam naualem profectus Ephesum . . . . cum confessionem concessi maris ultimam hosti expressisset . . . .' Ad hanc igitur sententiam etsi supplementa mea poteram sic accommodare:

Ea púgna púgnatá rex – 'Antiocús regnúmque
Eius ín mari ómne fráctum – átque súbiéctum est.
Eius rei ergo *e. q. s.*,

ut ad parem a pari vocem oculis aberrasse librarius crederetur iubente Sigonio, tamen asperius in verbis *Antiochus regnumque eius fractum* zeugma visum est quam cui non duo- 24
bus locis dispertitam lacunam praeferrem. — Praeterea versu 4 ludi alia multa potuerunt, non modo levius variando *Res próspere céssit,* sed etiam talia qualia sunt, ut exemplis utar,

Diuóm pax ópituláuit. – aúspício império

vel *Auxílio fuít pax díuom* vel *Auxílio fuére díui* vel *Di própitii fuére* et si quae sunt similia. Qualem sententiam alius titulus commendat cuius idem Livius VI, 29 mentionem iniecit: 'T. Quinctius semel acie uictor, binis castris hostium, nouem oppidis ui captis, Praeneste in deditionem accepto, Romam reuertit triumphansque signum Praeneste deuectum Iouis Imperatoris in Capitolium tulit. dedicatum est inter cellam Iouis ac Mineruae, tabulaque sub eo fixa monumentum rerum gestarum his ferme incisa litteris fuit: Iuppiter atque diui omnes hoc dederunt ut T. Quinctius dictator oppida nouem caperet.' Manifesta in his quoque Saturniorum vestigia: quorum principium (nam cetera temptare velle et temerarium sit et ridiculum) potuit saluum tale esse quale infra scripsimus, non potuit certe quale Niebuhrio Hist. Rom. II p. 662 placuit.

Iúppiter átque díui – ómnes hóc dedérunt,
Vt Titus Quínctiús dic–tátor *ín duéllo*

Cum Praénestínis gésto – óppida *uí* cáperet
Nouém *nouém diébus.*

Quamquam si considero nullum in ceteris monumentis exemplum omissae ab initio anacrusis exstare: hanc etsi scio in poetarum carminibus continuis haud raro demptam esse, tamen in tanta emendandi et facilitate et prope dixerim evidentia ne illos quidem versus crediderim a constanti monumentorum norma recessisse. Quantilli est enim, *ut* particulam una litterula augere proque Iouis nomine pristinam *Diouis pater* vel *Diouispiter* formam substituere:

Diouíspiter átque díui – ómnes hóc dedérunt,
Vtí Titu' Quínctiús dic-tátor *in duéllo* —?

praesertim in tanta tituli antiquitate: tametsi non potest sane non diu post T. Quinctium ille, qui Livio innotuit, factus esse.

II. Commentatio altera.*)

Haue, mí Diodore, amíce fra*terque ét parens:*
Nam et amíci officia et píetat*em habuistí patris.*
Haue Púpa blanda: haué mea M*oschis: háue Paris,*
Quem núper pepereram, út ab*ii ad Stygiás domos.*

Postremo compositis **p. IX** [supra p. 246 sq.] masculini generis in fatus

exemplis ex Ioannis Labi Ant. monumentis Brixianis n. 141 [C. I. L. V, 1 n. 5005]. 142 [ibid. n. 4209] Mommsenus haec adiecit: FATIS · FAT*abus* atque etiam FATAB*us* simpliciter. Vnde intellegitur quam in partem alii tituli valeant FATIS dicati vel Fatis fatalibus, diuinis, uictricibus, quos iam Furlanettus commemoravit in lexico Forcellini.

— — — — —

[His subicere visum est quae scripsit Ritschelius in Musei Rhen. t. XVI (1861) p. 297 sq. C. W.]

Zur lateinischen Anthologie.

297 'In der Brüssler Handschrift des de Winghe finde ich f. 37 eine Abschrift des von Ihnen (Anthologiae lat. corollarium epigraphicum, 1853, p. VIII [oben p. 245] ff.) früher behandelten anmuthigen Epigramms bei Fabretti 123, 28. Es ist dieselbe Copie: — davor steht «Pater Ciaccon. tabella rupta.» Die ersten Zeilen stehen so:

Q · MARC
HAVE · DVLCE · NOBEIS · NOME

Nachher (ausser einer leeren Zeile vor HAVE · CASTA · CONIVNX — nicht vor der folgenden — und Z. 10 FRAT statt FRA) gibt die Abschrift statt des unerträglichen *acepi* ACAPI; das zierliche concetto der *corona a capite abstracta* liegt auf der Hand.'

So schrieb mir kürzlich Th. Mommsen. Wie gewöhnlich, sieht man nach der Auffindung des Rechten erst recht ein, wie mangelhaft das Ueberlieferte war, bei dem man sich beruhigt hatte. Mindestens musste es doch heissen *Vere coronam te acceperam* (*aetatis meae*) statt *accepi*, da es ja eben die schon todte Gattin ist, der die Verse gelten; aber lateinisch war sicher auch das Verbum *accipere* überhaupt nicht, statt eines hier erforderlichen *nactus eram* oder dergleichen. Das eine A für E gibt uns nun den zierlichsten Eingang des Gedichts:

Haue dúlce nobeis nóme[n atque omén gerens,]
Stephané, uitai nóstrae [dum uiuís decus.]
Veré coronam te á capi[te auulsám fleo.]

Oder wenn man lieber will, *abreptam queror*, oder *ablatam gemo.*

Das ziemlich seltene Compositum *aduiuere* kennen wir aus den römischen Rechtsquellen, aus Tertullian, (schwerlich Plinius d. ä.), und aus ein paar spätern Inschriften, deren eine schon Salmasius zu Capitolini vita Antonini Pii c. 5 (wo er mit gutem Rechte *patri cum aduixit* einsetzte) beibrachte: QVI · ADVIVENTE · EO · DONO · DELPHICAE · AEREAE · · · · HONORATI · SVNT Grut. 1115, 8 (Or. 3094): wozu kam Grut. 1145, 8 CONIVGI · DVLCISSIMO · CVM · QVO · ADVIXIT · SINE · QVERELA · PER · ANN · XX. Fast scheint es aber, dass *aduiuere* nicht erst eine spätere, sondern schon eine recht alte Bildung ist, die uns nur zufällig in alten Schriftstellern nicht mehr vorliegt. Eine der Scipionen-inschriften nämlich, bei Piranesi Tafel V *H* (denn Orelli hat sie ganz ausgelassen) besteht aus folgendem dreizeiligem Bruchstück*):

S 298
PIONEM
O · ADVEIXEI

Die letzte Zeile hat man sich gewöhnt nach Visconti's Vorgang als *(qu)oad ueixei* zu fassen: wie denn allerdings *quoad uixit* aus Horaz, und ähnliche Verbindungen *quoad uiuet* u. dgl. sonst, leicht genug dahin führten. Dass zwischen O und AD ein Punkt steht, entscheidet an sich nichts, da die Interpunction der alten Inschriften, wie sie einerseits die Präposition mit ihrem Nomen zu einer Einheit zu verschmelzen pflegt, so umgekehrt nicht selten auch die etymologischen Elemente einer usuellen Einheit wieder gesondert erscheinen lässt, z. B. bei QVE. Aber dass zu gleicher Zeit der hier

*) [S. jetzt C. I. L. I n. 37; VI, 1 n. 1292; P. L. M. E. Tafel XL *H*. C. W.]

doch nicht eben übliche Punkt gesetzt, und der zwischen AD und dem folgenden VEIXEI erforderliche Punkt aus Nachlässigkeit ausgelassen wäre (sein Fehlen im Original ist constatirt), das wäre doch auffallend. Ich kann daher nicht umhin, der Vermuthung, die ein an epigraphischen Leseübungen sich betheiligender junger Freund äusserte, meinen Beifall zu zollen, dass, wie geschrieben steht, so auch wirklich zu lesen sei*): . . . . *o adueixei* (in irgend einer Verbindung wie in der Gruterschen Inschrift *cum quo aduixit*). — Uebrigens spricht wohl alles dafür, auch in diesem Bruchstück Reste von Saturniern zu erkennen:

⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑ *Scípiónem*
⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ ⏑́ ⏑ | ⏑́ ⏑ ⏑́ o adueíxei.

In seinen 'Inscriptions Romaines de l'Algérie' gibt Renier p. 8 n. 36 [Henzen-Or. 7416 λ] eine Lambaesische in 5 elegischen Distichen, die als solche auch in der Schrift unzweideutig genug abgesetzt sind. Wenn er aber die nach einem kleinen Zwischenraum noch weiter folgenden vier Zeilen als Prosa transcribirt hat, so entging ihm, dass auch diess Verse sind, nur keine elegischen, sondern Senare:

Adépto consulátu . . . .
Tibi réspirantem fáciem patrii núminis,
Hastam éminus quae iáculat refreno éx equo,
Tuís, Medaure, dédicat Medaúrius.

Zeichen der Zeit ist die Verlängerung der ersten Sylbe von *refreno.*

*) [In dem Supplem. Enarr. der P. L. M. E. p. 104 fügt Ritschl noch hinzu: 'An ADVEIXEIT potius olim fuit?' Vgl. jedoch was über die Resultate einer neuen Besichtigung des Steines in Priscae lat. epigr. suppl. III (unten N. XVIII, 3) p. XX mitgetheilt ist. C. W.]

IX.

De sepulcro Furiorum Tusculano*)

(accedit tabula lithographa**)).

Nobilissimo Scipionum sepulcro ut impar dignitate elogiorumque ubertate, ita aetate superius sepulcrum Furiae gentis exstitit, anno 1665 mense Aprili Tusculi effossum in tescis monachorum Camaldulensium: cuius brevissima epigrammata non dubitamus ipsi quinto ab u. c. saeculo tribuere. Quod sepulcrum quale fuerit et quomodo repertum, duobus auctoribus constat: primo quidem Octavio Falconerio Inscriptionum athleticarum Romae a. 1668 editarum p. 143 sqq., in Gronoviani Thesauri t. VIII iteratarum p. 2348 sqq.: altero Athanasio Kirchero Latii sui a. demum 1671 Amstelaedami publicati, conscripti ut videtur anno 1670, part. I capite 3 p. 64 sqq. Quorum fidem non immerito sic aestimabimus, ut illum haud paullo accuratius cum rem omnem enarrasse erutaque e terris monumenta suis oculis examinasse, tum singularum quae in sepulcro repertae sunt arcarum inscriptiones figuris repraesentasse dicamus: hunc ob additam ipsius sepulcri imaginem laudemus. Nam inscriptiones quidem quam- III

---

*) [Prooemium Indicis scholarum hibernarum Bonnensium annorum CIƆIƆCCCLIII et LIV. Bibliopolae traditum prodiit addita hac inscriptione: 'De sepulcro Furiorum Tusculano disputatio grammatica Fr. Ritschelii. Accedit exemplum lithographum. Berolini 1853.' Vide nunc C. I. L. I n. 65—72. 63; P. L. M. E. tab. XLIX *A a—h*, *B*; Enarr. p. 42. C. W.]

**) [Tabula VIII idem exemplum exhibetur atque olim adhaesit huic commentationi et iteratum est P. L. M. E. in parte superiore tabulae XLIX. C. W.]

quam vidisse Kircherum haud negaverim, quas non sine ambiguitate quadam verborum ipse dicit p. 67 'una cum Illmo atque eruditissimo Viro, Domino Octavio Falconerio, antiquariae literaturae studiosissimo, ea qua decuit fide et sinceritate sese deprompsisse': at testem oculatum Falconerio parem auctoritate nec figurae litterarum probant ad typorum similitudinem proxime accedentes (quas xylographi arte exprimendas Falconerius curaverat), nec bis neglecta, si cum Falconeri exemplis contuleris, versuum distinctio, nec profecto illud quod eas quoque inscriptiones quattuor (*e f g h*), quas non vidisse semet sed a monacho transcriptas accepisse Falconerius p. 146 testatur, nullo significato discrimine Kircherus tamquam e 'fragmentis' petitas ceteris sociavit. ... ubicumque aliquid discrepantiae inter utriusque testimon... intercedit, non videatur nimium Kirchero tribuendum es... Qualia sunt, quod in ea, quam nos *f* diximus, omisit ap... Falconerium M litterae praemissam I notam, nimirum n... magis sibi quam nunc nobis intellectam: item quod his qu... tuor titulis quintum addidit (tertio loco positum) hunc M · I^T, qui sane non ficticius videbitur, sed fortasse pa... potius fuit sive *e* sive *h* litterae. Eodem pertinet quod, cu... titulum *c* semel 'in fronte arcae' lectum, iteratum aute... 'ibidem in operculo' Falconerius dixisset, illo praetermiss... Kircherus satis habuit hunc repraesentare. Quibus discr... pantiis paullo gravior haec est quod, cum duos titulos TVRPLEIO C · F et Q · TVRPLEIO C · F (sic enim lege... dum) in una arca ea, quae est litteratarum maxima*), s... ciasset Falconerius, horum alterum Kircherus seorsum posu... ut in operculo eius arcae scriptum: id quod fieri sane pote... ut verius tradiderit.

*) Non omnium, quotquot in sepulcro repertae sunt, maxima: ... quod ex Falconeri p. 144 his verbis intellegitur: 'Conditorium in ip... topho excisum, in cuius medio sarcophagus erat quinque circite... pedum, lapide fastigiato opertus, cuiusmodi et aliae, ad duodecim longe minores urnae in loculamentis ad utrumque conditorii latus po... sitae.' Nam Turpleianae arcae Kircherus latitudinis mensuram appinxi... '2 palmos', altitudinis '2¹/₂ palm.' Eodem teste minor, cuius figuram item dedit uterque, arca illa A · FOVrio P · F dicata (*d*) latitudine fui... unius palmi et dimidii, altitudine unius.

Post haec autem tempora ad principem fontem h. e. ad IV
Falconerium nemo quod sciam revertit: nisi quod sepulcri figurae ex Kircheri exemplo desumptae inscriptiones ab utroque petitas, sed et mixtas inconsultius nec cum cura transcriptas subiecit nostra aetate in Descriptione Tusculi sua tab. XXV Ludovicus Canina. Vni autem Kirchero totum sese Iosephus Rochus Vulpius mancipavit in Veteris Latii profani tomo VIII a. 1745 vulgato, tab. 9: in eo tantum ab illo discedens quod, sua ut apparet coniectura ductus, ultimam litteram tituli *g* dubiae esse lectionis dicens sic edidit: FOVRIO M · F · C · N. Item e Kircheri fide iam ante Vulpium Petrus Sanctius Bartolius pependerat in Antiquorum sepulcrorum sive Mausoleorum Romanorum Etruscorumque libro a. 1697 Romae prodito, cum Bellorii notis brevissimis iterato in Gronoviani Thesauri tomo XII: ubi sepulcrum quidem novo exemplo a semet delineato expressit in tabula XXV, inscriptiones autem in proxima tabula posuit a Kirchero sumptas, hoc solo discrimine quod duabus arcis integris et inter se diversis titulos Turpleianos duos dispertivit. Post hos duo soli ex omnibus tituli ad Raphaelem Fabrettium pervenerunt, qui nobis sunt *b* et *d*, recepti in illius cap. III p. 120, 12 et 13. Contra ab Abbate Petro Polidoro missos undecim Muratorius accepit*) nullaque superiorum editorum mentione facta publicavit p. 1678, 8 et 1757, 4, illic quidem octo Furianos e 'variis urnis', posteriore loco e 'tribus urnis' Turpilianos tres. Et ex octo illis primi sex non sunt a Fal-

*) Vix enim dignum memoratu est, quod immani sive fraudis sive temeritatis exemplo apud eundem Muratorium p. 1504, 2 quinque ex illis tituli in hanc speciem coniugati sunt:

L · TVRPILIO L · F
Q · TVRPILIO L · F
C · FOVRIO A · F
P · FOVRIO C · F
A · FOVRIVS

idque praemissis his verbis: 'In agro Tusculano. Ex P. Kirchero, e Soc. Iesu.'

conerianis *e g h b f c* diversi, nisi quod in *g* M · F · C · N scriptum est ut apud Vulpium, in *f* omissa ut apud eundem et Kircherum I nota; septimus et octavus novi accesserunt: C · FOVR · A · F · MARCIA COIVNX et A*N* (quod /W interpretatur) FOVR · M · F. Turpilianos autem cum tales posuit: L · TVRPILEIO L · F et M · TVRPILIO · Q · F · L · N et Q · TVRPILEIO L · F, facile intellegitur primum et tertium eosdem esse cum Falconerianis, sed nec recte lectos nec diligenter transcriptos, item novum esse medium. Qui si reapse praestabat TVRPILIO formam, de quo est cur vehementer dubites, at in illis nemo dubitabit quin TVRPLEIO scriptum exstiterit, non TVRPILEIO. Quamquam enim ne hoc quidem ratione destitutum est, tamen tam vetusto titulo aut in tres syllabas coartatum nomen conveniebat, quod
v genus nuper tetigi Mon. epigr. tr. p. IX [supra p. 173], aut quadrisyllaba TVRPVLEIO*s* potius quam TVRPILEIO*s* forma. Et hoc quidem quale sit, paucis nunc ita persequar ut ea ipsa quaestiuncula hanc prooemiandi opellam contineam, ad Furiae autem gentis epigrammata Tusculana (quibus duo tituli eique permemorabiles nuper demum accesserunt) in praesens non exspatier, praesertim cum eorum, quae in his singularia sunt, plurima iam perstrinxerim per aliarum disputationum varias opportunitates.

Non autem aliud esse Turpleios Turpuleius nomen, sed plane idem atque Turpilius, tam esse evidens puto ut, unde tandem oriri dubitandi caussa possit, ne divinando quidem assequar. An quis dubitabit num, qui in columbario Somascano apud Lupum Sever. mart. p. 95 n. 32 [C. I. L. I n. 977; P. L. M. E. tab. XV, 32] est M · VERGVLEI*us*, non diverso atque gens Vergilia nomine utatur? [Cf. Opusc. II p. 779 sq.] Quid? quod adeo triplicis formae prorsus gemellum exemplum habes Marculeius Marcleius Marcilius nomina, medium quidem in Mommseni I. R. N. 5657. Eandemque rationem alia non pauca tuentur, quae facili negotio ex inscriptionum potissimum thesauris coacerves: Auoleius Auilius (unde ducta Auleius Aulius), Canuleius Canilius, Luculeius Lucilius, Muticuleius Muticilius, Paculeius Pacilius, Pontuleius Pontilius, Proculeius

Procilius, Sextuleius Sextilius, Tantuleius Tantilius, Tituleius Titilius, Venuleius Venilius, Vinuleius Vinilius, Vetuleius Vetilius. Ab his autem simplicissimis maximeque similibus exorsus sum ut antecedere aetate, non dicam singula nomina quaeque in *eius* terminata (potuerunt enim quaedam etiam posterioribus saeculis progigni ad exemplum antiquitatis), at hanc ipsam terminandi rationem universam certa via argumentarer. Quod cum mihi sane vel eam ob caussam sit persuasissimum, quod linguam intellexisse videor non crevisse in longarum vocalium pondus a brevium exilitate, sed ad has ab illis delapsam esse, tamen non minus gravi ac fortasse planiore argumento hoc utor, quod eandem linguam scio non esse umquam ab *i* ad *u* progressam, sed contrario ordine *u* vocalem in tenuiorem *i* mutasse, ut in monumentum testumonium caputalis carnufex opufex magnuficus signufico et quae sunt affinia prope innumerabilia. Vnde perspicitur triplici vicissitudine quorundam ex illis nominum formas sic sese excepisse: Venuleius Venulius Venilius, Tituleius Titulius Titilius, Canuleius Canuleus (quod aut a Canuleius aut a Canulius non differt) Canilius. A quibus alia, ut Amuleius Amulius, Appuleius Appulius, Babuleius Babulius, Camuleius Camulius, Herculeius Herculius, Rabuleius Rabulius, Satureius Saturius, Setuleius Setulius, eo tantum differunt, quod in prima forma ac secunda subsistens consuetudo non est ad tertiam progressa. Verum ne in his quidem acquiescendum est sed eadem societate illud genus comprehendendum, quod solo vel geminatarum vel non geminatarum consonantium discrimine ab illorum similitudine distat. Quis est enim qui ab Appuleius Appulius formis segregare Apullius Apilius animum inducat? vel Babullius Babillius a Babuleius Babulius, Canullius a Canuleius Canuleus Canilius, Camillius a Camuleius vi
Camulius, Rabullius a Rabuleius Rabulius, Venellius a Venuleius Venulius Venilius, Vettuleius a Vetuleius Vetilius, Epullius ab Eppuleius, Vtilius ab Vtullius, Romilius a Romullius? Nec enim umquam obliviscendum est geminatas consonantes latinum sermonem

a principio nullas habuisse, sed a sexti demum exitu saeculi paullatim ascivisse: unde non est mirum in aliis vel diu vel semper fluctuatum esse, in aliis ipsa illa consuetudinis inconstantia commode usum esse sermonem, qua consulto et dedita opera discerneret 'utilitatis' caussa quae suapte origine minime discreta essent. Quod genus omne ita comparatum est ut longe clarissima illinc lux in quaestiones grammaticas plurimas redundet.

Multum autem fallatur qui his cognatisque exemplis varietatem omnem terminandorum sive in *cius* sive in *tius* nominum gentilium conclusam putet. Quae tam late patet ut vix ullos fines habeat. Non equidem ullo modo contendo utraque forma singularum nomina gentium efferri solita esse, quemadmodum nec Clodii singuli vel Plotii etiam Claudii et Plautii dicti sunt: sed ut horum nomina non sunt origine, verum usu solo diversa, ita origine sua non diversas esse illas terminationes pronuntio, potuisseque uniuscuiusque gentis nomen ex *-cia* forma transire in *-ia*, incredibilem exemplorum multitudinem mihi persuadere patior. Quis enim quaeso a principio discretos fuisse credet velut hos quos infra posui: Abinaeos (quando haec quoque ad idem genus pertinere constat) et Abinios, Aeteios Aetios, Agileios Agillios, Agneios Agnios, Aleios Alios Alleios Allios, Ameios Ammios, Ancaeos Ancios, Anaeos Annios Anios Annaeos Anneios Anneos Annios, Aniceios Anicios, Antaeos Anteios Antios, Appaeos Appeios Appios, Argaeos Argios, Arunteios Aruntios Arruntios, Arteios Artios, Ateios Atios Atteios Attios, Ateleios Atellios, Atreios Atrios, Aueios Auios, Bassaeos Bassios, Belleios Bellios, Bureios Burrios, Calceios Calcios, Careios Carios, Casineios Casinios, Celeios Celios, Coceios Cocceios Cocios, Cosseios Cossios, Crepereios Creperios, Crispeios Crispios, Donneios Donnios, Etereios (Hetereios) Eterios, Fereios Ferios, Flacceios Flaccios, Flaueios Flauios, Foleios Folios Follios, Geneios Gennios, Hatreios Hatrios, Heleios Helios, Horaeos Horios, Irinaeos Irinios, Iteios Itios, Iuuaneios Iuuanios, Kareios

Karios, Lacceios Laccios Lacios, Leteios Letios Let-
teios Lettios, Liuineios Liuinios, Loreios Lorios,
Luceios Luceos Lucios Luccaeos Lucceios Luccios,
Maceios Macios Maccios, Macreios Macrios, Magneios
Magnios, Maleios Malios Mallios, Mammaeos Mam-
mios, Maneios Manios Manneios Mannios, Matheios
Mathios, Matteios Mattios Matios, Meneios Menios,
Messeios Messios, Meteios Metios Mettios, Mineios
Minios, Moneios Monios, Mumeios Mumios Mummeios
Mummios, Muteios Mutteios Mutios, Nanneios Nan- VII
nios, Nereios Nerios, Numeios Numios Nummeios
Nummios, Numereios Numerios, Occeios Occios, Ope-
treios Opetrios, Paceios Pacios Paccios, Palpeios
Palpios, Panteios Pantios, Peneios Pennios, Petro-
naeos Petronios, Placideios Placidios, Pompeios
Pompios, Pomponaeos Pomponeos Pomponios, Pon-
teios Pontios, Poppaeos Poppeios Poppeos Poppios,
Pulleios Pullios, Rufelleios Rufellios, Sabineios Sa-
binios, Saleios Salios, Saloneios Salonios, Sereios
Serios, Seruaeos Seruios, Siseios Sisios, Tettaeos
Tetteios Tettios Tetios, Tineios Tinios, Trebeios
Trebios, Trocceios Troccios Trocios, Tuceios Tuc-
cios, Tureios Turios, Valeios Valios Valleios Vallios,
Vellaeos Velleios Vellios Velios, Veneios Venios Ven-
nios, Verginaeos Verginios, Vireios Virios, Viueios
Viuios, Vitteios Vittios, Volceios Volcios, Volteios
Voltios, Voluseios Volusios, Vrseios Vrsios.

Non me fugit non esse haec, quae coacervanda duxi, pari omnia vel fide vel auctoritate, sed certis et exploratis quaedam dubia mixta, partim suspecta partim ambigua. Quae etsi potueram sane et maiore commodo meo et vero multo tutius prorsus praetermittere, tamen adieci hoc consilio, ut haberet quo animum adverteret, si qui de universa ratione nominum latinorum fructuosius h. e. et doctius et subtilius quaerere institueret quam de cognominibus et agnominibus a Frid. Ellendtio nuperrime non quaesitum potius quam conscribillatum vidi. Tantum concedi ab omnibus puto, etiam remotis dubiis exemplis omnibus satis superque materiae

superesse quo quod volumus demonstretur: unam et legem et originem vel in *eius* vel in *ius* conformatorum nominum gentilium per omnia saecula pertinuisse. Id autem ipsum ut cum gravissimis quibusdam partibus grammaticae latinae proximo vinculo coniunctum est, ita duo habet tamquam consectaria, quibus breviter enucleandis finem huic disputationi faciam.

Ac primum quidem spes est fore ut desinant numismatici Cassiae gentis nummo quodam uti CASSEI*us* formam exhibente, quo EI litteris etiam brevem *i* vocalem notari solitam probent: quod cur perseverantissime negandum ducam, exposui Musei nostri philologici t. VIII p. 487 [= Opusc. II p. 632] sqq.*) Vbi quod exemplum quoddam fallaci specie singulare restare significabam p. 493 [= Opusc. II p. 643 sq.], non aliud atque hoc ipsum fuit, cuius fides est penes Morellium Thes. famil. Cass. tab. II fig. 1, Eckhelium Doctr. num. II, 5 p. 311 et 6 p. 25, Riccium Mon. famil. tab. XII fig. 11. Est autem denarius in antica parte caput Libertatis laureatum ostendens cum hac inscriptione: C · CASSEI · IMP ·, in aversa cancrum forficulis acrostolium tenentem cum hac: M · SERVILIVS · LEG. Quem nummum ad C. Cassium Longinum Caesaris interfectorem eiusque de Rhodiis victoriam anni 712 spectare, satis disputatum est ab Havercampio p. 81, Eckhelio, Borghesioque apud Riccium p. 50.

Etiam gravius alterum est quod ex explicata a nobis
VIII nominum ratione discitur. Enimvero si ab *eius* forma transitum esse ad *ĭus* certum est, ipsa profecto ingenita linguae ratio non suadere potius quam naturali quadam necessitate postulare videtur, illud ut non esse simpliciter factum sed per gradus quosdam credatur. Itaque quemadmodum e productis illius istius ullius unius utrius totius alterius genetivis correptae formae prodierunt ī in ĭ conversa, ita prorsus consentaneum est in hominum nominibus ab *eius* ad *ĭus* linguam per *īus* transisse. Atque ita reapse pronuntiatum esse aliquando, longe gravissimo documento L. Scipionis, Barbati f. elogium illud, quod est omnium antiquissimum

*) [Aliter hanc formam explicavit Ritschelius Opusc. II p. 644 adn. C. W.]

[C. I. L. I n. 30; VI, 1 n. 1285; P. L. M. E. tab. XXXVII *B*], persuadet. Cuius tertius versus

Lucíom Scípióne - fíliós Barbáti,

ubi sic uti feci dimetiris, leges omnes Saturnii metri ad amussim explet: eisdem refragatur pertinaciter, si a brevi in Luciom paenultima proficiscare. Nam etsi ei nomini non nescio synizesis artificium a quibusdam asscisci, sic ut mensuram expleant: Lucióm Scípióne suppressa thesi prima, tamen idem scio parum id illos considerate instituere, eiusque usum synizesis a vetere latinitate eadem, qua olim feci Musei nostri t. VII p. 595 [= Opusc. II p. 594] sqq., confidentia etiam nunc abiudico. Neve quis in hanc partem utier forma abutatur, quae in P. Scipionis P. f. elogio [C. I. L. I n. 33; VI, 1 n. 1288; P. L. M. E. tab. XXXIX *F*] in Saturnium versum sic intravit: Quibús sei in lónga lícui-sét tibe útier uíta, certa ratiocinatione satis me olim cauturum spero.*) Itaque ad illius, a quo exorsus sum, versus exemplum praestabit etiam eum recitare qui est primus in ipsius titulo Barbati:

Cornélius Lucíus - Scípió Barbátus.

Nam hunc quidem etsi licebat sane aliquo modo sic expedire nulla ascita synizesi, ut suppressa thesi altera in dactylum exiret prius hemistichium: Cornélius Lúcĭŭs, tamen quo argumento aspernabere quod cum per se et simplicius sit et elegantius, tum certum e lapidum scriptura LVCEIVS firmamentum nanciscitur? Quid? quod in eiusdem tituli illius versu tertio positum QVOIVS a ratione quidem non abhorreat qui trisyllabum quoīus genetivum interpretetur, ad dativi formam QVOIEI prope accedentem, tales ut numeri prodeant:

Quoíus fórma uírtu-teí parísuma fúit.

Quamquam hoc fatendum est necessitatem non habere, quando ne vulgaris quidem mensura Quoiús fórma offensione ulla laborat.**)

*) [Id quod factum est Musei Rhen. t. XIV (infra n. XIV) p. 405. C. W.]

**) [Cf. quae Ritschelius disputavit Musei Rhen. t. XIV (infra n. XIV) p. 405 adn. C. W.]

X.

De fictilibus litteratis Latinorum antiquissimi[illegible]*)

(accedunt duae tabulae lithographae**)).

CAPVT I.

3 Saturni nomen constat veteres partim a satu part[illegible]m a saturando duxisse: nec enim dignae profecto in quib[illegible]is haereas nugivendorum quorundam hallucinationes velut πα[illegible]ὰ τὴν σάθην apud Macrobium Sat. I, 8, 9, vel 'quasi sacr[illegible]m νοῦν' aut 'satorem νοῦν' apud Fulgentium Myth. I, 2, qu[illegible]ae Platonici in Cratylo p. 19 *b* de κόρῳ (h. e. καθαρῷ, ἀκηράτ[illegible]) τοῦ νοῦ somnii commonefaciunt. Ac prioris quidem auct[illegible]r notationis M. Varro non subsistens in simplici agrorum co[illegible] serendorum consitorumve notione latius patere nomen vol[illegible]it et ad seminandi generandique vim spectare telluri opera[illegible]

*) [Programma academicum Bonnense anni 1853 sic inscriptu[illegible]: 'Natalicia Augustissimi Regis Friderici Guilelmi IIII die XV m. Octob[illegible]is a. CIↃIↃCCCLIII concelebranda indicit F. R. Praemissa est de ficti[illegible]i-bus litteratis Latinorum antiquissimis disputatio.' Bibliopolae tradit[illegible]m prodiit inscriptione sic mutata: 'De fictilibus litteratis Latinorum a[illegible]n-tiquissimis quaestiones grammaticae F. Ritschelii. Accedit tabula lapi[illegible]di incisa. Berolini apud T. Trautwein (I. Guttentag).' Vide nunc C. I. [illegible] I n. 43—53; P. L. M. E. tab. X et Enarr. p. 14 sq. et 101. C. W.]

**) [Tabula IX eadem est atque quae huic commentationi oli[illegible] adnexa fuit; ea iterum edita est P. L. M. E. tab. X, praeterquam quo[illegible] quae in ea littera G significata erat delineatio satis raptim consignat[illegible] 'Belolai pocolom', ibi erasa est, in cuius locum accuratior imago i[illegible] tabula XI substituta est. Idcirco hanc quoque tabulam (XI) in nostr[illegible] collectione n. X signatam addidi; vide infra in fine huius comment[illegible]tionis adiecta. C. W.]

tem de caelo. Intellegitur hoc primum ex libri V de l. lat. § 64 his verbis: 'quare quod caelum principium, ab satu est dictus Saturnus, et quod ignis, Saturnalibus cerei superioribus mittuntur': cui deo Opem sociavit, terram interpretatus, 'quod terra mater'. In eandemque partem valent quae ex Rerum divinarum libris excerpta Augustinus servavit de civ. dei l. VII c. 13 'Saturnus — unus de principibus deus, penes quem sationum omnium dominatus est', conlata quidem cum illis l. VI, 8 'sicut idem opinatur Varro, quod pertineat Saturnus ad semina, quae in terram de qua oriuntur iterum recidunt', item cum his VII, 19 'Saturnum dixerunt, quae nata ex eo essent, solitum deuorare, quod eo semina, unde nascerentur, redirent.' E Varrone cum Tertullianus pendet l. II ad nat. c. 12: 'aeque latini uocabuli a sationibus rationem [ii deducunt] qui eum procreatorem coniectantur: per eum [enim] seminalia caeli [in terram] deferri', tum suorum partem Isidorus Orig. VIII, 11, 30 repetiit: 'hunc Latini a satu appellatum ferunt, quasi ad ipsum satio pertineat omnium rerum: uel a temporis longitudine, quod saturetur annis', et 31: 'quod semina, unde oriuntur, iterum redeunt'. Nec tamen a generali sationis cogitatione segregasse Varro ipsorum agrorum sationem putandus est, quando 'falcem habere propter agriculturam' dixit teste Augustino VII, 19. Itaque utraque notione sociata Macrobius Sat. I, 10, 19 'Saturnum eiusque uxorem (Opem) tam frugum quam fructuum repertores esse credi' scribit 'itaque omni iam fetu agrorum coacto ab hominibus hos deos coli quasi uitae cultioris auctores: quos etiam' (sic enim pergit § 20) 'nonnullis caelum ac terram esse persuasum est, Saturnumque a satu dictum, cuius causa de caelo est' e. q. s. Contra ad vim caelestem non exspatiantes in satorum h. e. segetum cogitatione substitere et Arnobius adv. nat. IV, 9 'praesidem satiuis' dicens de praeclara emendatione Canteri (proditum est enim 'praesidem latinis'), et vero imprimis luculentis testimoniis Festus, altero hoc p. 186 M.: 'Opima spolia dicuntur originem quidem trahentia ab Ope Saturni uxore, quod ipse agrorum cultor habetur, nominatus a satu, tenensque falcem effingitur, quae est insigne agricolae' e. q. s., altero longe etiam

insigniore p. 325 *a*: 'Saturno dies festus celebratur mense Decembre, quod eo aedis est dedicata: et is culturae agrorum praesidere uidetur, quo etiam falx est et (*h. e.* ei) insigne. uersus quoque antiquissimi, quibus Faunus fata cecinisse hominibus uidetur, Saturnii appellantur: quibus et a Naeuio bellum Punicum scriptum est et a multis aliis plura composita sunt. qui deus in Saliaribus Saturnus nominatur, uidelicet a sationibus.' Sic enim haec in codice scripta esse H. Keilius testatur Musei nostri philol. VI p. 625. In Saliaribus quo nomine dictus fuerit, paullo post quaeretur; cum Verrio Flacco vulgarem nominis formam a serendo ductam ad agricolationem rettulerunt Hartungius de relig. Rom. II p. 122, Schwenckius de mythol. Rom. p. 184. Et illi quidem prosodiacae rationis disparilitas inter săt o r să t u s et Sā t u r n u s vocabula intercedens nihil scrupuli iniecisse videtur: quae non mediocri dubitationi Buttmanno fuit Mythologi II p. 29 sq., tam gravi autem offensioni Klauseno de Aenea et Penatibus II p. 866 ut nullo modo tolerabilem pronuntiaret. Contra de duplici stirpe linguae latinae Schwenckius cogitabat, s a e r e et s a v e r e, quarum illa ex se procreasset s a t u s, altera, quam umquam exstitisse nullo praeterea vestigio conligitur, S a t u r n u s formam.

A s a t u r a n d i autem notione profectus primus e latinis auctoribus Cicero 'Saturnus' inquit 'est appellatus quod saturaretur annis' de nat. deor. II, 25, 64, item III, 24, 62: quae verba praeter Isidorum supra commemoratum sua fecit Lactantius Instit. I, 12. Eius autem veriloquii apparet M. Tullium caussam non aliunde nisi a tralaticia apud populares suos Saturni cum Κρόνῳ, apud Graecos autem Κρόνου cum χρόνῳ comparatione petiisse. Nec defuere qui eadem saturitate annorum ad ipsum adeo graecum nomen translata Κρόνον a κόρῳ ducerent, ut Lydus de mens. II, 11 κατὰ μὲν θεολογίαν οἷα διακορῆ νοῦν interpretans, κατὰ δὲ ἐτυμολογίαν οἱονεὶ πλήρη καὶ μεστὸν ἐτῶν ἀντὶ τοῦ μακραίωνα. Eandemque originationem ad graecum simul atque latinum nomen accommodans, sed seiunctam ab inepta annorum cogitatione, haec verba Dionysius Ant. R. I, 38 posuit, in quibus verum vidisse unum Sylburgium putamus posthabitis Stephani, Ca-

sauboni Buttmannique p. 32 coniecturis: οὐδὲν δὴ θαυμαστὸν
ἦν (sic Chis. Vrb.) τοὺς παλαιοὺς ἱερὰν ὑπολαβεῖν τοῦ Κρόνου
τὴν χώραν ταύτην, τὸν μὲν δαίμονα τοῦτον οἰομένους εἶναι
πάσης εὐδαιμονίας δοτῆρα καὶ πληρωτὴν ἀνθρώποις, εἴτε
Κρόνον αὐτὸν δεῖ καλεῖν ὡς Ἕλληνες ἀξιοῦσιν, εἴτε Σάτουρνον
ὡς Ῥωμαῖοι, πᾶσαν δὲ περιειληφότα τὴν τοῦ κόσμου φύσιν,
ὁποτέρως ἄν τις ὀνομάσῃ (sic Ch. V.: pro quo vulgatum ὀνο-
μάσοι ne grammatico quidem Buttmanno displicuit). Vbi cum
ad Κρόνον adscriptum esset ab interprete Κρόνον ἢ Χρόνον
(vel Κρόνον εἴτε χρόνον), pulso de sede sua latino nomine
prodiit quod nunc est in codicibus εἴτε χρόνον .... εἴτε
κρόνον ὡς ῥωμαῖοι. Faventque ei emendationi quae cap. 34
leguntur: ὃς (λόφος) νῦν μὲν Καπετωλῖνος (sic Ch. V.) ὀνο- 6
μάζεται, ὑπὸ δὲ τῶν τότε ἀνθρώπων Σατούρνιος (sic Ch. V.)
ἐλέγετο, ὥσπερ ἂν εἴποι τις Ἑλλάδι φωνῇ Κρόνιος. Simpliciter
autem 'a saturando dictum esse Saturnum' Fulgentius Myth.
I, 2 scribit, 'saturitatisque' notione utitur etiam II, 4 in enar-
randa abscisorum genitalium fabula: Fulgentii autem et Cice-
ronis interpretationes iunxit Mythographus Angeli Mai II, 1.
Tuiti sunt saturitatis h. e. fecunditatis copiaeque per terram
atque adeo mundum diffusae notionem ex hodiernis homini-
bus Sippellus edita a. 1848 Marburgi 'de cultu Saturni' dis-
sertatione, Schweglerus Historiae Rom. I p. 224 sq., item
'satoris' atque 'saturatoris' cogitationem consueta ambigui-
tate miscens Creuzerus Symbol. III p. 680 ed. tert. Nec dis-
plicere sibi Klausenus significavit, securus de 'sat satis
satur' vocum prosodia quae tantae ei offensioni in satum
fuerat, sed compensans eam inconstantiam nova excogitata
origine: qua enim via e PLE EGE stirpibus nata essent ple-
nus egenus, eadem e SA (SARE) et sanus pullulasse et
cum hoc cognatum Saturnus: quae stirps quo significatu
fuisset non aperuit. Contra mutatam in Lares Larentia
et homo humanus prosodiam auxiliari sibi Schweglerus
voluit: illo quidem exemplo usus incertissimo et cui persua-
dendi vim vix ipse tribuat, hoc non satis valido, si modo
recte humanus non ex hom, sed ex homn (homin) deri-
vatur, similiter (non sane pariter) atque pūblicus pūplicus
pōplicus non simpliciter flexa esse de pŏpulus, sed e

povblicos povplicos oriunda docui comm. de monum. epigr. tribus p. 36 [supra p. 161] sq.

Ad componendam tantam derivandi controversiam consentaneum est ab antiquiore forma Saturnus nominis proficisci, qualem exstitisse Festus prodidit testimonio a librariis obscurato: qui deus in Saliaribus Saturnus nominatur. Vbi Satirnus restituendum putabat Antonius Augustinus: frustra id quidem defensum a Tobia Gutberletho de Saliis p. 739 in Poleni Thes. antiq. vol. V manibiae con-
7 tibernalis reciperatus formis, quando non ab *i* ad *u* vocalem, sed contraria via ab *u* ad *i* lingua progressa est. Aliud Lipsio placebat Saturn. serm. I, 2 Satunnus suadenti, formatum scilicet ut Portunnus Neptunnus: quae formae nullae sunt. Itaque Buttmannus p. 61 Satumnus potius commendabat, factum ut alumnus Vertumnus Clitumnus Picumnus: quales tamen formas hodie intellectum est tamquam de prisco participio praesentis passivo ductas esse ad similitudinem participii graeci in ομενος exeuntis, velut ex alumenus contracta alumnus forma. Rursus aliam viam Merkelius ingressus Prolegom. in Ovidii Fastos p. CCXX Festum scripsisse Sarturnus coniciebat, nomine a sarpendo ducto unde etiam sarmenta et sartura (a nobis quidem ad sarire verbum revocari solitum) germinasse: hoc quidem argumento, quod falce instructus Saturnus conlucandis supputandisque arboribus praefuisset, 'ramorum detonsor' (immo 'tonsor') ob id dictus Arnobio VI, 12. Vana haec quidem omnia certoque fundamento carentia. Quali fundamento excerpta a Paulo Diacono p. 323 M. glossa esset, nisi ipsa corrupta exstaret. Nam cum 'Saterinius Saturnus' scriptum sit in Guelferbytano primo, Satrurnus in Lipsiensi Berolinensique, veram Sateurnus scripturam servasse cum Monacensi alterum Guelferbytanum Lindemannus Muellerusque cum sibi persuaserunt tum Bergkio de carm. Sal. p. 1... Quos nunc quidem compertum est forte fortuna ad veritatem prope accessisse, quam ipsam coniectura assequi non sane potuerunt.

Enimvero recte in illis libris servatam *e* litteram u... sic transposueris Saeturnus, lectum in Saliaribus dei nom...

recuperaveris: nisi forte Saetornos ·potius illic scriptum fuisse credideris. Quod quidem certissimo documento discitur ex inscriptione vasculi Italici quod nunc Romae est in museo luculentissimo Ioannis Petri Campanae viri nobilis et liberalis imprimis: cuius illa insigni beneficio curiose delineata ad nos pervenit per egregios amicos Guilelmum Henzenum et Henricum Brunnium, postquam brevissimam 8
eius mentionem Garruccius fecit in Diario archaeologico Neapolitano novo anni 1852 p. 86.*) Est autem ea talis, litterarum specie satis rudi valdeque antiqua quam typothetis imitari non licuit:

SAIITVRNI · POCOLOM

h. e. Saeturni pocolom [Vide tab. IX fig. *A* et *a*.]. Et hanc quidem formam dubitari nequit quin cupide arrepturus fuerit Buttmannus, qua suam eius dei originationem firmaret. Is enim vetus vocabulum exstitisse suspicatus saium vel saeum, unius *s* litterae accessione diversum ab aevum αἰών, hinc saturnus manasse ut ab aevo aeternus coniecit p. 59, significatu aequans κρόνος adiectivum h. e. 'priscus' vel 'cascus': quippe cuius stirpis esset etiam saeculum nomen. Quae quamvis subtiliter commentus sit, commentus est tamen suo periculo. Nam ut taceam de tali stirpe nihil quicquam alioqui compertum esse, nec hoc perspicimus, quomodo, si aeternitatis vetustatisve notionem saeculum vox habuit primitivam, inde nasci generis vel generationis potestas potuerit quam 'saecla animantum, hominum, ferarum' cum similibus Lucretianis palam testantur: nec vero illud facile hodie concedemus, unde Buttmanni ratiocinatio omnis profecta est, unum eundemque fuisse Graecorum Κρόνον deum Latinorumque Saturnum. Quo accedit quod non est probabile e tam generali notione, qualis est vetustatis illa, unum de principibus deis gentis Latinae prodiisse. Omninoque quid est cur ad abdita et abstrusa obsoleti, de quo nullo teste constet, sermonis confugias, ubi aperta in luce posita habeas in promptu? Tale est autem quo vim ac rationem Saeturnus Saturnus formarum sine ulla, nisi fallor, diffi-

*) [Vide nunc C. I. L. I n. 48. C. W.]

cultate expediam, non hercule mythologum agens, sed grammaticum.

Non sunt autem *ae* litterae pro diphthongo habendae, sed ordiendum a quadrisyllaba Saëturnus forma. Cuius explicandae duplex via patet. Nam cum verissime iam Buttmannus eandem esse nominum in urnus et ernus exeuntium rationem viderit, quippe non maiore quam inter undus
9 et endus terminationes discrimine, tum aliquotiens suffixis (ut cum grammaticis loquar) illis non sunt simpliciter vocabulorum stirpes auctae ut in di-urnus noct-urnus Volturnus hodi-ernus hib-ernus, sed utraque pars immissa it syllaba consociata ut in aev-it-ernus semp-it-ernus hes-t-ernus (quod est ex hes-it-ernus i. e. her-it-ernus coartatum): inter quae duo genera ambiguo loco est diuturnus, utpote aut e diut-urnus natum (cuius stirpem diut habes in diutius diutinus) aut e diu-it-urnus. Itaque licuit profecto e să stirpe, unde sătus profectum (quae attenuata demum *a* vocali transiit in sĕ-ro), fingere Să-ĕt-urnus vel Să-ĭt-urnus formam, quae contractis vocalibus regulae necessitate transiret in Sāturnus. Cui tamen rationi nescio an altera haec praestet, ut solam *e* litteram copulam vocalem illam (vocalem copulativam appellant vulgo) interpretemur plerumque mutatam in *i*, cuius tam late patens in lingua latina usus fuit. Qua copula ascita eadem sa stirps cum tus terminatione, qua fieri participia lingua voluit, coiit in să-ĕ-tus, unde săĕt-urnus natum ut di-urnus noct-urnus vel, quod etiam propius, tacit-urnus, nisi hoc quoque sic potius, tac-it-urnus, dispescueris. Iam vero cum vocalium concursum fugeret lingua, optio data erat ut in plurimis aliis aut contrahendarum vocalium aut exterendae alterius utrius. Illud igitur factum est in Sāturnus, hoc in sătus et inde derivatis: quo fit ut offensio omnis mutatae prosodiae dilabatur. Nec desunt, quae fidem huic ratiocinationi faciant, vel gemella vel affinia quantum satis.

Ac primum quidem hiantium formarum non est mirandum nulla exempla eas coniugationes suppeditare quae verborum stirpes *e* et *i* vocalibus terminatas complectuntur. Quod contra haec habes in ea quae ad *u* vocalem pertin-

maiorem partem in participiis futuri copulativae litterae aliquanto tenacioribus: arguiturus Sallustianum apud Priscianum X p. 882, abnuiturus eiusdem apud Arusianum Messium p. 210, item abnuitio Pauli Diaconi p. 108, 7 M., luiturus Claudiani de VI cons. Honorii 141. Et in his quidem contractio invaluit ut in Saturnus: argūtus enim dixerunt ut tributus indutus, nec adiective tantum ut acutus, sed etiam participialiter Plautus Amph. III, 2, 2 et Pseud. 746; item non nūtus tantum, sed etiam adnutum innutum Prisciano teste; ablūtus dilutus elutus constanter. Ad hoc igitur exemplum potuit profecto lingua, si vellet, etiam sātus efficere ex săĭtus: non debuit, quia altera via in promptu erat, eiciendae vocalis. Iniitque hanc viam, cum ruitus formam mutabat sane in rūtus, sed multo tamen frequentius in rŭtus. Nam cum non inusitatum fuerit ruiturus atque adeo AEDICVLAM · DIRVITAM · A · NOVO · REFECERVNT teste Pighio exstet in titulo Romano Gruteri p. 1071, 6 [C. I. L. VI, 1 n. 626] quem commemoravit Struvius de decl. et coni. p. 293, tamen et rūta caesa dicta esse producta *u* Varro auctor est de l. lat. IX, 104 et de correpta in dirutus erutus obrutus prorutus semirutus vocali in vulgus constat. Triplicem igitur fingendi ordinem habes ruitus rūtus rŭtus, prorsus parem triplici ordini Săeturnus Sāturnus sătus formarum.

Ad has tamen formas altera ex parte etiam propius accedit, quippe eadem coniugatione conclusus, duplex ordo ab ea stirpe quae est sta oriundus: unde quod et stātus factum est et stătus, item non alium fontem nisi pristinam stă-ĭ-tus formam habet. De quo verbo pleraque e veteribus grammaticis Priscianus IV p. 625 sq. et IX p. 863, e recentioribus Vossius de arte gramm. II, 22 congessere. Enimvero certum est testimoniorum fide locupletium, longa vocali esse staturus constaturus obstaturus praestaturus participia, item praestatus et, si Prisciano credimus, 'astatum': contra correpta status cum substantivum tum participium (ut stata sacra, signa, dona, tempora et imprimis frequenti usu status dies), item stator statio statuo una cum stabilis stabulum. Itaque non est mirum

11 brevi vocali esse etiam statura substantivum vulgo credi, tametsi ad eam mensuram demonstrandam Plautinorum quibus fere utuntur versuum vis nulla est. Nec nego potuisse corripi: scio contra sensisse Priscianum l. IV, ubi enumeratis brevitatis exemplis sic pergit: 'excipitur stamen et statura, quod tam nomen quam participium est', exemplo tamen solius participii subiecto. Quicum coniunctum est, quod l. IX 'steti vero' inquit 'statum supinum paenultima producta debet facere': quod si vere dixit, idem necessario ad status participium pertinere omnes hodie intellegimus, quod quidem ille adiectivum sane interpretatus est. Verum est autem utrumque, nisi miris modis de Lucilii apud Nonium p. 226 testimonio fallimur quod est tale: 'statura generis feminini. Lucilius lib. XXVIII: quare pro facie pro statura Accius status.' Hexametrum enim versum habes

Quare pro facie, pro statura Acciu' status,

quo ad Accianum vocabuli usum, ut ad alia Acciana alibi, respexit Lucilius: ut de discrimine status et statura formarum quaesivit etiam Donatus in Eunuchi III, 5, 50. Nec aliter suspicor O. Ribbeckio meo visum esse in Tragicorum lat. reliq. p. 194.

Nunc autem, postquam de duplici prosodia unius status formae (sive ea pro participio est sive pro substantivo participiali) explorata res est indidemque etiam Stātios esse dictos, non Stătios perspicimus, nihil profecto caussae relictum est cur fidem eis grammaticis abrogemus qui et stātim et stătim esse pronuntiatum tradiderunt. Quod illi volunt tali significandi discrimine factum esse quod nobis liceat 'standhaft' vel pro re nata 'stehend' atque 'stehenden Fusses' vocibus quadam tenus imitari. Et primum quidem Charisius II p. 195: 'statim. Accius in Didascalicon IX: uectigalia legerant uestra et seruantur statim: pro statute et ordinate.' De quo certum est opinionem fefellisse G. Hermannum diss. de Attii Didasc. p. 7 sic dubitanter scribentem dispescentemque: 'uectigália ‖ Légerant uestra ét seruabantúr
12 statim ....' qui nec bonus versus est nec esse Accianus potest, si modo productae in statim syllabae exemplum voluisse Charisium proferre satis reliquorum conlatio testium

persuadet. Quae prosodia, si trochaicus versus esset nec corruptus gravius, servari sic poterat: 'uectigália || Légerunt uestra ét seruantur státim . . . . .' Sed esse corruptum partim Madvigius viderat Opusc. prior. p. 93, partim vidit in prooemio anni 1849, quod est de Sotadeis, Lachmannus Sotadeum hunc conformans p. 7 [Opusc. II p. 72] haud improbabilem in tanta obscuritate sententiae:

Véctigalia égerant uestra, ét struantur státim.

Alter testis prodeat Donatus, in Phormionis versus V, 3, 6 sq. *sic* scribi solitos: 'Tutátur: nam ex his praédiis talénta argenti bína || Statim capiebat. hem, uír uiro quid praéstat? Bínan' quaéso?' haec commentatus a Lindenbruchio primum edita: 'statim capiebat] s t a t i m perpetuo, aequaliter et quasi uno statu. Plautus: ita statim stant signa. et habet primam longam. quando autem significat aliud [*an* ilico?], primam breuem habet.' Quae Westerhovius suspicatur Donati commentariis e Nonio demum accessisse, qui haec posuit p. 393: 's t a t i m producta prima syllaba a stando perseueranter et aequaliter significat. Terentius: bina talenta capiebam statim. Plautus Amfitryone: nec recedit loco quin statim rem gerat. idem in eadem: ita statim stant signa omnia. Ennius Aiace: qui rem cum Achiuis gesserunt statim. Afranius Augure: quamquam non istis exercetur in locis hic noster delaborat cum puer statim.' Quae exempla omnia eo curiosius expendenda sunt singillatim, quo magis mirum accidit esse in eis nullum quo necessitas producendae syllabae demonstretur, quaedam adeo quae refragentur. Velut quid Plautino in Amphitruone versu I, 1, 120 probatur:

'Ita statim stant sígna neque nox quóquam concedít die,

cuius initio cum ὀξυτόνησις spondiaci vocabuli nihil sane offensionis habeat, at minus profecto habet iambicum? Vel ipso Terentiano, si is eo quo codices testantur initio fuit 'Statím capiebat'? Atqui hic non est sane levi factarum olim turbarum indicio quod inverso ordine 'Capiébat statim' No- 13
nius prodidit, tametsi apud eundem p. 254 'statim capiebat' est ut in Terentianis libris. Sed tamen sat gravi illud caussae Bentleio fuit cur rectissimo me iudice sensu servata

'hem' particula, omissa a Bembini codicis manu prima, talem versum ederet:

Capiébat statim. hem, uír uiro quid praéstat? Binan' quaéso?

nam etiam casu solo a principe librario praetermissa secunda in illo libro manus addidit haud adeo pauca. A talibus igitur exemplis, quale hoc est Terentianum et illud Accianum, profectos esse credibile est qui, ubi longam haberet paenultimam statim, non significare 'ilico', sed 'statute et ordinate, perpetuo et aequaliter, perseveranter' et observassent et docerent. Atque eam doctrinam prorsus confirmat, quem miro iudicio vulgaris notionis testem Vossius protulit, Avienus in enarratione Phaenomenon Arateorum v. 398:

> Tunc succisa Ceres statim cum mergite culmi
> Construitur:

ubi manipulos cogitari certo ordine conlocatos apparet. Sed eosdem grammaticos nego, ubicumque corriperetur statim, necessario valere 'ilico' tradidisse: cuius quidem mensurae fuit utraque significatio communis. Firmissimo id argumento Amphitruonis illo versu intellegitur I, 1, 84:

> In fugam séd tamen némo conuórtitur,
> Néc recedít loco quín statim rém gerat:

ubi creticos numeros misere corrumpat qui stātim pronuntiet. Itaque apud Nonium conglutinatas esse duas antiquiorum magistrorum observationes existimo: alteram hanc, statim ubi produceretur, perseveranter et aequaliter significare: alteram discretam a prosodiae definitione, non tantum ut vulgo 'ilico', sed etiam perseveranter et aequaliter valere: utriusque autem observationis documenta mixta incuriosius. Quod si probabiliter disputavi, consequens est ut valde anceps sit de Ennii ex Aiace verbis iudicium, num illis recte initium sive senarii versus sive septenarii fiat: 'Qui rém cum Achiuis gésserunt statím ..', quae Ribbeckii mens fuit Trag.
14 p. 15, an pariter atque Plautinum illum etiam Ennianum talem

> .. qui rem cum Achíuis gesserúnt statim

protulisse Nonius videatur: quando ea subtilitate gramma-

ticos illos fuisse, ut in quinto senarii pede praestare spondeum nossent, nullo idoneo argumento persuadeas. Quam in partem ut inclinem, illud potissimum me movet quod etiam Afranii versus ad longae mensurae constantiam transpositione demum verborum revocatur: 'Hic nóster delabórat cum statím puer', quam a Bothio commendatam probavit Neukirchius de fab. tog. p. 180. Et de sententia quidem etsi dubia sane res est, tamen ingenue fateor me ne intellegere quidem satis vel perseverantiae notionem vel nexum cogitationum in illis, quales Neukirchio placuerunt, versibus: quos meo sensu multo commodius sic expediveris:

Quamquám non istis éxercetur ín locis
Hic nóster, delabórat cum puerá statim.

Vbi 'delaborat' dictum est tamquam 'deluctatur, desudat': 'istis in locis' autem ut 'in occultis locis' apud Plautum Curc. IV, 2, 21, 'in latebrosis locis' Bacch. 430, ubi quidem haec praecedunt 'Saliendo sese exercebant magis quam scorto aut sauiis.'

Effectum est igitur, nisi fallor animi, ut pariter atque stătum et stātum, etiam stătim et stātim pronuntiata sint necessario significationis discrimine nullo: nisi quod usu sane venit ut, ubi εὐθύς, αὐτίκα dicendum esset, non produceretur. Ceterum nec praestĭtus formam et consimiles comparare cum praestatus volui, quamquam id quidem alias ob caussas quam quod illas aut duci a sistere stirpe aut ad eam accommodari potuisse quibusdam grammaticis credam: nec talia commemorare qualia sunt explicitus implicitus, quae origine sua non sunt necessario primae declinationis ut a plica- flexa, sed tamquam a plĭc-, cum singulas stirpes pristina aetas non eis, quas postera finivit, coniugationibus discreverit: nec arcessere cognitus agnitus participia, quae etsi dubium non est quin ex primitiva nŏ-ĭ-tus forma prodierint, tamen ancipitem habere explicatum videam. Sed eodem sane quo stătus genere comprehendo e cĭ stirpe facta cītus cĭtus. Item comprehenderem quītus quĭtus cum grammaticis, si modo eam vocem, quam corripuit Terentius Hecyrae IV, 1, 57, usquam productam

[illegible] Plautus [illegible] in [illegible]

[illegible]

[illegible] Musei [illegible] ibidem [illegible]

[illegible]

CAPVT II.

Proxima cum Saturni poculo societate alia quaedam
vascula fictilia continentur, item dei nomine Latini subiecto-
que POCOLOM vocabulo inscripta. Quamquam hoc inter-
cedit, quod ollae ansatae (scyphum Garruccius dixit) speciem
habet poculum Saturni, quod ipsum facile quispiam antiquis-
simum omnium dixerit, cetera sunt paterae. Eius generis e
terris adhuc prodierunt sex exempla, composita nuper in
O. Iahni de cista Ficoron. comm. p. 55. Reperta sunt autem,
de quorum origine constat, in Etruriae finibus Latium versus
omnia: ut indidem credibile sit etiam Saturni poculum oriun-
dum esse. Nec mirum Latinos deos a Latinis hominibus ab
eis potissimum temporibus cultos esse inter Etruscos, quibus
hi post tot clades ab anno ferme CCCCLXII ad CCCCLXXIV
acceptas in societatem a Romanis recepti sunt. Vt non mul-
tum falli posse videatur qui annorum CCCCLXXIV et circiter
DXX terminis illorum confectionem vasculorum omnium con-
cludat. Nam ultra hos fines non durasse nominum formas
in OS et OM exeuntes, satis nuper communivisse ea dispu-
tatione videor quam de elogiis Scipionum scriptam initio
voluminis IX Musei nostri philologici [supra p. 213 sqq.]
posui. Vbi quod iam principio sexti saeculi desiisse earum
usum formarum negavi, eo rectius feci quo commodiore eius
rei argumento uti potueram ex inscriptione statuae aereae
Musei Kircheriani*) petito, quae haec est: CPOMPONIQVI-
RIOPOS, sic ut apparet dispescenda: C·POMPONI·QVIRI*na*·
OPOS: in qua legenda multimodis olim erratum est. De qua
quod iudicare confidenter possum, singulari beneficio Reve- 17
rendissimi Patris Marci effectum est, cuius liberalitati summa
cum cura delineatum exemplum debeo. Eam igitur epigra-
phen qui teste Iahnio p. 61 sq. primus recte interpretatus
est Henricus Brunnius meus, subtili eademque percommoda
observatione monuit de Quirina tribu anno demum DXIII
facta. Vnde huic ipsi tempori aliquantum etiam super-
stitem fuisse OPOS pro OPVS scripturam cum similibus

*) [Vide nunc P. L. M. E. tab. I *B*; C. I. L. I n. 52. C. W.]

apparet.*) Quamquam non nihil interesse inter OPOS et POCOLOM exempla haud ignoro.

Sunt autem paterae illae haec quas infra posui cum suis quamque epigraphis: nam in reliqua pictura, satis illa

---

*) [Quae supra scripta sunt aliqua ex parte retractavit Ritschelius epistolio ad Patrem Marchi in Musei Rhen. t. XII (1857) p. 319 sq. misso hoc:

319 'Fridericus Ritschelius S. P. D. Reverendissimo Patri Marchi Collegii Romani Socio, Celeberrimo.

In ea quam nuper ad TE, vir gravissime idemque humanissime, commentationem transmisi de fictilibus litteratis Latinorum antiquissimis editam, cum in casuum formas, quae sunt OS et OM pro VS et VM, oratio incideret, de quibus quidem paullo ante explicatius dissserueram in principio voluminis IX Musei nostri philologici [vide supra], haec scribebam p. 16 sq. quae infra posui: 'Vbi quod iam principio — cum similibus apparet.'

Vides quam in TE grato animo fuerim: et tamen non satis me grato fuisse sero intellexi. Quam enim nulla culpa mea, sed alieno testimonio confisus ad alium laudem rettuli, eam nunc amici Romani me certiorem faciunt totam TIBI deberi, cuius et cura fideque vera lectio tituli obscurioris explorata sit, et acumine doctrinaque interpre-
320 tatio inventa ad tempora linguae describenda utilissima. Redire igitur ad TE tamquam postliminio volo, quae TVA fuere a principio: quae quidem a TE aliquantisper abalienata eo aegrius fero, quo et gratiora benivolentiae officia TVAE identidem ipse expertus sum et suaviorem modestiam ab omni praeterquam veritatis ambitione seiunctam omnes norunt atque deamant.

Ita postquam religioni satis factum est, unum ut ex TE quaeram, res ipsa postulat. Pusillum est, nec tamen neglegendum, quod QVIRIOPOS in eo quod TIBI ipsi acceptum refero exemplo ego legere visus sum, QVIR · OPOS profertur ab auctoribus lectionis TVAE. Fateor paullulo breviorem eam lineolam esse quam I litteram interpretatus sum: sed eandem tamen idem video paullo longiorem esse quam quae satis tuto pro interpungendi nota habeatur. Quod cum ita esset, ut illam potius viam inirem hoc me movebat, quod ne post POMPONI quidem quicquam interpunctionis interiectum est. Hoc igitur quale sit, ut facili negotio si voles coram dispicies, ita novo hoc comitatis documento non mediocriter cum memet tum communia studia, quibus tanto et decori et honori es, TIBI devincies. Vale. Datum Bonnae ad Rhenum Id. Mai. a. CIↃIↃCCCLVII.'

Ceterum, ut ipse Ritschelius Enarr. P. L. M. E. p. 3 narravit, Roma responsum est, non esse de littera cogitandum, sed reapse acquiescendum in interpunctione. C. W.]

exili vel levidensi plerumque, aut operae pretium non est morari aut alienum a consilio meo.*)

1. Tarquiniis reperta: VOLCANI·POCOLOM: inde ab anno 1828 musei regii Berolinensis: commemorata a Braunio Diar. Instit. arch. a. 1837 p. 130, descripta in Gerhardi catalogo musei Berol. I p. 270 sq. [C. I. L. I n. 50], edita ab eodem a. 1840 in 'Trinkschalen des Berliner Museums' tab. VIII. [Vide tab. IX fig. *C* et *c*.]

2. Vulceiis effossa virtute liberi baronis de Beugnot: AECETIAI·POCOLOM: e Millingeni thesauris translata in museum Britannicum: commemorata ab O. Muellero in 'Archaeol. Intelligenzblatt' a. 1833 p. 46 et post Campanarem in Actis acad. Rom. VII p. 16 a Kramero de vasis fict. p. 142, item in De-Wittii Collect. Beugn. p. 78 n. 129, descripta ab Samuele Birchio in Gerhardi Diurn. archaeol. nov. a. 1847 p. 154 sq. [C. I. L. I n. 43], meum in usum delineata Londini intercedente egregio amico Waltero Perry, per plurimos annos hospite Bonnensi suavissimo. [Vide tab. IX fig. *B* et *b*.]

3. Ibidem reperta: KERI·POCOLOM: nunc Romae in museo Etrusco Gregoriano: commemorata a Campanare 18
Krameroque, edita Musei Gregor. II tab. 88 [descripta C. I. L. I n. 46. Vide tab. IX fig. *D* et *d*].

4. Hortani reperta: LAVIIRNAI·POCOLOM: eiusdem nunc musei Gregoriani: commemorata a Braunio, edita ibidem [descripta C. I. L. I n. 47. Vide tab. IX fig. *E* et *e*].

5. Ibidem reperta: SALVTES·POCOLOM: musei eiusdem: commemorata a Braunio [descripta C. I. L. I n. 49]: mihi delineata ab Henrico Brunnio. [Vide tab. IX fig. *F* et *f*.]

6. Incompertum ubi vel reperta vel nunc servata:

*) Vnum velim ab harum rerum peritis quale sit mihi expediri: quod non semel, sed triplici exemplo quaterni circuli in media fere patera conspiciuntur in speciem τραπεζοειδῆ conlocati. Quos partim iuxta personas pictos partim per ipsas figuras pertinentes vides in Keri atque Lavernae poculis, sine figuris ipsum fundum paterae occupantes in poculo Aecetiae. Quod quoniam ter factum est pariliter, vix ausim casui tribuere.

BEΛO * AI · POCOLOM: apud Millingenum Florentiae visa Welckero suisque in diariis ab eo raptim consignata, post commemorata cum ceteris in editione tertia enchiridii Muelleriani p. 195: frustra a me quaesita in museo Britannico, quo perlatam esse una cum altera Millingeniana suspicabar.*)

Atque ut ab ea quam postremo loco posui patella ordiar, cum quintam ab initio litteram Welckerus talem pinxerit ut, utrum Λ an Ⱶ legerit, non appareat, iure suo Mommsenus ab Iahnio commemoratus scriptum esse in vasculo BEΛONAI, vel, quod potius duxerim, BEⱵONAI coniecit: quando incredibile dictu est quotiens in his brevissimis epigraphis legendis a quot viris doctissimis, quorum nomina supra posui, miris modis variatum sit.**) E reliquis nihil dubitationis vel VOLCANI vel LAVERNAE nomina creant. Nec plus SALVTES: memorabile id quidem propterea quod alterum exemplum *e* pro *i* litterae etiam in genetivo *tertiae* declinationis servatae accedit illi, quod est APOLONES in venerandae vetustatis aere Monacensi apud Orellium n. 1433 [C. I. L. I n. 187; P. L. M. E. tab. II *B*]. Sequitur KERI poculum, cui felicissimo successu Rev. Pater Secchius in Diar. Inst. arch. a. 1843 p. 72, item in commentatione de musivo Antoniniano Romae eodem anno vulgata, de qua Henzenus rettulit Diarii illius p. 127, lucem admovit ex Pauli Diaconi his verbis, excerptis e Festo p. 122 M.: 'et in carmine Saliari Cerus manus intellegitur creatur bonus.' Nec meo sensu improbabiliter in carminum Saliarium reliquiis Varronianis de l. lat. VII, 26 'duonus cerus es' verba contra

*) [Vide nunc C. I. L. I n. 44; repperit autem hanc pateram Brunnius tandem in Museo Campanae et accuratius delineavit (vide tab. X *G* et cf. supra p. 266 adn.). — Praeterea vide quae de COERAE · POCOLO (C. I. L. I n. 45; Ephem. epigr. I p. 8 n. 6) narrata sunt a Ritschelio P. L. M. E. Enarr. p. 14, in Priscae lat. epigr. suppl. V p. IX sq. et Musei Rhen. t. XXI (1866) p. 296 sq. — Nonum accessit AISCLAPI · POCOCOLOM, quode vide Priscae lat. epigr. suppl. V p. IX et cf. Ephem. epigr. I p. 8 n. 5. C. W.]

**) [Reapse scriptum esse BEⱵOⱵAI postea compertum est; quo tamen nomine eandem Bellonam deam appellari exposuit Ritschelius in Priscae lat. epigr. suppl. V p. XI. C. W.]

Muellerum Bergkius p. VIII tutatus est, spectantia illa qui- 19
dem ad Ianum deum. Vnde etsi non sane efficitur ipsum Ianum esse qui Creatoris nomine diceretur simpliciter, tamen via saltem expediendi KERI illius patefacta est. Quam ultra persecutus Mommsenus de dial. Ital. p. 133 conlatis Oscis kerrî kerrîi formis intellexit aequare vetus cerus nomen recentiore usu frequentatam genius formam notionemque.

Minus autem feliciter eidem Secchio illi res cessit in interpretando AECETIAI nomine. Quam deam cum pro Aegeria accepit vel Egeria formamque Etruscam dixit latinae Aegedia vicariam quae postmodum transiisset in Aegeria, responderi poterit dupliciter. Nec enim in reliquis horum poculorum exemplis Etrusci sermonis (abhorrentis a mediarum quas grammatici vocant consonantium mollitudine) vestigium ullum apparet, nec in latina lingua, ut sane *r* in *d*, ita contraria vicissitudine *d* in *r* mutari solitam compertum est. Singulare est enim quod medidies exstitisse ante meridies Varro testatur de l. lat. VI, 4: cuius mutationis caussam iam Cicero Orat. 47, 157 intellexit iteratae di syllabae insuavitatem fuisse. Quamquam simili olim sententia Mommsenus fuisse videtur de dial. Ital. p. 28. Diversissimam viam ingressus Gerhardus Aecetiam interpretabatur tamquam aliquam Acetariam vel Acetanam ab aceto dictam ('Essiggöttin') in comment. de deis Etruscorum edita Berolini a. 1847 p. 25 sq., Aegestus Acestus nomina commemorans obscuriore comparandi ratiocinandive artificio. Scilicet mirifico prorsus acumine Aegestum illum, qui Alba missus esse Lavinium narratur, ab eo appellatum esse, quod tamquam praeesse aceto et muriae et pernis petasonibusve salsisque muriaticis ('Schinken und Pökelfleisch') putaretur, persuaserat sibi Klausenus de Aenea et Penatibus II p. 689. A quali commento haud ita multum abhorruerit si qui de Segetia dea cogitet et conferre Segesta Egesta Aegesta formas animum inducat: parum id quidem considerate. Non dubitabit puto vir amicissimus in nostram, simul atque audierit, sententiam concedere: nec enim mea est, sed uno
tempore cum ab Iacobo Bernaysio coram tum per litteras 20
a Theodoro Mommseno mecum communicata. Quorum ille

profectus a nequitia voce, quam non satis tuto duci a nequam videri, hic permutatarum *c* et *qu* litterarum exemplo usus urbis nomine Aeclanum, in Aequitia formam tralaticiae Aequitas vicariam uterque inciderunt atque meum certe assensum ilico tulerunt. Quem longe evidentissima ratione confirmo, exemplorum multitudine affatim comprobata. Quippe non aliter aequitia et aequitas differunt atque duritia vel durities et duritas, [pigritia et pigritas], planitia planities et planitas, segnitia segnities et segnitas, tristitia tristities et tristitas, saevitia et posteriori aetati probatum saevitas, tardities et tarditas, vastities et vastitas. Quorum ut quaedam tertiam formam asciscunt in tudo terminatam, duritudo planitudo tristitudo saevitudo tarditudo vastitudo, ita progredi comparando licebit ad canitia canities et canitudo, mollitia mollities et mollitudo, pinguitia pinguities et pinguitudo, laetitia et laetitudo, maestitia et maestitudo: in quibus casu factum quod alteram formam in tas exeuntem aut non probavit lingua aut non servavit memoria. Nec ab eodem genere aliena, immo pusillo intervallo remotiora haec sunt: opulentia opulentitas, discordia discorditas, pauperies paupertas, miseria miseritudo, et paullo longius recedens paenitentia paenitudo: ut taceam pervulgata illa pulcritas pulcritudo, temeritas temeritudo, prope innumerabilia. Nihil est igitur cur non potuerit etiam ab eo quod est aequos fieri aequitia: atque factum esse, contrariae notionis nomen nequitia, nisi omnia fallunt, ostendit planissime. Quod si a nequam ducunt, unde tandem hoc ipsum? Nempe a ne particula negativa et relativi pronominis accusativo quam compositum volunt. E quibus partibus quomodo prodire propria nequam vocabuli notio potuerit, etsi non inepta ratiocinatione demonstrare Doederlinus Synon. et etym.

21 p. 54 sqq. instituit, tamen nec exclusam esse aliam explicandi viam video, nec illud probabiliter expeditum qui factum sit ut, cum sane in adverbii usum conversus quam accusativus minime destituatur analogia, tamen e tali adverbio, eoque non ab adiectivo ducto sed a pronomine, rursum declinatum

nomina nequior nequius ipsumque adeo nequitia fierent: id quod et destituitur exemplis, et suapte natura non potest non permirum videri. Vt taceam indidem scilicet procreatum novum nequiter adverbium. Apage igitur incredibilia et praeter necessitatem μονήρη: neve aliunde venire nequam crede nisi unde et nequior et nequitia et nequiter, ex obsoleto nequus vel potius nequos positivo, composito ex ne et aequos: prorsus ut ab adiectivis suis promiscam bifariam multifariam. Nec dispar ratio est nequos et iniquos formarum atque harum quae sunt nefandus et infandus, nescius nesciens nescientia et inscius insciens inscientia, nesapius (Petronii) et insipidus insipiens, necopinus et inopinus: item sive nepus sive de Scaligeri (in Fest. p. 164 M.) sententia nepurus et impurus, nisi forte etiam rectius Doederlinus VI p. 271 nepius correxit, conferendum id quidem cum impius. Enimvero quod ad significatum attinet, etsi non incommode Doederlinus hinc profectus est ut nequam illud interpretaretur quod in nullam partem h. e. 'nulli rei' esset, tamen quid impedit quominus nos 'nequam hominem' eum accipiamus qui id quod est aequum non servet observetque, aequum iustumque modum non expleat, suas partes non exaequet officioque sustinendo non par sit? Vnde tam proclivis est ad vulgarem inutilitatis vel ut graece dicam τοῦ ἐνδεοῦς, ἐλλιποῦς, μὴ ἐξαρκοῦντος notionem transitus, ut vel sic commodissime potuisse nequiter et frugaliter, nequam et frugi notiones opponi intellegatur, velut apud Plautum Pseuduli v. 468: 'Cupis me esse nequam: tamen ero frugi bonae.' Ipsum autem aequos vocabulum neminem fugit quam late patentem vim eodem Plauto teste in vetustiore potissimum latinitate habuerit. Accedit quod habent qui 22
a ne-aequos ordiuntur, non habent qui a nequis, unde Festi p. 162, 23 glossam expediant: 'nequalia, detrimenta.' Nec enim aegrius credemus ne-aequalia dicta esse tamquam inaequalia, quam ne-aequiora tamquam iniquiora: ut, si nequalia interpretemur tamquam iniquitates, non lateat qui deflecti vox ad detrimentorum notionem potuerit. Vnum restat quod egeat defensione: ex ne-ae con-

trahendo effecta ne syllaba, pro qua nae potius, naequior naequitia, exspectamus. Ac rarior est sane in antiquiore lingua *e* vocalis vicaria diphthongi, verum eadem tamen aliquot exemplis certa. Tale est quod pervetustus titulus Marsicus exhibet in Mommseni I. R. N. 5567 QVESTORES*), item Paestanus nummus ΠIISTANO in Carelli Num. Ital. vet. a Cavedonio editis tab. CXXX, 2 [P. L. M. E. tab. VII n. 61; C. I. L. I n. 17]. Ad quod genus rectissime Mommsenus de dial. p. 242 rettulisse CESVLA nomen videtur quod est in uno Pisaurensium titulorum [C. I. L. I n. 168; P. L. M. E. tab. XLIV *J*], quippe a caesius vocabulo ductum nec origine sua diversum a CAESELLA. Nec enim satis confidenter priscis dativis illis atque adeo genetivis utor DIANE FORTVNE VICTORIE PROVINCIES, ut quos intellegam etiam aliam quandam explicandi rationem admittere. Quodsi qui forte ex rustica pronuntiandi consuetudine haec omnia et similia repetere animum inducant, non video hoc contra valiturum. Non ignoro proditum esse edum 'in Latio rure' fuisse 'qui in urbe, ut in multis *a* addito, aedus' a Varrone de l. lat. V, 97, et 'Mesium, non Maesium' lib. VII, 96, item 'Cecilium pretorem' in Lucilii cavillatione testibus eodem Varrone et Diomede II p. 447. At idem scio ipsius antiquitatis non fuisse tenaciorem custodem conservatricemque constantiorem quam eorundem rusticorum hominum consuetudinem. — Quamquam ipsae nequam nequitia formae quaeri potest num singulari caussa quadam et propria ratione hac regantur, ut non simpliciter *e* successisse in locum *ae* diphthongi dicatur, sed de notissima *ae* diphthongi in *ī* vocalem mutatione, quam 'Umlaut' nomine hodierni
23 grammatici appellant, cogitetur, pro *ī* autem servata esse vetustior *ē* vocalis putetur quam in tot aliis habes, ut in PAPERIVS DEDIVS COMPROMESISE ADIESE VELET DEDET NVGES PLOIRVME IVRE IVNONE MARTE TIBE HEC QVE. In quibus omnibus etsi E vocalis cessit recentiori aut EI aut I scripturae, nequam autem vel ne-

*) [Vbi tamen legitur QVEISTORES: cf. C. I. L. I n. 183; P. L. M. E. tab. XCVIII *D*. C. W.]

quitia numquam, quod sciamus, aut NEIQVAM NEIQVITIA aut NIQVAM NIQVITIA scripta sunt, tamen id ipsum, si modo placuisset, potuisse fieri non magis a ratione abhorret quam ante iniquos formam potuisse, quod item ignoramus, inequos probari, vel exestumare conquerere ante existumare conquirere: de quibus nuper dixi Mon. epigr. tr. p. 21 [supra p. 140 sq.], oblitus Naeviani illius 're inquaesita' apud Charisium p. 186. Accedit quod ne ī quidem vocali, in quam de more *ae* diphthongus transibat in compositis, non potuit vulgaris nequam forma nasci, si modo in ·nē·iquos (quando ancipiti mensura fuit negativa illa ne particula) praeponderare *e* prae *i*, non *i* prae *e* putaveris. Commendaretque, nisi mea me opinio fallit, hanc ratiocinationem omnem haud leviter Festi p. 165, 30 memoria: 'negritu in auguris significat aegritudo', si minus obscuratam mutilatamque librariorum neglegentia haberemus. Vbi quod negritu interpretantur necritu, id qua tandem ratione subiectae a grammatico significationi conciliabis? Quem etsi quid scripsisse dicam non habeo, tamen illud vix dubito quin aliquod vocabulum a negr- incipiens (fortasse non aliud atque negritu*do*) compositum esse ex ne et aegr- tradiderit.

Ad simplex nomen, unde deflexi, redeo AECETIA. In cuius altera syllaba *ĕ* pro *ĭ* vocalis non plus offensionis habet quam in prorsus parilibus MERETO SOLEDAS OPPEDEIS, ne paullo longinquiora arcessam. Fuitque haud dubie etiam nequetia aliquando usitatum ante nequitia. Aliquanto plus dubitationis facile cuipiam pro *qu* posita *c* littera iniciat. Nam etsi praeter aequos exstitisse etiam aecus formam satis exploratum est, tamen haec quidem subsecuta 24
est demum naturali necessitate *o* vocalis in *u* mutationem. Sed tamen veterrimis iam temporibus quaedam saltem in hoc genere vocabula *c* litteram ascivisse (quo fortasse quiris curis pertinet) potissimo documento com con praepositio est, sic scripta pro quom non in antiquissimo tantum elogio Scipionis Barbati f. (COSENTIONT), item in pervetustis titulis Venusinis I. R. N. 715. 716 [C. I. L. I n. 185. 186] (CONSOLTV CONSVLVERE), sed praeter cetera in COSOL,

cuius scripturae antiquitatem ipsa COS nota testatur constans per omnia saecula. Quodsi quis non successisse demum com formam antiquiori quom scripturae, sed pari atque hanc antiquitate esse contenderit, de quo fatendum est posse in utramque partem sentiri: at iste quidem concedere debebit ne hoc quidem sciri posse, num forte aecos non minus antiquum sit quam aequos. In quo genere ut nescimus multa, ita multum variatum fluctuatumque esse priusquam ad stabilem consuetudinem perveniretur, valde singularia exempla quaedam docent: velut MIRQVRIOS illud in speculo nunc Berolinensi [C. I. L. I n. 59; P. L. M. E. tab. I *F*], atque adeo in SC. de Bacanalibus mira OQVOLTOD scriptura. Quibus longe commodiora gravioraque ad nostram quaestionem illa essent, in contrariam partem valentia, quae Lachmannus Lucretii p. 220 composuit per *c* scripta: corum co ca candam carundam alico condam, nisi ea non ex monumentis petita essent sed a librariis accepta: ut, qua aetate talis scriptura quove auctore invaluerit, teste nullo constet.


Ceterum cultum deorum omnium in his poculis inscriptorum antiquissimum fuisse partim proditum est partim consentaneum. Et Aequitatem quidem deam iuxta cum Victoria Pace, item Pietate Concordia Salute Honore Virtute Felicitate commemorat Arnobius adv. nat. IV, 1: SIGNVM AEQVITATIS dicatur in titulo Praenestino Gruteri p. 76, 3. Saluti aedem anno CDXLIII votam a C. Iunio Bubulco, ab eodem locatam esse a. CDXLVII, dedicatam a. CDLII Livius tradit IX, 43 et X, 1, picturis ornatam a Fabio Pictore Plinius N. H. XXXV, 4, 7: eandemque, unde et colli Salutari et portae Salutari nomen (de quibus recte Beckerus sensit Antiq. Rom. I p. 131 et 578), in Argeorum sacrificiis commemoratam Varro repperit de l. lat. V, 52: cui deae etiam Pisaurensium titulorum illorum unus (SALVTE) dicatus est, qui nulla dubitatio est quin sextum saeculum aetate superent. Lavernali portae 'ab ara Lavernae, quod ibi ara eius' nomen inditum idem Varro scribit V, 163, cui accedit Festus Pauli p. 117 M.: unde de antiquitate eius deae, furum patronae Plauto (apud Nonium p. 134), Novio (ibidem p. 483), Horatio, Arnobio testibus, fieri coniectura potest

Item Bellonae templum anno CDLVII ab Ap. Claudio Caeco votum cum Livio auctore X, 19 constat tum Ovidio Fast. VI, 201 sqq. Quamquam mirationem sane non mediocrem illud movet, quod BELONA ea dea dicta est in patera Millingeniana, non DVELONA. Quod contra antiquitatem Keri nominis praeter Saliarium carminum mentionem ipsa scriptura firmat K litterae usu insignis: idemque illud in Saeturnum cadit, cui deo dicatam sive ab Euandro sive ab Hercule ad clivum Capitolinum aram, vel aedem sive a Tito Tatio sive a Tullo Hostilio sive a Tarquinio Superbo factam quid est quod persequar copiosius? Vel cum Romuli Tatiique nomine coniunctam Volcani memoriam, quam Volcanale testatur et Volcanalis area? Quo pertinet quod et Saturnum et Volcanum in eis deis Varro de l. lat. V, 74 numerat, quibus 'arae Tati regis voto sunt Romae dedicatae'.

Horum igitur deorum quod pocula illa esse dicuntur, id vim habere duplicem potest. Aut enim e domestica supellectile privata fuere, usui tamen divino destinata, ut quibus libationes fierent certis deis certo ritu gentili dicatae: aut reapse donata et consecrata sunt eis quorum nomina prae se ferunt deis, sed tamen fortasse ne sic quidem seiuncta libationis cogitatione, quippe quo ipsum poculorum nomen spectare videatur. Et in hanc quidem partem illorum usum vasculorum probabiliter me iudice iam O. Iahnius interpre- 26
tatus est Annalium antiq. studios. Rhen. fasc. XIII p. 115. Neque enim genetivi alia ratio est in illis inscriptionibus quae sunt ARA · TRANQVILLITATIS, ARA · NEPTVNI et ARA · VENTORVM apud Murator. p. 148, 5. 4. Orell. n. 1339. 1340: vel adeo PIETATIS · SACRVM in Annal. Inst. arch. t. XVIII p. 244, apud Orell. n. 1824. Quo referrem etiam pervetustum titulum Romanum hodie non superstitem DEIVAS · CORNISCAS · SACRVM apud Gruterum p. 88, 14 (Orell. n. 1850 [C. I. L. I n. 814; VI, 1 n. 96]), si singulari numero Corniscam esse dictam mihi constaret; nunc, quoniam 'Corniscarum divarum locum esse trans Tiberim cornicibus dicatum, quod in Iunonis tutela esse putabantur' Paulus Diaconus e Festo tradidit p. 64, 7 M., nescio an rectius

aut dativos plurales 'CORNISCAS · DEIVAS' interpretemur e 'deivaïs corniscaïs' contractos, aut fortasse etiam simplicius accusativos simulacro earum dearum inscriptos.

Nec vero, ad pocula ut redeam, inusitatum fuisse Latinis vasa deis donare, cum e titulo quodam Augustano intellegitur qui est apud Gruterum p. 5, 6, apud Orellium n. 1279 [C. I. L. V, 2 n. 6829]: IOVI · IVNON · MINER || ANTONIA · M · LIB || APHRODISIA · SCYPHOS · II || VENEREVM · SPECVLVM || DONVM · DEDIT, tum ex antiquissimi cuiusdam vasis figulini fragmento sat memorabili recte, si quid video, conligi poterit. Quod fragmentum cum in ipsius Latii sepulcro, Ardeae quidem, nuper e terris effossum esse Henricus Brunnius mihi scripsisset mense Iulio superioris anni, addito inscriptionis exemplo vulgaribus litteris consignato: nec enim delineandi veniam a possessore impetrari posse: nunc demum abhinc paucas septimanas eandem vidi in transmissis ad me Diarii ('Bullettino') novi Neapolitani [vol. I] partibus aeri incisam in tabula VI [vide tab. IX fig. *H*]*), commentario tamen vel interpretamento in eis fasciculis ipsius diarii, qui in meas manus venerunt, addito nullo.**) Est autem ea haec, litteris quidem ad summam antiquitatis speciem conformatis:



*) [Accuratius xylographi arte expressum exemplum inscriptionis dedit Ritschelius Enarr. P. L. M. E. p. 101, quod hic iterandum curavi. Ceterum cf. C. I. L. I n. 166. C. W.]

**) [Sed cf. P. L. M. E. Enarr. p. 15: 'Quod (fragmentum) quibus verbis supplendum sit, tam esse incertum video ut nec mea teneam de fict. litt. p. 27 commendata nec Garrucciana amplectar l. s. s. proposita p. 183. Ceterum eandem inscriptionem idem Garruccius in «Graffiti de Pompéi» p. 31 iteravit, sed litteris longe et minoribus et rudioribus.' C. W.]

Quarum litterarum fracta ultima non potest alia nisi V esse: 27
V, quantum video, non alio e vocabulo nisi e V*otum* relicta esse: voti notio non alio nisi ad numen divinum spectare. Non autem, cui deo votum vas sit, sed qui voverit, superstites in fragmento litterae, nisi quid me fallit, docent. Quas nescio an cum aliqua probabilitate sic et interpreter et suppleam:

.... *PR*OMO*s* FAMELIAI DONOM VOTO*m DEDIT*

(vel *DEDET*), praemissis quidem et dei appellatione, et eius nomine qui ex voto donavit promus familiae. Nec enim mirum id officium commemorari a donatore: quod proxima ab ipsius vilici munere dignitate fuisse in familia Varro ostendit libro I rei rusticae cap. 16, 5: 'itaque ideo Sasernae liber praecipit ne quis de fundo exeat praeter uilicum et promum et unum quem uilicus legat: si quis contra exierit, ne impune abeat: si abierit, ut in uilicum animaduertatur.' Idemque (nisi quid tempora in hoc genere mutarunt) illinc conligas quod, cum Plautus 'condum promum' dicat 'procuratorem peni', ipsi 'atriensi imperantem' Pseuduli v. 608 sq., procuratorem et vilicum non semel Cicero sociavit ut dignitate antecedentes ceteris, ad Atticum XIV, 16, 1. de orat. I, 58, 249. Cui deo votum donaverit, divinare nemo homo potest: potuit Libero vel Cereri, potuit Laribus, vel potius cui non potuit? Quo autem ordine excepisse se dei, donatoris, donationis vocabula statuimus, eundem cum Pisaurenses lapides servant FERONIA · STA · TETIO · DEDE [C. I. L. I n. 169; P. L. M. E. tab. XLIII *B*] et IVNONE · RE*g* · MATRONA · PISAVRESE · DONO · DEDROT [C. I. L. I n. 173; P. L. M. E. tab. XLIII *C*], tum Romanus ille [C. I. L. I n. 531; VI, 1 n. 474; P. L. M. E. tab. L *A*] MARTEI · *m*. CLAVDIVS · M · *f*. *c*ONSOL · DED, item Florentiae nuper ab O. Ribbeckio repertus, a Guilelmo Vischero Basiliensi ectypo chartaceo expressus*) · · ISIO · · AR · · || M · TERE-

*) [Hoc minus recte narratum esse ipse animadvertit Ritschelius Musei Rhen. t. IX p. 464 adn.; Mommsenus enim l. l. rettulit lapidem editum quidem, quamvis parum diligenter, iam a Gorio Inscr. Etr. I, 18 n. 28 esse, ectypon autem chartaceum deberi Ottoni Ribbeckio.

BONIO · C · L ‖ DONVM · DAT · LIBEN*s* ‖ MERITOD, quem mixtae antiquioris paulloque recentioris temporis formae confinio duarum aetatium illi adsignant quode nuper dixi Musei phil. nostri t. IX p. 19 [supra p. 235]. Quamquam etiam alteri cuidam ordini in Ardeati epigrammate locus est, ut in
28 fine demum dei nomen subsequatur: quemadmodum in alio Pisaurensi [C. I. L. I n. 168; P. L. M. E. tab. XLIV *J*] est CIISVLA · ATILIA · DONV · DAT · DIANE, vel in Pompei apud Plinium N. H. VII, 26, 27 (97) titulo: 'Cn. Pompeius Magnus imperator . . . . . . uotum merito Mineruae', ne adiecto quidem d e d i t verbo. Ad quod exemplum etiam Ardeas inscriptio nostra terminata esse ipsis DONO · VOTO verbis potuit, similiter atque in lamina Fabrettiana illa [C. I. L. I n. 62; P. L. M. E. tab. II *E*] C · PLACENTIOS · HER · F · MARTE · SACROM: nisi quod reliquorum hic ordo, ut medium locum dei nomen occupet, id quod frequentissimo usu evenit, ab Ardeati vasculo prorsus exclusus est.

Postquam coloribus pictas figlinorum inscriptiones persecutus sum, una superest nobilis patera (sive lancem dicere malueris) Caeretana, non pictura sed ectypo opere et Sileni protomen barbati repraesentans et litteras circulatim positas hasce [vide tab. X fig. *J* et *i*]:

FECIT · CALENVS · · CANOLEIVS · · ·

Sic enim ordinanda vocabula esse crescens pone singula punctorum numerus, nisi fallor, docet*): si modo in ea parte satis fidei gypseum, quod Welckerus possidet lithographoque meo delineandum comiter ut solet permisit, exemplum habet. Nam non integrum, sed fractum vasculum fuisse cum repertum est anno 1834, Gustavus Kramerus testatus est, qui illius primus quod sciam mentionem fecit in 'Archaeol. Intelligenzblatt' anni eiusdem p. 44, ubi in tribus testis tria se inscriptionis fragmenta legisse dicit ECIT CALENV et N[illegible] et CA. Quae fragmenta et coniuncta inter se et aucta pro-

---

Ceterum editus nunc est titulus in C. I. L. I n. 190, repraesentatus in P. L. M. E. tab. L *D*. C. W.]

*) [Postea intellectum est simpliciter tantum post CALENVS nomen interpunctum esse; cf. Enarr. p. 15. C. W.]

ximo anno talia apparuerunt in Aemilii Braunii mei narratione quae est in eodem diario anni 1835 p. 10: CALENV(S)·CANOLEIV(S)·(F)ECIT. Eas autem litteras utrum in hanc speciem e fragmentis composuerit an e vasculo iam tum e testis redintegrato petierit, incertum est. Certe redintegratum illud in antiquitatis artisque operibus Equitis Durandi exstitit: in quorum Descriptione a. 1836 Parisiis vulgata De-Wittius inscriptionem talem dedit p. 350 n. 1434: CALENVS·CANOLEIVS · · · FECIT. Quem est idem ille Kramerus securius secutus, cum uno post anno libri de vasis 29
fictilibus sui p. 143 scriptum esse CALENVS·CANOLEIVS·FECIT narravit. Quarum litterarum quid esse antiquum, quid accessisse instaurando videatur, nemodum curiosius quaesivit: nec ego efficere ullis machinis potui ut Parisiis, quo id vasculum e Durandi collectione transisse in Thesaurum nummarium ('cabinet des médailles') e Supplemento descriptionis De-Wittianae p. 18 discitur, mea caussa inspiceretur examinareturque.*) Hoc autem opus fictile ut arte poculorum illorum mediocritatem vincit omnium: prorsus enim affabre factum est: ita eisdem antiquitate cedit. Cuius aetas sat certo sic videtur definiri posse, ut vix antiquius sit anno u. c. DXX, non posterius anno circiter DLXX: quando illud VS pro OS terminatio suadet, hoc L litterae non rectangularis usus postulat, si modo de hac littera vere disputavi Musei phil. Rhen. t. IX p. 2 [supra p. 214]. Satisque ei aetati servatam in CANOLEIVS *o* litteram convenire non est quod probem explicatius.

[Cum Belolai pocolom P. L. M. E. tab. XI fig. *G* editum sit, eiusdem tabulae figuris *KL* figlina hac commentatione tractata suppleantur, praeterea figura *M* speculum Cosanum

*) [Hoc quidem postea effecit Ritschelius; immo etiam gypseum alterum exemplum a Carolo Lenormant paratum accepit, ita ut paullo accuratius totam lancem Caeretanam exhibere potuerit in vacuo spatio tabulae XXXVI. Praeterea cf. Priscae lat. epigr. suppl. IV p. XVI; Ephem. epigr. I p. 9 n. 7 *a* et *b*. C. W.]

sit repraesentatum, de quo Priscae lat. epigr. suppl. I p. XIV addita diligentiore inscriptionis delineatione accuratius disputatum est, totam eam tabulam hic (n. X) iterandam curavi, quam infra scriptis verbis Ritschelius p. 15 sq. enarravit. C.W.]

15 Tabulae XI, quae praeter XXXVI novissima omnium accessit, figuris *G K L* figlina tabulae proximae X, figuris *M N O* aerea tabulae I suppleri volui.

G poculum olim Millingenianum, diu frustra a me quaesitum, tandem in museo Campanae indagavit Brunnii sollertia: cuius manu delineatum exemplum imitati sumus. Vnde nunc demum certo discitur non, quod diu creditum est, BEꞀONΛI deae nomen, sed reapse BEꞀOꞀΛI, de quo dubitabatur, scriptum esse. [Vide C. I. L. I n. 44.]

K inscriptionem vasis fictilis petii e Garruccii 'Graffiti de Pompéi' p. 25: qui, quale esset vel ubi repertum vasculum vel a quo possessum, noluit nos certiores fieri. [Vide C. I. L. I n. 1499; Ephem. epigr. I p. 11 n. 15.]

L deprompsi ex Aemili Braunii in Monum. et Annal. Inst. Rom. a. 1855 p. 52 disputatione, ubi tamen qua fide figuras litterarum expresserit, incertum. In museo Campanae etiam nunc servari intellegitur ex huius Catalogis Romae a. 1859 vulgatis, ubi haec leguntur class. IV, 9 p. 42: 'Busto virile di alabastro della grandezza del vero, esprimente il ritratto di personaggio etrusco, *Damio*, il cui nome apparisce sul pieduccio del busto.' Inter fictilia quod recepi (quando alius locus nullus relictus erat), satis veniae in his esse Braunii verbis inventum putavi: 'questo stesso nome si trova ripetuto sopra un gran piatto di terra ritrovato con altre stoviglie nella medesima tomba.' Ceterum *Damios* nomen haud scio an aliquam affinitatem cum ea stirpe habeat, unde *damium Damia* nomina manarunt e Festo memorata Paulo p. 68, 8. 9. [Vide C. I. L. I n. 1494.]*)

---

*) [*K* et *L* iterata vide P. L. M. E. Suppl. tab. XCVII *N O*, in quorum enarratione (p. 90 sq.) haec scripsit Ritschelius: '*N* inscriptionem, quam in tabula XI sub *L* non potui nisi e Braunii commentariis petere, Brunnius nuper in museo Campanae indagatam de archetypo mihi deformavit. Leviter incisae litterae sunt in patella fictili nigra. Idem DAMIO nomen in imagine alabastrite facta iteratum

Speculorum, quorum delineata exempla omnium uni 16
Brunnio debeo, illud quod *M* signavi, Cosae (cui nunc 'Orbetello' nomen) repertum, Henzenus breviter enarravit in 'Bullettino' Rom. a. 1858 p. 104 adnotatione ad R. De-Witti commentariolum, in quo mirum est non speculum, sed pateram dici. Ceterum PROSEPNΛI incisum sit an casu PROSEPNΛ nomini extremo lineola adhaerescat similis litterae, ambiguum. — In Monumentis Instituti arch. Rom. a. 1859 in tabula XXIV vol. VI cum hoc speculum tum proximum editum iri perspexi ex Actis acad. Berol. eiusdem anni p. 513: nunc perspicio etiam ex Annalium t. XXX p. 383. [Cf. C. I. L. I n 57.]

N in museo Campanae a Brunnio investigatum, nuper commemoratum a me Mus. Rhen. XIV p. 382, quam perobscuram RIT inscriptionem offert, nemodum satis probabiliter explicavit. Quod contra de CVDIDO nominis scriptura ad ipsam veritatem accessisse Garruccium arbitror in 'Bullettino' Rom. a. 1859 p. 98 Dionysiani erroris admonentem Antiq. Rom. I cap. 68, qui versatur in PENATES et DENATES nominum permutatione. Quam enim prope in cursiva potissimum scriptura a D litterae similitudine P absit, cum aliunde constat tum ipsius CVPIDO vocis exemplo perspici potest e tab. XVII, 29. [Cf. C. I. L. I n. 58.]

O Praeneste nisi coniectura fallit oriundum quas figuras habet, eas sperare licet fore ut propediem eiusdem Instituti illius vel Annales vel Monumenta ante oculos proponant.*) Mecum solas inscriptiones communicatas esse doleo**): quarum tertia dubium non est quin Βελλεροφόντην aequet. Quod nomen cum rationi convenienter *Bellerophonta* fiat

teste Braunio Brunnius suspicatur a manu novicia esse. — *O* Vulcis ab eodem reperta inscriptio, quae impressa est ansae eius gutti cuius figuram sub *o* dedi. Eiusdem nominis nota insignitum vasculum simillimum Musei Kircheriani Garruccio praesto fuit, cuius exemplum tabula nostra XI sub *K* exhibebat.' C. W.]

*) [Cf. Suppl. Enarr. p. 102: '*O* speculum publicatum nunc in Monum. inst. arch. Rom. t. VI tab. XXIX enarravit I. Roulez Annal. t. XXXI (a. 1859) p. 135 sqq.' C. W.]

**) [Itaque Suppl. Enarr. p. 102 huius quoque speculi imaginem oculis subiectum esse voluit Ritschelius. C. W.]

Livius XL, 52 et XLI, 28 memoriae prodidit: atque adeo ab eodem Livio VI, 29 commemoratum T. Quinctii Cincinnati, dictatoris a. 374, de triumpho Praenestino monumentum ad idem genus non sine specie ut putamus probabilitatis post Niebuhrium referebamus.

Ex his titulis quin et Sempronianus et Aemilianus Saturnios versus prae se ferrent, nec fere dubitatum est a quoquam nec facile potuit dubitari: quando et ipsius Aemiliani principium pro exemplo metri Saturnii Atilius Fortunatianus p. 2680 P. posuit et de more 'duces Romanos uictoriae suae titulos Saturniis uersibus prosecutos esse in tabulis quas in Capitolio figerent', idem aperto testimonio declaravit. Et
4 tamen versus esse quos perscribit nullo Livius ipse verbo significat. Quae res non potuit non suspitionem movere, etiam alibi numeros subesse, ubi indicium metri nullum Livius in veterum monumentorum verbis afferendis faceret. Nec spem fallere eventus: immo plura indies Saturniorum exempla diligentius quam calidius circumspicienti offerri. Eo igitur spectabat quod anno CIↃIↃCCCLIII 'feracem numerorum quantumvis rudium' T. Livium dicebam in Anthologiae latinae corollario epigraphico p. III [supra p. 238].

Mox animum advertebat in horum exemplorum parte frequentatum carmen vocabulum. De quo vocabulo etsi non sane ignorabam longo ex tempore sic statui communi omnium sententia, illi ut non poematis tantum, sed etiam 'formulae' cuiuslibet conceptis verbis compositae, numeris autem non astrictae notionem tribuisse veteres crederentur, tamen operae pretium facturus videbar, si quae caussae essent inveteratae opinionis quaererem accuratius. Intellectum est et certis argumentis et idoneis rationibus destitutam esse: exemplorum omnium vix ullum ita comparatum, ut metri cogitationem necessario excluderet: plurima ad numerorum notionem aut speciem vel suapte natura accedere vel artis probabilitate accommodari: quaedam ne admittere quidem prosae orationis informationem. Quod non latuisset puto, si in Saturniorum potius domesticam asperitatem quam in graecanicae artis elegantiam latinitatis doctores nostri mentem intendissent, Saturniorum autem eas leges perspectas habuis-

sent, quibus non perspectis non potuerunt sane '*carmina*' pleraque non esse pedestri oratione facta videri. Quo nisi fallimur illud accedebat quod nimis diu nimii esse consueverunt in poesi omni a latina gente cognatisque priscae Italiae incolis abiudicanda: quos quidem persuasum habemus naturali iuvenilium populorum impulsu ipsiusque antiquitatis communi instinctu, simul atque supra cottidianae consuetudinis ieiunitatem animi affectus sive pavendo lugendo exsecrando sive sperando precando gratulando sive hortando obstringendo sanciendo aliquantum assurgeret, ad numerorum modos vulgarem sermonem evexisse. Hac igitur et experiundi et ratiocinandi via haud paullum fiduciae nacti postquam non exiguam Saturniorum messem cum e Livianis libris tum ex aliorum scriptorum '*carmina*' memorantium ac prodentium, Macrobii potissimum, testimoniis fecimus, facili opera etiam M. Porcii Catonis librum, '*qui inscriptus est carmen de moribus*' teste Gellio XI, 2, ad idem genus pertinere intelleximus. Quid enim miri, si Saturniis versibus, quorum usum satis constat ultra Catonis tempora viguisse, magis quam perosorum sibi Graeculorum artificio laudator ille temporis acti delectabatur? Qua tamen probabilitate longe longeque gravior certae vis demonstrationis visa est, quam ex ipsius legibus grammaticae petitam nullis, si modo sapimus, umquam argutiis infringes. Nam ut unam 'formulam' metro non astrictam *carmen* esse dictum aliquantisper largiamur potius quam concedamus, tamen qui talium carminum h. e. sententiarum vel praeceptorum singularium multitudinem in unum corpus vinctam item *carmen*, non *carmina*, inscriptam esse animo nostro informemus, sanam rationem non magis comminiscimur, quam qui, ut exemplis utamur, Publilii Syri Sententia vel Γνώμη Phocylidis vel Plutarchi Ἀπόφθεγμα inscribi potuerint. Itaque ubi de poemate M. Catonis eoque Saturniis versibus condito sententiam nostram non labefactari codicum mss. testimoniis cognovimus, quae rogatus a nobis Martinus Hertzius liberaliter ut solet mense Octobre anni CIƆIƆCCCLII ad nos transmittebat, non dubitavimus eiusdem anni mense Decembre, cum in epitaphium M. Atilii Calatini disputatio incidisset, haec scribere Musei philol. IX p. 7 [supra p. 220]:

'über das Metrum dieser Worte hat sich niemand geäussert; und doch ist, dass sie metrisch sind, schon durch Ciceros Zusatz im Cato m. [17, 61] bewiesen: *notum est carmen incisum in sepulcro*, freilich gegen die gewöhnliche, aber falsche Meinung, dass *carmen* auch von unmetrischen Formeln gesagt werde.' Quae cum scripsimus, non sumus M. Tullii
6 Ciceronis obliti, quem constat *carminis* vocabulum in leges XII tabularum accommodasse libro II de legibus c. 23 § 59: 'Iam cetera in XII minuendi sumptus sunt lamentationisque funebris, translata de Solonis fere legibus. *hoc plus* inquit *ne facito: rogum ascia ne polito.* nostis quae sequuntur: discebamus enim pueri XII ut carmen necessarium, quas iam nemo discit.' De his enim verbis etsi in diversas partes cum discedi potest tum discessum est, tamen arti conveniens interpretatio vix aliud patitur nisi ut reapse leges XII tabularum illae aliquando fuisse in metri formam redactae credantur. Quae res quam et a similium comparatione commendationem et demonstrandi multiplicem cautionem haberet, meminerunt puto, qui publicis scholis nostris interfuerunt, aliquot exemplis ita nos persecutos esse, ut genus numerorum ne hic quidem aliud atque Saturnium fuisse ostenderemus. Velut ipsum illud Ciceronis exemplum ad eam normam leni unius voculae transpositione sic accedit:

Hoc plús ne fácito: né rogum – ásciá políto:

nisi ne ásci-á rogúm políto males. Quamquam etiam rógum ne – ásciá políto habet qui defendatur. Nam omni supersedere transpositione ita tantum poteris, ut resecto pronomine, quod tamen ipsi Ciceroni tribuere vix ausim, scriptum fuisse in XII Plus né facitó: rogum ásci-á né políto existimes.

Haec autem quas breviter significavi meditationes nescio quo usque in scriniis nostris latitaturae fuerint, nisi huius ipsius anni decursu triplex admonitio, ut illarum recordatio redintegraretur, effecisset. Nam carmen de moribus illud Catonis primum quidem E. Kaercherus exstitit qui non soluta, sed vincta oratione scriptum esse pronuntiaret Philologi vol. VIII p. 727 sqq., recte ille *carmen* posse multitudinem sententiarum dici negans, trochaicos autem tetrametros,

eosque ex parte parum bonos, e Gellianis libri Catoniani testimoniis tanta licentia effingens quantam prorsus damnet artis severitas. Id non fugit magnae virum auctoritatis Augustum Boeckhium, de eodem argumento nuper disputantem in Actis academiae regiae Berolinensis mensis Maii. Vbi 7
quantivis acuminis novum documentum vir laudibus nostris maior ediderit, tamen nec rei summam, septenariis Catonem praecepisse de moribus, persuasit nec singula ita administravit ut non in conformandis et versibus et sententiis et constructionibus aliquotiens vel simplicitatem vel adeo rationem desideres. Nec illud non miramur paullulum cur, qui vel addendis vel mutandis syllabis vocibusve tantum sibi sumpsit quantum, qui librariorum in eo genere socordiam usu cognovimus, concessum esse putamus omnes, tamen unum illud genus emendationis, quod et leni et modica vicinarum vocularum transpositione continetur, ita dedita opera defugerit, quasi in hanc partem eidem illi numquam peccarint. Tertius insecutus est Alfredus Fleckeisenus noster editis mense Septembre et eleganter ut solet adornatis 'Catonianae poesis reliquiis' Francofurti ad Moenum. Quas ille aliquot fragmentorum accessione auctas (quae maximam partem iam Otto Iahnius tetigerat in Actis societatis Saxonicae a. 1850 p. 263 sqq.) cum novo subtilique invento versibus Sotadeis describere instituit, mutatione quidem subinde probabiliore quam Boeckhius rem expedivit, sed tamen ut nec in singulis desint quae displiceant (velut parum vel eleganter vel usitate in exitu versus conlocatae *si seu* particulae, in principio v. 21 *est*), nec id ipsum, quod est gravissimum, a nobis quidem impetrarit, ut et Sotadeos et tales Sotadeos a M. esse Catone factos cum aliqua nobis confidentia persuadeamus. Verum hoc, cuicuimodi est, in praesenti non insistam, sed Saturniorum potius meorum exemplum proponam, quo cum Boeckhii Fleckeisenique exemplis sine studio et invidia comparato unicuique liberum iudicium esto, penes quem et mutandi modestiam et versuum concinnitatem maiorem agnoscat. Concinnitatem autem eam potissimum dico, quae in versuum sententiarumque ambitu apte opportuneque exaequando cernitur. Itaque Fleckeisenianum ordinem sententiarum ita fere

sequar, ut a novissimis incipiam, in primores easque gravis-
8 simas desinam. Num quae forte aliae praeter eas quas Fleckeiseni diligentia composuit apud scriptores exstarent, quaerere non potui, ut cui schediasma hoc omne, cui nunc fere paginas tantum librorum a me commemoratorum adieci, in thermis Carolinis conscribillandum fuerit, quo suam mihi commentationem amicus suavissimus tramiserat.

1.

Ergo M. Porcii in M. Aurelii Caesaris ad Frontonem epistula p. 54 ed. Rom. haec verba (XI Fleck.):

⏑ –́ ⏑ –́ dum se íntem-pésta nóx praecípitat

vel sic ut signavi in Saturnium intrant longe commodissime vel si forte *de caelo* poeta adiecerat de Fleckeiseni coniectura, hoc modo:

[De caélo] dúm se íntem-pésta nóx praecípitat.

2.

Ipsa verba Catonis si Plinius servavit Nat. hist. VII 171 Sill.: 'quippe cum censorius Cato ad filium de ualidi-quoque obseruationem ut ex oraculo aliquo prodiderit *senilem iuuentam praematurae mortis esse signum*', integer in promptu versus hic est (X):

Seníli' iuuénta praéma-túrae mórtis sígnumst.

3.

Non minus integer ille est apud Diomedem I p. 358 (IX):

Lepús múltum sómni ei – ádfert quí edit íllum,

transpositis cum Fleckeiseno extremis *illum edit* vocibus, inserto *ei* pronomine, quo etsi ad numeros nihil opus est, tamen aegre caremus ad consuetudinem sermonis.

4.

'Paene divinum praeceptum' illud Catonis, quo Iulius Victor artis rhetoricae c. 1 p. 197 Or. utitur, veri similius est per utrumque hemistichium sic pertinuisse (VII):

9 ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ rém te-né, uérba sequéntur,

quam dimidium versum explesse geminato dactylo incitatiorem:

⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ rém tene, uérba sequéntur.

5.

Agricola vel fortasse colonus qui esset, sic nisi fallimur Cato definivit (VIII):

Vir bónus est, Márce fíli, a-rándí perítus,
Cuius férraménta spléndent ⊥ ⏑ ⊥ ⏑ ⊥ ⏑

nisi quidem *colendi* verbum, quod proditum est a Servio in Verg. Georg. I, 46, intellegi autem sine substantivo nequit, addita Fleckeiseno duce *agri* notione males hoc exemplo servare:

Vir bónus est, Márce fíli, – cólere agrúm perítus.

Quod equidem praeferre non dubitarem profecto, si *peritus* adiectivi cum infinitivo constructi exemplum antiquitas Catoniana suppeditaret.

6.

Huic cognata atque adeo haud dubie vicina in Catonis carmine fuit oratoris definitio, qualem praeter Quinctilianum Inst. orat. XII, 1 init. et Plinium Epist. IV, 7, 5 M. Seneca Controvers. lib. I praefat. p. 66 ed. Amstelod. a. CIↃIↃCLXXII commemorat. Videtur enim Catonis haec ratiocinatio fuisse, ut primarium esse in omni vitae condicione et civitatis bene constitutae caput *virum bonum esse* pronuntiaret eamque sententiam variis exemplis exsequeretur. Huc igitur apprime talis versiculus conveniebat (VI):

Vir bónus est, Márce fíli, – dícendí perítus,

sive in fine superioris versus orátor praecedebat sive aliquanto prius. Quod vocabulum etsi eodem versu facile sic comprehendas:

Orátor, Márce fíli, – uír bonúst dicéndi
Perítus

tamen illud plus gratiae et concinnitatis commendationem maiorem habere ipsius fragmenti 5 comparatio docet.

7.

Sequitur ut Nonii p. 143 testimonium disceptemus, e Catonis 'praeceptis ad filium' haec verba proferentis: '*illi imperator tu ille ceteris mediastrinum.*' Quae qui Boeckhium probabiliter rettulisse ad magnificam de Iovis optimi maximi

potentia humilique mortalium condicione sententiam crediderit, nullo labore Saturnios illo ipso duce hos constituat:

∪ ´ ∪ ´ ∪ ´ ∪ ´ ille ínperátor:
Tu illí céterís[que – dís] médiastrínus.

Mihi fateor longe et simpliciorem et tenuiorem Catonis sententiam videri, non e recessu aliquo philosophiae haustam, sed ad vitae privatae rationes necessitatesque spectantem. Dissuadebat enim ille, si quid video, nimiam in servos indulgentiam vel cum servis familiaritatem vel aliquid simile, ut quo facile eveniret ut obnoxius servo dominus oboediret potius quam obtemperanti imperaret. Vt enim *imperat* familiae dominus proprio vocabuli usu, et domini *imperium* est in servos, ita idem *imperator* dictus est sine ulla publicae dignitatis cogitatione. Velut cum apud Plautum Curculionis I, 2, 20 his verbis *redi, respice ad me* inclamanti Phaedromo anus respondet *imperator quis est?* Vel cum in Menaechmis v. 444 haec sunt Messenionis verba: *Sed ego inscitus sum qui ero me postulem moderarier: Dicto me emit audientem, haud imperatorem sibi.* Vel Tyndari in Captivis II, 2, 57 haec: *Qui imperare insueram, nunc alterius imperio obsequor. Et quidem si proinde ut ipse fui imperator familiae, Habeam dominum, non uerear ne iniuste aut grauiter mi imperet.* Hinc igitur consequens esse volumus, ut in hanc fere speciem Cato filio praeceperit (V):

Ille ínperátor, tú illi – cérte eris médiastrínus.

8.

11 Non magis Saturnius numerus latet in illis apud L. Senecam Epist. XV, 2 (vulgo 94) § 28 praeceptis:

Emás nón quod ópus est, – séd quód necésse est:
Quod nón ópus est, ásse – cárum est ´ ∪ ´ ∪

Quamquam cum ipsius vim sententiae expendentem non posset fugere aliquid a Seneca praetermissum esse, quo necessariarum rerum emptio probaretur, eadem ratiocinatione qua postea vidimus Boeckhium usum, ad duorum Saturniorum eorumque aliquanto venustiorum hanc instaurationem ducebamur longe et simplicissimam et planissimam (IV):

Emás nón quod ópus est, – séd quod ést necésse.
[Hoc sémper uílest:] quód non – ópus est, ásse cárumst.

Idem Catonis praeceptum Plutarchum commemorare in illius vita cap. 4 extr. iam ab Iahnio adnotatum est: ὅλωϲ δὲ μηδὲν εὔωνον εἶναι τῶν περιττῶν, ἀλλ' οὗ τιϲ οὐ δεῖται, κἂν ἀϲϲαρίου πιπράϲκηται, πολλοῦ νομίζειν.

9.

Ad Gelliana fragmenta pervenimus, quorum illud quod est ambitu maximum ad eiusdem metri leges minima mutatione revocatur (III):

⏑ – ⏑ – nam uíta hu–mána própe uti férrumst.
Ferrúm sí exérce–ás, contéritur úsu:
Si nón exérceás, ta–mén robígo intérimit.
Item hómines éxercéndo – cónterí uidémus:
Si níl exérceás, in–értia ác torpédo
Plus détriméntí fa–cít quam éxercítio.

Vbi ut inter *ur si* syllabas intercidisse *usu* vocabulum credatur, ipsa vis oppositionis requirere videtur. Pro *interficit* substitutum *interimit* si cui displicuerit, illud servare ascita e vetére latinitate *tam* forma poterit:

Si nón exérceás, tam in–térficít robígo.

conteri uidemus pro *uidemus conteri* etiam Fleckeiseno trans- 12

10 Fórmidát omnés: quod métuit, íd sequi sátiust.

Schicklicher für ein Orakelloos mag leicht *Formidas* und *metuis* erscheinen. Aber mit einem *metuis* würde man metrisch-prosodisch erst gar nicht fertig, man müsste denn noch einen Schritt weiter gehen und ein ursprüngliches *metuisti* vermuthen.

11 Crédis quód deicúnt: non *scín te* ita ré fore stúltu*m*?

SCINTE aus einem undeutlichen SVNT zu machen, wird ja 412 wohl niemand zu gewagt finden. Ueber die Schreibung STVLTV sage ich später noch ein Wort [p. 424].

12. Mit welcher fehlenden Sylbe der Ausfall in Vers und Sinn zu decken sei, konnte nicht zweifelhaft sein:

Hóstis íncertús de cérto *fít*, nisi cáveas.

Vermuthlich schloss die erste Zeile des Täfelchens mit CERTO: vgl. n. 14. 15. 17; sonst könnte man *fit* auch nach *incertus* einsetzen.

*) [Vgl. Opusc. II p. 639 Anm. C. W.]

13 Pérmultís prosúm: ubei prófui, grátia némo.
Hier, hoffe ich, werden Sie helfen. Den besten Sinn gibt ja der Gedanke: 'Vielen helfe ich; wenn ich aber geholfen habe, weiss mirs keiner Dank' oder 'habe ich keinen Dank davon.' Dieses wäre *gratia nulla*; jenes *gratiam nemo habet*. Um für letzteres ein *gratiā nemo* (*est*) für möglich zu halten, müssten wir unser Wissen von dem, was lateinisch und nicht-lateinisch ist, geradezu auf den Kopf stellen (denn der prosodisch-metrische Anstoss des Ablativs erledigte sich durch das p. 407 [oben p. 415] Bemerkte): dagegen wir es nur zu erweitern hätten durch die freilich etwas haarsträubende Annahme, dass ein adjectivisches *nemo* im plebejen Latein nicht nur für *nullus* (was später wiederkehrt), sondern sogar für *nulla* gesagt worden sei. Jemand dachte an *profuit* und diese Verbindung: 'Vielen bringe ich Nutzen, während (mir) niemand durch Dank Nutzen gebracht hat.' Aber abgesehen davon, dass *mihi* nicht dasteht und *ubi* nicht 'während' in diesem Sinne bedeutet, wäre es doch auch eine zu starke Zumuthung, glauben zu sollen dass niemals jemand der Fortuna für eine eingetroffene Weissagung seinen Dank durch ein Weihgeschenk bezeugt habe; ein anderes wäre es noch, wenn es *prodest* hiesse d. i. 'gewöhnlich, in der Regel.' Kurz, die 13 ist und bleibt eine Unglücksnummer.*) — Die Synizese in *profui* übrigens verlangt wohl niemand besonders bewiesen.

14. Offenbar lückenhaft da, wo auch unübersetzbar, am Ende der ersten Zeile bei SEISVM, wo das Original unleserlich gewesen sein, ursprünglich aber so gelautet haben wird:

Póstquam céciderúnt *spes ómnes*, cónsulis tún me ?

413 Ob Herr Stoll, der diesem Supplement p. 311 gar nicht recht traut, etwas Besseres bringen werde, müssen wir abwarten.

15. Hier war offenbar der Anfang der ersten Zeile abgescheuert. Viel Wahl ist kaum gegeben, das Einfachste ohne Zweifel *Fallaces* — oder

Méndacés hominés multí sunt: crédere nóli.

*) [Opusc. II p. 640 Anm. nimmt Ritschl Büchelers (Fleckeisens Jahrb. Bd. 87 [1863] p. 774) 'schöne Verbesserung': 'Pérmultís prosúm ubei prófui, grátia *noénu*' an. C. W.]

16 De íncertó certá ne fíant, sí sapis, cáveas.
SAPIO klärlich nur verschrieben oder verlesen.

17. Lückenhaft an beiden Zeilenenden, zu recht einleuchtendem Beweis eines unvollständigen oder verletzten Originals. Für ganz annehmlich halte ich diese Ergänzung:

Ést via fértil*iór*: qua *véstigás*, sequi nón *est.*

quae statt *qua* ist möglich, aber nicht nöthig. (Ein Freund, der eben bei mir eintritt, fragt, ob man nicht VI festhalten und *vis sequi* verbinden könne? Auch möglich. Also z. B. 'qua *vís sequi*, *cón*sequī nón *est*', oder, damit die erste Zeile nicht zu lang, auch der Wortbruch vermieden wird, 'qua vis sequi, non *adipisces*.')

So ist uns nur noch n. 1 übrig, über die allerdings das Urtheil am misslichsten ist, aber doch aller vernünftigen Methode gemäss sich richten und gestalten muss nach demjenigen, was als probabel bereits festgestellt worden. Besteht dieses Probable darin, dass in sechzehn Stücken einer monumentalen Gattung, von der überhaupt nur siebzehn Proben auf uns gekommen sind, die metrische Form der daktylische Hexameter ist, so muss dasselbe Präjudiz für das siebzehnte Stück gelten, so lange der Begriff der Analogie noch eine Bedeutung für uns hat und nicht etwa bestimmte individuelle Gründe der Unmöglichkeit dagegen Einspruch thun. Und dieses um so mehr, wenn das fragliche Stück mit andern, einleuchtender Massen hexametrischen Stücken sogar zusammen gefunden ist, wie es hier der Fall ist nach der schon mitgetheilten Angabe des Suarez. Ganz ins Blaue hineingefahren wäre es dagegen, darum weil an sich für lateinische Orakelsprüche auch eine andere Versform möglich wäre und, wie zuzugeben, irgend einmal factisch war, nun ohne 414
weiteres auf diese loszusteuern und für die Beurtheilung eines einzigen Falles den Anhaltpunkt des verwandten Kreises leichthin aufzugeben. Solche Erwägungen waren es, die mich eben schon de tit. Mumm. [p. XV; oben p. 108] bestimmten, auch in *iubeo* einen Hexameteranfang zu sehen und Auflösung der Arsis anzunehmen. Darin liegt auch, nach dem was oben erörtert worden, gar kein Wagestück; ein solches tritt erst durch die nothgedrungene weitere Annahme hinzu,

dass für ein ursprüngliches FAXIT unwillkürlich sei das sinngleiche FECERIT substituirt worden von dem der sich um Metrum nicht kümmerte oder es nicht verstand. Im übrigen halte ich meinen frühern Vorschlag 'Iúbeo *ex-spéctet*: sí *faxít*, gaudébit sémper' jetzt darum nicht fest, weil er auf der Combination dreier verschiedener Lesarten beruhte, deren Werth gegen einander abzuschätzen damals die Mittel fehlten. Jetzt haben wir natürlich die Publication des Suarez, ist sie gleich in Kupfer gestochen, und die Abschrift des Vaticanus gleichmässig zu ignoriren, und uns lediglich an das in Florenz erhaltene Original zu halten. Was in dessen doch offenbar corrupten Zügen ET · IS · EI · SI stecke, werde ich mich sehr freuen durch Ihren Scharfsinn enträthselt zu sehen. Vergeblich habe ich in ETISEI einen passenden Infinitiv gesucht. Nahe genug würde ET · IVSSEI kommen, wenn nur *iubeo et iussi* einen eben so guten Sinn gäbe wie er in dem umgekehrten *iussi et iubeo* allerdings liegen würde. Nichts vermissen lässt der Gedanke in

Iúbeo *ut* i*ú*ssei: sí *faxít*, gaudébit sémper:

aber freilich entfernen wir uns damit wieder um eine Linie weiter von der Grundlage des Ueberlieferten.*)

Im Vorstehenden haben Sie *meine* Gedanken über die Sortes; vergleichen Sie sie nun mit den Stollschen, und wählen dann nach Ihrem Geschmack. Dieser Bearbeiter bemüht sich nämlich zuvörderst p. 311 ff. mit der sehr umständlichen Nachweisung, in der ich weder neue Thatsachen noch neue Urtheile finde, dass vor Ennius dergleichen *vaticinia* und *sortes* hätten müssen Saturnisches Mass haben; dass dieses auch nicht gleich mit Ennius aufhörte, sondern in allerhand Anwendungen noch in das siebente Jahrhundert hineinreichte; dass folglich auch nachennianische Sortes, so überwiegend
415 ihnen auch der Gebrauch des Hexameter gewesen sein möge, doch nicht nothwendig *mussten* dieses Metrum haben, sondern noch als Saturnier gebaut sein *konnten*: lauter Dinge die keines Beweises bedurften. Um nun ferner diese Sätze

*) [Enarr. a. a. O. wird die Wahl freigelassen zwischen diesem und dem Mommsenschen Vorschlag: 'Iúbeo *oetí*: sei *síc* fecerit, gaudébit sémper.' C. W.]

zu fruchtbarer Anwendung zu bringen, stellt er n. 1, deren Beurtheilung die unsicherste von allen ist, als massgebend an die Spitze, geht von der schlechten Lesart Muratori's aus, der nur aus Suarez schöpfte, und stellt demgemäss diesen Mustervers auf:

Iubeo eí et ís si féce|rít gaudébit sémper,

ohne dessen Sinn und Sprache einer weitern Bemerkung bedürftig zu finden. Nach diesem Vorbild müssen sich nun auch folgende Verse richten: 'De véro fálsa *cáve* ne | fíant iúdice fálso', wo doch nicht abzusehen, warum nicht ohne das hinzugedichtete *cave* gemessen wurde 'De véro fálsa né fi|ánt iúdice fálso'; ferner 'Laetú' lubens pétito; quód dabi|túr gaudébis sémper', und 'Nunc mé rogitás nunc cónsu|lís témpus abít iam': ohne Rücksicht darauf, dass ein gewisser rhythmischer Fall, wie man ihn hier in auffallendem Grade vermisst, doch selbst die rohen Saturnier kennzeichnet; endlich noch 'Conrígier víx tandém quod | cúrvom est fáctum créde.' Wobei wir nur verwundert fragen, was ihn denn eigentlich abgehalten hat, auch für n. 2 und 4, die er als Hexameter bestehen lässt, dieselbe Saturnische Messung zu adoptiren: 'Non súmus mendácis, quás dix|tí cónsulis stúlte', und 'Qur pétis pos témpus cónsili|úm? quód rogas, nón est.' Denn wem es nicht über das Mass des Wahrscheinlichen hinausgeht, dass in fünf Fällen viermal die Cäsur in die Mitte eines Wortes falle, der wird auch kein grosses Recht haben, an sechs gleichen Beispielen unter sieben Anstoss zu nehmen.

Was ausserdem über die Zeit der einzelnen Sortes mit zum Theil überraschend scharfen Bestimmungen vorgetragen wird, ist von der Art, dass man den Verfasser um seinen harmlosen Glauben an die Möglichkeit und an die Haltbarkeit solcher Bestimmungen fast beneiden möchte. Z. B. wenn er (p. 304) 'quovis pignore contendit', die 'antiquissima omnium' (nämlich der sieben ihm bekannten) sei n. 4: wofür Sie die Gründe bei ihm selbst nachlesen mögen, obwohl Sie es wahrscheinlich nicht thun werden. Oder wenn er p. 308 behauptet, die Schreibung *dixti* in n. 2 weise mit Nothwendigkeit auf nachciceronische Zeit hin, weil Osann bewiesen habe, 416
'Ciceronis tempore scribi non potuisse *dixti* sed *dixtei*'. Hat

er epigraphische Studien seit der Abfassung jenes Aufsatzes fortgesetzt, so ist er unstreitig von solchen Zuversichtlichkeiten längst zurückgekommen. — Was von einigermassen relevanten Altersindicien aus unsern Sortes wirklich beizubringen ist, ist nicht viel und reicht nicht sehr weit. Dass ein nachlässig geformtes G als C erscheint in ROCAS n. 4 (wenn anders auf dem Original wirklich so stand), kömmt natürlich hier so wenig wie in zahlreichen ähnlichen Beispielen, zumal der Bronzeschrift, in Betracht. QVR sowohl als POS ebenda*) kann alt sein, muss es aber auch nicht. Die fehlende Aspiration in PERPVLCER n. 9 beweist gerade in diesem Worte noch weniger als, in solcher Vereinzelung, überhaupt. Ein in die Consonantenverdoppelung einschlagendes Beispiel kömmt durch merkwürdigen Zufall in allen siebzehn Versen nicht vor. Einiges Gewicht für höheres, oder sagen wir lieber nicht zu spätes Alter legt das mehrmalige EI für ī (DEICVNT 11, NOLEI 8) in die Wagschale, ein etwas grösseres allerdings die Bewahrung derselben Schreibart auch in den pyrrhichischen Formen TIBEI VBEI 8. 13. Lassen wir alles zusammenwirken, so mag es uns immerhin geneigt machen, eher an die erste als an die zweite Hälfte des siebenten Jahrhunderts zu denken. Sogar in dessen erste Jahrzehnte würde uns das STVLTV n. 11 führen, wenn erstlich die wirkliche Abwesenheit des M auf dem Original durch die bloss handschriftliche Existenz dieser Inschrift sicher genug verbürgt wäre, und wenn wir es nicht zweitens mit Vulgärlatein zu thun hätten, wo alles Alte noch lange jung blieb,

*) Für *pos* haben schon H. A. Koch im Rh. Museum XI p. 639 f. und O. Ribbeck in Fleckeisens Jahrbüchern Bd. 77 (1858) p. 187 einige Nachträge gegeben. *posquam* hat in Varro's Worten auch der Nonius von Mercier p. 510, 27, wo sich bei Gerlach, vermuthlich weil er es für Druckfehler hielt, keine Spur davon findet. Aus Inschriften möchte noch hervorzuheben sein, nächst dem POS · MVLTAS · INIVRIAS der durch Niebuhrs Petron-Abhandlung berühmt gewordenen Encolpius-Inschrift, das POS · AED*em* CAST*oris* (also auch vor Vocal) bei Orelli 4195. Auffallend ist dieselbe, einem Fälscher doch nicht eben geläufige Form in der von Ihnen für unächt gehaltenen Inschrift I. R. N. 271: POSↄ · DIES · XVIII, obwohl hier allerdings wieder das angehängte Häkchen befremdet.

nachdem es in correcter Sprache längst überwunden war. Selbst das Kriterium des Schriftcharakters, der uns aus den erhaltenen Exemplaren entgegentritt und an sich weit genug 417
zurückweist, muss in diesem Falle der Betrachtung weichen, dass einer so entschieden fabrikmässigen Arbeit der Natur der Sache nach immer eine grössere Roheit anklebt als die Bildung des Zeitalters mit sich bringt. Auf Zufall (wie so vieles früher Zusammengestellte, s. o. p. 306 [364] ff.) wird es ja wohl hinauslaufen, dass GAVDEBIT in n. 1 und MENDACIS in n. 2 den starken Schein einer *i longa* geben, daher ich das oben in dem quellenmässigen Texte auch nicht ausdrücken zu müssen glaubte: dort neben einer zwischen I und I in der Mitte schwankenden Form in EI und SI, hier neben einer fast eben solchen in beiden Sylben von DIXTI. Gesetzt aber auch, ein verlängertes I war hier Absicht, führte uns somit vorwärts bis in die Sullanische Epoche, so folgte daraus noch gar nichts für die eigentliche Entstehungszeit dieser Orakelsprüche, da sie für den praktischen Gebrauch, den man sich kaum ausgedehnt genug denken kann, viele Jahrzehnte hindurch schablonenmässig wiederholt werden konnten und gewiss sind wiederholt worden, ohne dass dadurch die gelegentliche Aufnahme von mittlerweile aufgekommenen neuen Schreibweisen ausgeschlossen wäre. Das Hauptgewicht haben wir immer darauf zu legen, dass der erste Ursprung — ich sage nicht dieser, sondern solcher Verse naturgemässer Weise in nicht zu grossem Abstande von derjenigen Zeit gedacht werden darf, in welcher das neue metrische Princip zuerst in Kampf gegen das alte trat, d. h. von der Zeit des Ennius selbst, noch im sechsten Jahrhundert. Aber freilich konnte sich die aus solcher Uebergangszeit herstammende Mischform in einem Kreise, der von der eigentlichen Litteratur weit ablag, auch dann noch fortsetzen, als in der letztern jener Process längst zum Austrag gekommen war und durch ihn sich reine Bildungen in scharfer Sonderung abgeklärt hatten.

Mehr weiss ich über die Zeit leider nicht zu sagen; wäre es weniger, so würde es mehr sein. Halten wir uns, um die weitesten Grenzen offen zu lassen, an die Gewissheit, dass im

sechsten und siebenten Jahrhundert d. St. eine Art von Vulgärmetrik existirte, die ihr Analogon erst wieder in der Barbarei später Kaiserzeiten findet. Denn in der That ist es dieselbe Vernachlässigung der consonantischen Positionskraft, dieselbe Verkürzung langer und Verlängerung kurzer Vocale, wodurch
418 uns zahlreiche Hexameter junger Inschriften ein so abschreckendes Beispiel wahrer Knüttelverse vor Augen stellen. Nur dass diese Verwilderung eines absterbenden Lebens, die aus Impotenz hervorging, ein sehr untergeordnetes Interesse für uns hat gegenüber dem sehr bestimmten und berechtigten Interesse, das die Beobachtung der Mittelstufen und Uebergänge in der erst zur Höhe aufstrebenden Entwickelungsperiode für das Verständniss dieser Entwickelung selbst gewährt.

Noch eine beiläufige oder nachläufige Bemerkung erlauben Sie mir, ehe ich diesen Brief schliesse. Ueber das Wesen des Saturnischen Verses bin ich, wo ich von ihm zu sprechen hatte, stillschweigend von denselben Grundsätzen ausgegangen, zu denen ich mich seit lange bekenne und die auch Ihnen, wie ich mit Genugthuung sehe, die massgebenden sind. Was dagegen vorgebracht worden, ist mir nicht unbekannt geblieben; es ist mir aber lange nichts vorgekommen, was ich (abgesehen von den eingestreuten Ungezogenheiten) für so thörichtes und trotz aller grossen Worte nichtssagendes Gerede halten müsste. Ich glaube kaum, dass man mir nachsagen kann nicht zugänglich zu sein für neue Belehrung, komme sie von eigenen δεύτεραι φροντίδες oder von fremder Seite; aber gegen meine Theorie des Saturnischen Verses ist mir auch noch nicht der Schatten eines stichhaltigen Einwandes aufgestossen. Der Grund davon wird wohl darin liegen, dass sie nicht auf einem Einfall unter andern Einfällen mehr beruht, sondern auf demjenigen Wege gesucht und gefunden ist, der die Nothwendigkeit von den blossen Möglichkeiten scheiden lehrt. Da die Epigraphik dabei eine Hauptrolle spielt, sind Sie nicht sicher, nicht auch darüber noch eine Epistel erhalten, wenn Musse und Lust zur Fortsetzung dieser 'offenen Sendschreiben' lange genug vorhalten. Zunächst indess sind noch einige andere Materien, die zu baldigster Besprechung aus gleichem Grunde auffordern wie diessmal die Sortes.

In leges Viselliam Antoniam Corneliam observationes epigraphicae.*)

(Accedit tabula lithographa**)).

Antiquitatis monumenta epigraphica exemplis imitari ad III ipsam archetyporum fidem expressis quam non sit inutile vel supervacaneum, novo documento titulus ille esto quo mentio fit legis Viselliae.***) Quem tres quod sciam docti homines adhuc tractarunt, unus Italus, Francogallus alter, tertius nostras. Ac primum in lucem a se protractum Caietanus Marinius in Inscriptionibus villae Albanae anno 1785 Romae editis p. 3 talem posuit:

. . . .
CVR · VIAR
ELEGEVISELLIA DECONL · SEN
CN · CORNELI · Q · MARCI · L · HOSTII
C · ANTONI · C · FVNDANI · C · POPILI
M · VALERI · C · ANTI · Q · CAECILI
OPVS · CONSTAT · N · ⋔⋔ↀ · ⊥ XXII

---

*) [Prooemium Indicis scholarum hibernarum Bonnensium annorum CIↃCCCLX et LXI; in cuius exemplis antiquioribus paginae XIII et XIV eo differunt a recentioribus, quod desunt testimonia ex Iosepho petita (p. XIII) et alia nonnulla. Inscriptum 'In leges Viselliam Antoniam Corneliam observationes epigraphicae. Inest exemplum lithographum lapidis Tolosani' traditum est bibliopolae Berolinensi I. Guttentag. C. W.]

**) [Tabula XIV repraesentata imago lapidis Tolosani olim huic commentationi adiecta erat, postea iterata P. L. M. E. tab. LXXI *A*. C. W.]

***) [Vide nunc C. I. L. I n. 593; VI, 1 n. 1299; P. L. M. E. Enarr. p. 62 sq. C. W.]

de proventu autem haec adnotavit quae subiecimus: 'so
già sedici anni passati che io mi copiai da un rozzo, e tron
peperino, trovato in una vigna del monte Celio, la seguen
inscrizione, che poi passò in potere del Sig. Abate de Chau
grande investigatore delle Antichità, il qual se l' è recata
Francia.' Is quo pertulisset, intellectum est e 'Mémoires
la société royale des antiquaires de France', ubi sic de
dem lapide Alexander Dumége, ignorans is Marinii libru
commentatus est tomi VIII (proditi anno 1829 Parisiis)
261: '. . . inscription découverte à Rome au pied du mo
Coelius, dans la partie qui était appelée *Clivus Scauri*,
qui regarde le Mont-Palatin. Elle est gravée sur une pier
blanche qui a la forme d'un parallélogramme: on y v
sept lignes de charactères romains. Ce monument fut por
à Toulouse par l'abbé *Capmartin de Chaupy*, antiquaire
commandable [auteur de l'ouvrage intitulé *Découverte de*
IV *maison de campagne d'Horace*, 3 vol. in-8, Rome 1767—176
et en 1771 il en fit don à l'Académie des sciences, inscri
tions et belles-lettres de cette ville.' In interpretanda a
tem inscriptione*) quamquam Dumegius parum profecit, imm
a vero saepius aberravit longissime, tamen bene de eade
merere eo voluit quod exemplo lithographo expressam
tabula VI illius voluminis repraesentavit, unde typothet
formis iteratam infra posuimus:

L · V O
CVR · VIAR
E · LEGE · VISELLIA · DE · CONL · SEN
CN · CORNELI · Q · MARCI · P · HOSTIL
C · ANTONI · G · FVNDANI · C · POPIL
M · VALERI · C · ANTI · Q CAECILI
OPVS · CONSTAT · N · W · ↁ ↀ LXXII

*) Iteratam esse aut excerptam hanc interpretationem in Feru
saci 'Bulletin des sciences historiques, antiquités, philologie' anni 183
m. Iul. p. 285 perspicitur ex Haenelii in Richteri Schneiderique Anna
crit. iurispr. Germ. vol. III (a. 1839) p. 467 narratione.

Hoc exemplo praeter Marinianum usus Theodorus Mommsenus, simul autem admonitionibus quibusdam viri clarissimi Adriani Longpérier adiutus, titulum Tolosanum suae 'de lege Visellia' disputationi nuper inseruit quae est in Bekkeri Mutherique Annal. iur. Germ. comm. vol. II (anni 1858) p. 335 sqq.: ubi et L · VA .... litteras in ipso principio versus primi conlocavit et numerorum notas quae sunt in fine tales exhibuit ⊥⊥∞ⅠXXII. Quo longe gravius est quod, cum e *conlegarum* (nam DE · CONL*egarum* SEN*tentia* verissime iam Marinius interpretabatur) novem vel potius decem nominibus in lapide scriptis tria esse eadem observasset atque in mutilo prooemio legis de Thermensibus Pisidis maioribus latae servata: quae sunt C · ANTONIVS · M · F, CN · CORNE*lius* .. *f*, C · FVNDANIVS · C · F: hinc in Tolosano quoque lapide conlegium eorundem decem tribunorum pl. haberi intellexit summa cum probabilitate. Vnde eodem, quo legem illam anno latam constat, h. e. 682 vel 683 factum esse titulum Tolosanum consequitur: in quam quidem aetatem infra apparebit ipsam litteraturae speciem convenire ut quod maxime.

Reliqua Mommseni disputatio in duabus quaestionibus versatur: quarum altera ad *curam viarum* spectat cum tribunicio munere, si fides tali titulo, aliquo vinculo sociatam: altera in eo elaborat ut unam eandemque fuisse memoratam in hoc titulo *legem Viselliam* atque illam Viselliam probetur quae ad libertinorum ingenuorumque condicionem pertinens anno u. c. 777 vulgo tribuitur. Commonuerat huius 'de libertinis' legis Viselliae iam Marinius, nullo tamen is indicio facto utrum ad Imp. Tiberii aetatem Tolosanum titulum re- v ferret an ad liberae rei publicae tempora legem de libertinis. [illegible] autem ipsum amplexus Mommsenus ne posse quidem [illegible] 777 consule Visellio (quem auctorem opinio [illegible] [illegible]ebat) latam appellatamque legem esse [illegible] [illegible] etiam Rudorffio probavit Hist. iuris Rom[illegible] [illegible]onis primae). Sed vel sic tamen cum sit [illegible] [illegible] legibus Viselliis cogitare imperatorum [illegible] [illegible], contra ille longius progressus propter [illegible] [illegible] *Visellius* nominis subsistendum in una sola statu[illegible]

annum 683 lata: quae si ad disciplinam publicam urbis universam spectaverit ('eine allgemeine hauptstädtische Polizeiordnung'), non aegre intellegi qui et de libertinis 'ingenuorum honores et dignitates attemptantibus' et de cura viarum praescribi eadem lege potuerit. Id quantum probabilitatis vel habeat vel non habeat, viderint penes quos est in tali caussa iudicium, iureconsulti: nobis fatemur ita comparatum videri ut, quamquam fieri non potuisse demonstrari nequeat, tamen simplicitatis commendationem vix habeat.

Verum de hoc quocumque modo existimabitur, saltem *viarum* curatorem in lapide Tolosano omnino nullum umquam fuisse satis nos demonstraturos confidimus. Quamvis enim de ea lectione, quae est CVR · VIAR, inter Marinium et Dumegium conveniat, tamen longe aliud ectypa duo chartacea ipsius lapidis docuerunt, quae intercedente eruditissima amica Parisina Hortensia Cornu rogatus a Leone Reniero academiae Tolosanae professor Barry pari diligentiae peritia a se parata misit, eoque et officiosius et prope dixerim ambitiosius parata, quod hunc lapidem nisi fallimur unum solum hodie Francogallia servat saeculo u. c. octavo antiquiorem. Vnde quod exprimendum curavimus in adiecta huic commentariolo tabula exemplum lithographum, planissime ostendit duas de lapide particulas, quae circa annum 1829 superstites fuere, nunc avulsas esse: alteram versus secundi, alteram versuum trium vel potius quattuor ultimorum mediam: contra in illa aliquid exstare a Dumegio non minus neglectum quam a Marinio. Quae enim littera excipit CVR · litteras, eam certo apparet nullo modo V esse, sed aut M, aut quod omnes numeros probabilitatis habet, A: quando nec tam divaricati esse M litterae pedes solent et transversae trabeculae adeo umbra quaedam superesse videtur. Quodsi ab A incipientia vocabula circumspexeris, vix puto aliud quod huc quadret praeter AQVAR reperies: cuius vocis littera altera Q si iam Marinii aetate e fracto ibi lapide extrita erat, fieri facillime potuit ut ille ipsa A incuriose praetermissa proximas VAR litteras, quae quidem intellegi non possent, calidius VIAR interpretaretur. Nec enim sine aliqua incuria examinatum transcriptumque a Marinio

lapidem esse cum primus versus argumento est quem prorsus omisit, tum exitus quarti ubi HOSTII edidit, quod saltem esse HOSTI debuit, fuit haud dubie HOSTIL(I). Singulare sane et insolens videri potest in eundem legendi errorem communi casu Marinium atque Dumegium incidisse: nullam enim hunc illius notitiam habuisse ipsius silentio credendum VI
erit, quamvis mirari liceat versu paenultimo lacerum M·VALERI nomen tam recte eum sine Marinii exemplo expedire potuisse. Verum tamen nec in aliis non erravit Dumegius et fortasse utrumque una caussa fefellit. Quippe graviter ille peccavit P·HOSTIL substituto pro L·HOSTIL: levius, sed peccavit tamen in G·FVNDANI, quem miro commento *Galerium Fundanium* interpretatur: prorsus praeter verum C litteram, cuius inferiorem partem in versu primo superesse acute pervidit, in fine conlocavit, quae duarum tantum litterarum intervallo ab ipso principio L·V distat. Vbi quod L·VA Mommsenus suscepit auctore Longperiero, inspecta tabula nostra nunc intellegitur quidem qui illud videri potuerit ibi exstare, sed etiam certius intellegitur nec A scriptum fuisse post V, nec quod facile quispiam amplectatur, X: neutra enim littera tam angusto spatio accedere ad V potuit, utriusque praeterea pars sinistra nimia obliquitate esset. Hanc igitur ipsam partem sinistram > dubitare noli e fractura potius lapidis repetere quam e quadratarii consilio. Quae restant etsi sat commode dixeris e L·VV relicta esse, tamen quoniam VV litterarum societatem aetas illa aversatur, in fissurarum lacerarumque litterarum strue ista, quam omni fide ac religione lithographus imitatus est, haud scio an tale potius nomen lateat qualia futura sint L·VO*l*C*eius* (vel L·VO*l*C*atius*) . . *f. tr. pl.* Quodsi quis forte e quattuor quae nunc apparent lineis illis VX duas casui et iniuriae temporum tribuat, et primam et tertiam, ita quamquam sat probabilis figura supersit dimidiatae M, quae pertinere velut ad M*u*C*ius* nomen potuerit: tamen tali coniecturae interpunctio obstat, quae inter L et V suum locum medium recte servat, a M littera nimio intervallo distat. Sed ipsum nomen qualecumque fuit, similis profecto ipsius lapidis labes quaedam, I litterae fallacem speciem referens, etiam versu altero

intercedere inter A*q*V et AR potuit: cuius rei plane gemellum exemplum miliarium illud Popilianum offert a Mommseno editum Inscr. regni Neapolitani 6276 [C. I. L. I n. 551], exemplo lithographo a nobis expressum in 'Monumentis epigraphicis tribus' anno 1852 vulgatis, iterum repraesentatum in 'Priscae latinitatis monumentis epigraphicis' tabula LI *B*. Ibi enim etsi versu 9 EIDEM · PRAETOR uterque edidimus, tamen denuo scrupulose examinato ectypo chartaceo inter E et T litteras, paullo maiore praeter solitum intervallo disiunctas, visum est simulacrum I litterae apparere, non id tam certum et apertum ut dubitationem non admittat, sed idem ne tam nihili quidem ut, si PRAEITOR (h. e. *prae-itor*) edidissemus, aliquam culpam mereremus.*) In lapidem igitur Tolosanum num quae forte similis ambiguitas ceciderit, valde dolendum est quod nunc sciri nequit: sed etiam valdius optandum, ut novis curis quam acerrime pervestigentur copiae lapidariae academiae Tolosanae, si quo forte in latibulo avulsa lapidis fragmenta servent. Quae si quando prodierint, etiam de numerorum notis meliora puto docebunt quam quae sibi visus est Dumegius conspicere. Quae cum nihili sint per se, adversarium autem habeant
VII Marinii testimonium, a quo et ↀ et ⊥ sat recte expressa sunt item vitiosa apud Dumegium, dubitare noli quin Marinius etiam ᛦ vere legerit, quae nota ab usitatiore ↆ figura (quae ipsa non defuit Marinio in ea quae praecedit inscriptione repraesentanda) paullulum differt. Vt de N*ummum XXI* (non *XXII*) *milibus LXXII*, quibus opus constiterit, nulla nobis relicta dubitatio sit. Vnde non sane magnum opus fuisse, quod curator aquarum e lege Visellia ille faciendum curavit, aliorum in hoc genere exemplorum comparatio facile persuadet [cf. p. 445].

Quodsi de curatore aquarum, qui liberae temporibus rei publicae fuerit, nihil aliunde constare obieceris: at non plus de illius aetatis curatore viarum constat, cuius item

---

*) [Conferas quae de hac forma exposuit Ritschelius in P. L. M. E. Enarr. p. 46 et 105, et Musei Rhen. t. XXII p. 613 (= Opusc. III p. 726). C. W.]

unum solum monumentum memoriam servavit, pons Fabricius ille insulae Tiberinae in cuius arcubus quater redit L·FABRICIVS · C · F · CVR · VIAR ([C. I. L. I' n. 600;] P. L. M. E. tab. LXXXVII *A C D F*). Nec profecto cum tribunicia potestate difficilius aquarum quam viarum curam sociabis, quando non minus nobis nova haec quam illa est in tribunorum muneribus. De aquis autem ut cogitemus, gravius etiam locus reperti lapidis suadet. Quippe repertum accepimus in monte Caelio, hoc est in ea regione urbis quam constat una cum contiguo Aventino aquarum difficultate ut plurimum laborasse. Nec id mirum, cum uberrimi illi planeque admirandi aquarum ductus Romani ipsi Caelio nulli fere ante Augusti tempora usui fuerint. Nam Appiae quidem rivum non nisi sub Caelio monte et Aventino ductum Frontinus prodidit in praestantissimis de aquis u. R. libris cap. 22 p. 13, 3 editionis Buecheleriae: Anio vetus eundem montem ne attigit quidem: per Caelium autem ductus rivus Marciae 'ipsius montis usibus nihil ut inferior sumministrabat' teste eodem Frontino 19 p. 12, 13: huius ut similis atque Appiae ratio fuerit. Augusto demum imperante rivus quidam aquae Iuliae illuc ductus est: quo Claudiae copiae largiores accessere Neronis beneficio (Front. 76 p. 29, 17). Ex his unam Claudiam superstitem novit Frontinus 87 p. 33, 16: 'quo fiebat ut, quotiens refectio aliqua intervenisset, celeberrimi colles (Caelius et Aventinus) sitirent.' Haec igitur cum ita se habeant, satis esse caussae inventum putamus cur illis ipsis locis opus aquarium imprimis convenire dicamus, sive de rivulo cogitaveris sive de castello lacuve vel arcu sive de puteo vel consimili opere, eoque aut recens facto aut refecto tantum. Quodnam opus fuerit, scriptum fuit nisi fallimur in capite lapidis iam Marinii aetate avulso: non usitato sane ordine, qui initium fieri a nomine magistratus iubebat, sed tamen non destituto exemplis.

In muneribus ordinariis curam aquarum non ante Augusti tempora fuisse satis e Frontini commentariis intellegitur: quo teste c. 98 p. 37, 16 'primus M. Agrippa post aedilitatem, quam gessit consularis, operum suorum et munerum velut perpetuus curator fuit', et re et nomine curatorem

Augustus primum Messallam Corvinum fecit (c. 99 p. 37, 25), quem qui in eo officio exceperint ad semet ipsum idem Frontinus cap. 102 p. 39 accurate persecutus est. Liberae
VIII civitatis temporibus idem cap. 96 p. 36, 28 scribit 'eorum operum probandorum curam fuisse penes censores aliquando et aediles, interdum etiam quaestoribus eam provinciam obvenisse'. Quod etsi vere dixit, tamen omnia minima complecti ne voluit quidem: nam praeter solitum etiam alios magistratus adscisci potuisse vis exemplorum evincit. Et maxima quidem in hoc genere opera vel ceteris maiora nemo nescit a censoribus facta esse. A quibus et Appia ducta est anno 442 (Front. 5 p. 3, 11) et Tepula a. 629 (Front. 8 p. 6, 21), et vero Anionis quoque veteris aqua duci coepta a. 482, sed eadem post biennium, qui annus censores non habuit, consummata a duumviris aquae perducendae ex senati consulto creatis (Front. 6 p. 4, 19). Item anno 610, quo censores non fuere, Marciae ducendae negotium Q. Marcio datum praetori urbano (Front. 7 p. 5, 13). Ergo capite 96 Frontinus, ut et praetores et duoviros illos, ita profecto praeterire etiam tribunos plebi potuit, his si lege Visellia nec perpetua cura aquarum iniuncta erat nec ad nova vel certe maiora opera spectans, sed aut in minoribus subsistens aut in tuendis vel reficiendis tantum sese continens. Quodsi, cur talem curam vel ab aedilitate vel a quaestura seiunxerint, quaesieris, praesertim in tanta quae tum praesto esset quaestorum multitudine: fatendum est id iuxta cum tot aliis nesciri scitu vel non indignis vel dignissimis.

Eiusdem tribunatus communione cum lapide Tolosano coniunctam legem de Thermensibus Pisidis maioribus cum Romae in domo Capranica Martinus Smetius transcripsit, haec verba adposuit quae habes in fol. XVI r. Inscriptionum antiquarum ab Iusto Lipsio a. 1588 editarum: 'alteram tabulam, aut fortassis etiam plures huic olim fuisse annexas facile adparet.' Contra sensit nuper Carolus Goettlingius in eo libro quem 'Funfzehn römische Urkunden' inscriptum

Ad Ritschelii Opusc. IV pag. 435.

CORNE

S·PLEBEM

MEISERVNT· MAGISTRATVS·PR

O·TRIBV

E·VIATOR·LECTVS·ERIT·SIREMPSQVE·EIS

Halis Saxonum anno 1845 vulgavit: ubi e pluribus quam
duabus tabulis integram legem constitisse negavit p. 17 hoc
argumento usus, quod plures non admitterent necessaria sup-
plementa exordii tribus versibus primis comprehensi. Quod
ut quale esset rectius existimaretur, hoc ipsum exordium in
adiecta tabula sub *A* tale repraesentavimus quale revera est
in aere nunc Neapolitano musei Borbonici: haudquaquam
enim in disponendis litteris litterarumque spatiis, unde in hac
caussa iudicium omne pendet, fidem archetypi vel Aldus Ma-
nutius Orthogr. rat. p. 407 sqq. vel Smetius vel hos secuti
Carolus Sigonius de ant. iure prov. I, 10 Fulviusque Vrsinus
Not. ad leg. et S. C. tab. XV cum editoribus pedisequis (ut
Grutero p. 500 sq.) vel testis oculatus Goettlingius servave-
runt. Apparet ex eo exemplo versum primum atque alterum
per tot quot fuerunt tabulas aequabiliter scriptos pertinuisse
ab ipso initio ad earum finem. Habet autem alter versus
litteras septem vel octo et viginti: hoc numero ut aut dupli- IX
cato aut triplicato aut quadruplicato opus sit ad tabularum
aut duarum aut trium aut quattuor mensuram complendam:
quando non aequales inter se, sed varia latitudine fuisse
nemo erit qui sibi persuadeat. Iam vero quae media fuerint
inter alterius versus vocem extremam PLEBEM et initio
tertii posita PREIMVS · SCIVIT verba quibus praescriptio
legis terminabatur, certissimo indicio constans in hoc genere
usus est et legitima consuetudo. Fac unum fuisse qui roga-
ret legem C. Fundanium: ita dubitari non patitur propria
plebiscitorum formula, quin insecuta haec sint: C · FVNDA-
NIVS · C · F · TR · PL · DE · S · S · PLEBEM · *Ioure rogauit
plebesque ioure sciuit. tribus * * principium fuit. pro tribu*
* * * * PREIMVS · SCIVIT. Exemplo sunto vel *Sergia* tri-
bus et qui pro ea primus sciverit aliquis *Q. Fabius Q. f.*, vel
si paullo longiora nomina quaeres, cum *Cornelia* sociatus
velut *Sex. Quinctilius Sex. f.*: litteras nunc deperditas vel
LXXIV habebis vel LXXXV. Inter quos numeros quoniam
ferme medius est ipse octogenarius, ter autem viginti septem
summam aequant unius et octoginta, consequens est ut in-
tegrae legis non pauciores fuerint quam quattuor tabulae.
Neve quis de notis cogitet quarum usu quaedam vocabula

breviari potuerint: reputandum est nec talia inesse quae vel in hac lege vel in monumentis similibus notas facile recipiant (praeter illa quidem TR · PL · et DE · S · S, quae sunt diversissima), ac ne sic quidem ullo artificio effici ut ad trium tabularum angustias totius ambitum plebisciti revoces, sed, cum plurimum, ad trium et dimidiae, qui ipse numerus expers est rationis. Quodsi habitorum comitiorum locum atque diem potuisse adici ratiocinere, quid inde consectarium? Aut ipsum quaternarium numerum tabularum complebis, sed non nisi certis admissis litteris singularibus, aut augebis ad quinarium, aut rursus ad dimidiatam tabulam relabere quattuor integris additam: de tribus, quas periisse necesse sit, nihil detraxeris.

Litteris autem versus alterius septem vel octo et viginti illis cum in primo versu grandiusculae duodeviginti respondeant, has necesse est salva proportione circiter quinquaginta quattuor excepisse in tribus tabulis deperditis. Ea igitur mensura ubi commendatum a Goettlingio supplementum metiare quod est tale: C · ANTONIVS · M · F · C · N · CORNE*lia cos. ad senatum retulit*, continuo quam haec non sufficiant perspicies. Itaque Goettlingio ut parumper succurramus, forsitan ille ad consulis in senatu relationem loci et temporis mentionem adsciscat e talibus exemplis qualia in senati consultis de Bacchanalibus deque Tiburtibus exstant. Et de senati quidem sententia hanc in qua versamur legem rogatam esse ipso sane versu altero docemur: ubi satis inepte olim tribunos *designatos* interpretabantur DE S S litteras. Talibus autem legibus num praeter rogatorum nomina, a quibus ipsae appellari solitae, etiam eorum nomina praescripta sint, qui de ea de qua agitur re senatum consuluerant huiusque auctoritate agere cum tribunis pl. iussi erant, quoniam
x in neutram partem exempla ulla praesto sunt, non minus ignoratur quam num tum quoque, ut in veris liberisque senati consultis quae ad populum omnino non ferrentur, habiti senatus tempus locusque adscripta sint: quod qui sibi persuaserit, non poterit saltem quin multo maiore iure atque adeo necessitate comitiorum tempus locumque requirat. Verum in illa tamen ignoratione ut largiamur factum esse quod

non modo argumento firmari, sed ne ratione quidem vel iuberi vel commendari intellegamus: largiamur Sullanis potissimum temporibus factum, quibus fracta tribunicia potestate senatoria auctoritas reviruerat: at duo sunt quae non ignoremus, Goettlingianae coniecturae adversaria ut quod maxime. Primum enim additae tribus, cui vel legem rogans vel consulens senatum magistratus adscriptus fuerit, exemplum omnino nullum exstat: si modo Cornelia C. Antonium fuisse credamus, quod ipsum in sola coniectura positum. Alterum est, quod post legem Pompeiam anni 684, qua liberum ius legum ferendarum tribunis restitutum est, consentaneum est profecto hos non *de senati sententia* rogasse eas leges dici quas sua potius potestate rogabant, etiamsi rogandi auctor senatus fuisset: C. autem Antonium 'M. f. C. n.' Goettlingius interpretatur M. Tulli Ciceronis in consulatu a. 691 conlegam. Quo vel illud accedit quod in hanc aetatem ipsa et sermonis et litteraturae species aliquanto minus quam in annum 682 vel 683 convenit, cui tempori post Henr. Ed. Dirksenum in 'Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des Römischen Rechts' (libro Lipsiae a. 1823 edito) p. 158 verissime hanc legem Mommsenus tribuit in Bergkii Caesarisque Diariis antiq. stud. a. 1846 p. 106: quando illis quidem temporibus citiores lingua quam pro paucitate annorum mutationes subire solita est.

Reiecto igitur Goettlingii supplemento reliquum est ut ad complenda spatia mutili exordii viam iam a Sigonio monstratam, non confectam, recolamus sociatosque C. Antonium Cn. Cornelium C. Fundanium cum quibusdam aliis communi consilio rogasse legem de Thermensibus statuamus. Quodsi tabulae primae primus versus unum nomen et dimidium capit, summa efficitur sex nominum per quattuor tabulas scriptorum: quibus iuncto Fundanio septem tribuni pl. prodeunt rogatores legis. Quorum tribunorum plena nomina decem apparet ne quinque quidem tabulas capturas fuisse, sed sex demum. Novam fore quibusdam rogatorum tantam multitudinem suspicamur: e quibus tamen quaerimus, quo tandem fundamento tralaticia opinio nitatur, qua aut unus plerumque aut duo tantum rogatores, vel ut rectius dicamus

latores legis cuiusque tribuniciae fuisse creduntur? Nequaquam nos fugit contrariam rationem non satis probari eo quod promulgatarum quidem a pluribus legum minime rara mentio est: velut a novem tribunis promulgatae apud Livium IV, 1, 2, ab octo apud Ciceronem epist. ad fam. I, 9, 16 conl. orat. in Pisonem 15, 35, pro Sestio 33, 72: quae exempla commode Marquardtus composuit Enchiridii antiq. Rom. a Beckero incohati t. II part. 3 p. 60. Nam rectissime ab eodem
XI adnotatum est p. 124 plerumque de compacto convenisse inter promulgatores, a quo rogaretur plebes praesidereturque comitiis et nomen legi inderetur, si modo dissentiendi intercedendive caussa nulla inventa esset. Cuius rei planissimum testimonium apud Ciceronem exstat de lege agraria II, 2, 22 de P. Servilio P. f. Rullo haec dicentem: 'et videlicet conlegas suos adscriptores legis agrariae non repudiabit, a quibus ei locus primus in indice*) et in praescriptione legis concessus est.' Hos vero 'adscriptores' quos alios nisi eos interpretabere qui praeter illum, cui primus locus concessus, adscriptis nominibus suis plebem de ferenda lege rogaverint? Brevius

*) Hic quaerat quispiam quomodo *primus in indice locus* concedi potuerit, quando consentaneum est, ut exemplis utamur, legem Calpurniam vel Appuleiam non alio nisi tali indice fuisse: L · CALPVRNIA · DE · REPETVNDIS et L · APPVLEIA · DE · MAIESTATE · MINVTA. Vnde non mirer si quis neglegentius locutum Ciceronem nihil nisi hoc voluisse arguat: *a quibus ei locus primus eo concessus est ut et in indice et primus in praescriptione poneretur.* Verum longe tamen aliter de hoc genere statuendum videtur. Cogitavit enim Cicero haud dubie de talibus quales fuere CORNELIA · FVLVIA vel CAECILIA · DIDIA vel GELLIA · CORNELIA: ne ex imperatorum aetate L · MAMILIAM · ROSCIAM · PEDVCAEAM · ALLIENAM · FABIAM huc adsciscamus. Tales enim leges adscriptis in indice rogatorum nominibus carere omnino non potuerunt: unde enim binomines esse intellegeretur? Contra a singulis appellatae leges adscripto nomine opus non habuere, quippe quod ex eo, a quo lex ordiretur, nomine satis perspiceretur. Hinc igitur esse putamus, quod in eis qui soli hodie superstites sunt legum Corneliae et Antoniae indicibus nihil praeter haec praescriptum est: DE · XX · Q et DE · TERMESI · PISID · MAI. Vnde rursus hoc perspicitur, de Thermensibus legem illam non esse, de quo facile quispiam cogitet, Antoniam Corneliam dictam, sed Antoniam simpliciter.

et simplicius, sed non minus aperte Livius XXV, 4, 9 'tribuni' inquit 'plebem rogaverunt plebesque ita scivit', item XXVII, 5, 17 'tribuni plebis rogarunt plebesque scivit': quibus exemplis iam Brissonius usus de formulis II, 18. Ac fortasse non inepte quispiam illud ipsum dedita opera instituisse Sullam dictatorem coniciat, ut, cum attenuare tribuniciam potestatem vellet, non pauculos, sed maiorem partem tribunorum rogare leges iuberet: quod tamen, ut in sola coniectura positum, facile feremus si quis credere recusaverit.

Non pauciores quam quattuor tabulas fuisse legis Antoniae (quo nomine dicendam esse rectissime G. F. Puchta monebat Instit. I p. 262 ed. tert.) demonstravimus: licet autem progredi ultra illamque suspicari fortasse per quinque adeo tabulas continuatam esse. Cuius suspitionis unam rationem hanc habemus, quod loci ac temporis adscriptionem in legibus actisve publicis populi Romani umquam omissam esse vix videmur concedere posse. De legibus non ignoramus contra statui plerumque: verum ut tamen nec documenta nec argumenta prolata sint. Nihil enim magis mirum, vel ut et verius et severius dicamus, nihil perversius vidimus quam xii
Klenzii in supplendo principio Serviliae suae elaborantis hanc disputationem quam infra posuimus: 'plura etiam de loco et tempore, quae addunt lex Quinctia et Valerius Probus, hic cum Sigonio praetermittenda censui, quippe quae in vetustioribus legum exemplis, velut in plebiscito de Thermensium immunitate et in aversa nostrae tabulae parte, in lege Thoria, non addantur.' Quasi vero quicquam vel addi vel non addi in eis partibus, quae nullae superstites sunt, dici possit. Quamquam cum in hoc tum in unius tantum rogatoris nomine ponendo Klenzii exemplum etiam Rudorffius imitatus est in 'Thoriae' supplementis suis p. 142. Est autem totius caussae haec potius ratio et condicio, ut unum solum, quod ad nos proditum sit omnino, pleni exordii exemplum locum tempusque addita habeat, non omittat: quod est exordium legis Quinctiae, his verbis conceptum apud Frontinum de aquis c. 20 p. 49, 9: 'T. Quinctius Crispinus consul [*de sen. sent.*] populum iure rogauit populusque iure sciuit in foro pro rostris aedis diui Iuli pr. [*k.*] Iulias. tribus Sergia prin-

cipium fuit. pro tribu Sex. [*Visellius*] L. f. Varro [*primus sciuit*]': in quibus perscribendis Buechelerum secuti sumus. Non est sane illa lex vel tribunicia vel eius in qua versamur aetatis: verum in tanta tamen generis affinitate quo tandem iure uno quod in promptu est exemplo males ad contrariam quam ad eandem rationem probandam uti? Huc autem alia accedunt non minorem vim persuadendi habentia. Primum quidem Valerii Probi gravis auctoritas, qui opusculi de notis antiquis § 3 p. 121 ed. Momms. 'litteras singulares in iure ciuili de legibus et plebiscitis ponens' cum initium facit a P·I·R et P·Q·I·S h. e. *populum iure rogauit* et *populus que iure sciuit*, his autem has continuat I·F et P·R (vel potius I·F·P·R ut putamus) et E·A·D·P h. e. *in foro pro rostris* et *ex ante diem pridie*, profecto nec imperatorum aetatem spectavit, nec ab eis quae inusitata fuere profectus est, sed quae usitata. Ipsa deinde ratio rei cum haud dubie hoc suadeat ut, si quid in iure publico privatove populus Romanus sanxisset, id quando factum esset noluisse eum latere credamus, tum a legum similitudine proximo intervallo discreta senati consulta loci temporisque accessione numquam quod sciamus caruerunt. Cuius rei tria documenta ipsum saeculum septimum cum sexto praestant: primum S. C. de Bacchanalibus illud, quod est hoc initio [Q·] MARCIVS·L·F·S·POSTVMIVS·L·F·COS·SENATVM·CONSOLVERVNT·N·OCTOB·APVD·AEDEM·DVELONAI: alterum S. C. de Tiburtibus ab his verbis ordiens L·CORNELIVS·CN·F·PR·SEN·CONS·A·D·III·NON·MAI·SVB·AEDE·KASTORVS: tertium de Asclepiade Clazomenio, Polystrato Carystio, Menisco Milesio factum, cuius interpretatio graeca haec servavit ЄΠΙ ΥΠΑΤΩΝ ΚΟΙΝΤΟΥ ΛΥΤΑΤΙΟΥ ΚΟΙΝΤΟΥ ΥΙΟΥ ΚΑΤΛΟΥ ΚΑΙ ΜΑΡΚΟΥ ΑΙΜιλιου κοιντου υιου || ΜΑΡΚΟΥ ΥΙΩΝΟΥ ΛΙΠΕΔΟΥ CΤΡΑΤΗΓΟΥ ΔΕ ΚΑΤΑ ΠΟΛΙΝ ΚΑΙ ЄΠΙ ΤΩΝ ΞΕΝΩΝ ΛΕΥΚΙΟΥ ΚΟρνΗΛΙου . . υιου . . || CICЄΝΝΑ·
XIII ΜΗΝΟC ΜΑΙΟΥ ΚΟΙντος ΛΥΤΑΤΙΟC ΚΟΙΝΤΟΥ ΥΙΟC ΚΑΤΛΟC ΥΠΑΤΟC CΥΓΚΛΗΤΩΙ CΥΝЄΒΟΥΛευcατο || ΠΡΟ ΗΜЄΡΩΝ ЄΝΔЄΚΑ ΚΑΛΑΝΔΩΝ ΙΟΥΝΙΩΝ ЄΝ ΚΟΜЄΤΙΩΙ (sic enim haec in aere Borbonico scripta sunt). Solius nunc diei notatio superstes est in mutilo marmore Prienensi C. I. G. 2905

p. 572, 6 ΣΕΡΟΥΙΟΣ ΦΟΛΟΥΙΟΣ ΚΟΙΝΤΟΥ ΥΙΟΣ ΣΤρατηγος .... προ ημεΡΩΝ ΠΕΝΤΕ ΕΙΔΥΙΩΝ ΦΕΒΡΟΑΡΙΩΝ. Eandem rationem testantur apud scriptores servata exempla. Bis adscriptum est *prid(ie) kal. Octob(r). in aede Apollinis* in Caelii ad Ciceronem epistula l. VIII ad fam. 8 § 5 et 6: nihil enim in hoc genere discriminis inter senati consulta et auctoritates intercedit. Quattuor vel potius quinque exempla Iosephi Antiquitates Iudaicae suppeditant, quae temporum ordine eo perscripta subieci quem alio loco dedita opera firmabo. Anno igitur 615 u. c. L. Valerius L. f. praetor cυνεβουλεύcατο τῇ 'cυγκλήτῳ εἰδοῖc Δεκεμβρίαιc ἐν τῷ τῆc 'Ομονοίαc ναῷ ... teste Iosepho XIV, 8, 5; — a. circiter 621—623 Fannius M. f. praetor βουλὴν cυνήγαγε πρὸ ὀκτὼ εἰδῶν Φεβρουαρίων ἐν κομιτίῳ ... XIII, 9, 2; — anno 705 consulente L. Lentulo cos. πρὸ δώδεκα vel δεκατριῶν καλανδῶν 'Οκτωβρίων, incertum quo loco, illud S. C. factum cuius per Iosephi XIV, 10 § 13—19 dispersa vestigia exstant; — anno 710 δόγματι cυγκλήτου, ὃ ἐγένετο πρὸ πέντε εἰδῶν Φεβρουαρίων ἐν τῷ ναῷ τῆc 'Ομονοίαc, Γάιοc Καῖcαρ ὑπὲρ 'Ιουδαίων ἔκρινε e. q. s.: sic enim haec transponendo consocianda sunt XIV, 10, 10; — eodemque anno P. Dolabella M. Antonio cos. factum S. C. τῇ πρὸ τριῶν εἰδῶν 'Απριλλίων ἐν τῷ ναῷ τῆc 'Ομονοίαc ibidem testante Iosepho. Nolo nunc exspatiari longius, nec vel imperatoriae aetatis documentis uti vel decretis municipalibus, praesertim cum horum conligendorum otium fecerit Aemilii Huebneri diligentia ea commentatione quam 'de senatus populique R. actis' scriptam Fleckeiseni Annalibus philol. Suppl. III fasc. 5 p. 559 sqq. inseruit. Nisi quod uno tamen verbo commemorare talia monumenta expedit qualia sunt Minuciorum sententia de controversieis inter Genuateis et Veiturios componendis facta, in qua legitur v. 4 sq. SENTENTIAM · EX · SENATI · CONSVLTO · DIXERVNT · EIDI(‖ DECEMB · L · CAECILIO · Q · F · Q · MVVCIO · Q · F · COS: vel temporis notam item habentia pagi scitum Herculaneum, titulus Furfensis I. R. N. 6011 [C. I. L. I n. 603; P. L. M. E. tab. LXXXII]. Satis enim exemplorum allatum est ut aut nihil valere similium conlationem fatendum sit, aut habitorum comitiorum diem locumque legem Antoniam

quoque prodidisse concedendum. Vel ut etiam rectius dicam, locum diemque potius: nam locum etsi senati consulta constanter postponunt, tamen in legibus quidem contrarium ordinem cum Quinctiae exemplum tum 'leges et plebiscita' spectans Probus tuentur.

Hoc autem concesso quomodo per quinque tabulas integra praescriptio sat commode pertinere potuerit, omissis quo taedium vitem computandi molestiis ita nunc breviter ante oculos proponam, ut uno aliquo de multis exemplo to-
XIV tius rei ratio evidens fiat. Velut salva ea proportione, cuius aequabiliter servandae necessitatem tabula prima imponit, potuit illa sic distributa esse:

tab. I	C·ANTONIVS·M·F·CN·CORNE C·FVNDANIVS·C·F·TR·PL·DE·S·S·PLEBEM·I PREIMVS·SCIVIT
tab. II	LIVS·CN·F·Q·MARCIVS·Q·F·L OVRE·ROGAVERVNT·PLEBESQVE·IOVRE·
tab. III	H OSTILIVS·L·F·C·POPILI SCIVIT·IN·FORO·PRO·ROSTREIS·A·D·VII·
tab. IIII	VS·C·F·M·VALERIVS·M·F·C·AN EID·OCT·TRIBVS·CORNELIA·PRINCIPI
tab. V	TIVS·C·F·Q·CAECILIVS·Q·F· VM·FVIT·PRO·TRIBV·T·SEMPRONIVS·T·F

Nisi forte *in campo Martio* vel *in circo Flaminio* praeferes.

Nihil tamen hoc exemplo nisi fieri potuisse, ut per quinque tabulas lex tota continuaretur, probatur: factum esse adeo non contendimus, ut fieri item potuisse liberaliter concedamus ut, etiamsi temporis locique notatio accederet, non pluribus quam quattuor comprehenderetur. Quod quidem ita esse nullo negotio, ubi notas vocabulorum adsciveris ipsius Probi testimonio firmatas, perspexeris. Ita enim si versus secundus velut talis fuit: C·FVNDANIVS·C·F·TR·PL·DE·S·S·PLEBEM·I || OVRE·ROGAVERVNT·PLEBESQVE·IOVRE· || SCIVIT·I·F·P·R·N·MAI·TRIBVS·SER-

GIA·PR ‖ INCIPIVM·FVIT·PRO·TRIBV·Q·FABIVS·Q.F, his in primo versu haec respondere tribunorum nomina potuere: C·ANTONIVS·M·F·CN·CORNE ‖ LIVS·CN·F·L·HOSTILIVS·L· ‖ F·C·POPILIVS·C·F·M·VAL ‖ ERIVS·M·F·Q·CAECILIVS·Q·F: adscriptores legis ut C. Antonius non octo ut in superiore exemplo, sed sex tantum conlegas adsciverit. Vtrum praestet si quaesieris, haud scio an non satis tuto ex eo argumentaturus sis, quod notas ne praecedens quidem formula in aere receperit, id quod e plene perscripta PLEBEM voce cognoscitur. Nam altera ex parte non levis probabilitatis species haec in promptu est, quod etiam aegrius, quibus rebus quattuor tabulae, quam quibus tres compleri potuerint, intellegitur, postquam gravissimis beneficiis et immunitatibus Thermenses iam tabula prima impertivit. Atque id ipsum Dirksenus adeo se intellegere negavit l. s. s. p. 142, ut perpauca post eam tabulam deesse xv
posse ad Thermenses spectantia ratiocinatus, ceteras quotquot fuissent tabulas ad alias quaslibet liberas civitates Asiae pertinuisse sibi persuaderet eadem cum Thermensibus lege comprehensas. Non infructuose fortasse illud de integro quaeretur, num quae probabiliter indagari divinando possint, quae constitutis in prima tabula iuribus commode nova accesserint: sed etiamsi talem operam destituat eventus, tamen Dirkseni quidem coniectura vel hoc uno argumento nisi fallimur satis redarguitur, quod de compluribus civitatibus latae legi vix potuit ab una Thermensium civitate nomen fieri: quid enim vel caussae vel rationis fuisse dicamus cur tamquam appendicis loco tantum ceterae vel accederent vel haberentur? Atqui I·DE·TERMESI·PISID·MAI praescriptum est in indice tabulae primae (minime, quod sibi visus est Goettlingius legere, Ⱶ DE): unde consequens esse ut in altera scriptum fuerit II·DE·TERM·PIS·MAI et sic porro in reliquis, solita argumentandi evidentia pridem Mommsenus demonstravit Diar. antiq. l. s. s. p. 108. Quo corruit sane etiam Puchtae sententia, praemissum legi Sullanae indicem VIII·DE·XX·Q non *octauam* legis *de uiginti quaestoribus* tabulam interpretantis simpliciter Institutionum I p. 320, sed praeter rationem caput octavum legis de scribis viatori-

bus et praeconibus latae, quo quidem capite ageretur de XX quaestoribus.

Ita quoniam in legem Corneliam de uiginti quaestoribus incidit oratio, de hac quoque, num quid simili atque in Antonia ratiocinatione e praescriptionis parte superstite effici possit, paucis videamus. Est autem ea praescriptio in aere Neapolitano talis qualem in adiecta tabula sub *B* exhibuimus: unde totam perspicitur unius versus primi per omnes tabulas pertinentis continuitate comprehensam fuisse. Eius versus in tabula octava litterae sunt XXII, eaeque magna intervallorum aequabilitate scriptae: totidem autem litterae cum eis, quae TRIBV vocem insequi in legitima formula necesse sit, commodissime sufficiant, ipsa nona tabula legem integram terminatam esse tam simplici quam certo computo efficitur. Velut hoc exemplo:

tab. VIII PRINCIPIVM · FVIT . PRO · TRIBV ·
tab. VIIII M · IVNIVS · M · F · PREIMVS · SCIVIT

Nam per se cum liceat sane quodlibet nomen longius substituere, tamen tam longum, quo etiam decimae tabulae satis fiat, nimirum frustra quaeres. Omittendo autem cognomine satius fuerit legem agrariam anni 643 (quam Thoriam vocitant) imitari, cuius hodie superstes initium haec servavit *princi*PIVM · FVIT · Q · FABIVS · Q · F · PRIMVS · SCIVIT, quam temporum discrimine remotam Quinctiam addendo. — Verum etiam de septem tabulis prioribus aliquid, quamquam non multum, calculis recte subductis proficias. Formulae necessitate reguntur, quae in l. Antonia perscribebamus post
xvi rogatorum nomina usque ad PRINCIPIVM vocabulum. Eae partes in priore exemplo nostro litteras aequabant circiter XC, in posteriore LXX: ergo cum septem tabulae totae circiter CLIV capiant, efficitur ut rogatorum nominibus perscribendis aut LXIV aut LXXXIV litterae relictae sint. Hinc igitur saltem hoc certo cognoscitur, non magis Corneliam quam Antoniam unum dumtaxat vel duo rogatores habuisse. Quot fuerint, etsi sua sponte intellegitur certius definiri multis de caussis non posse, praesertim in illa quam iam Momm-

senus l. s. s. disceptavit de magistratibus dubitatione, tamen quoniam singula nomina, si exemplorum similitudine metimur, nec fere XVIII litterarum ambitum superare, nec infra novenarum numerum subsistere potuerunt, probabile est nec pauciorum quam quinque nec plurium quam septem hominum nomina praescripta fuisse.

ADDENDA.

Pag. VII initio [supra p. 432] etiam finitius dici poterat nec maiore intervallo nec alia ratione ab usitatiore ᛘ figura hanc ᛦ distare, quam a quinquagenarii numeri pristina forma ↆ eam notam quam lapidarius adscivit ⊥. — Paullo ante disceptata I litterae falsa species quam facile fraudi esse possit, in ipso Tolosano lapide inter C · ANTONI et C · FV*nda*NI' umbra illa docet non dissimilis litterae exesae, quam non miraremur pro I habitam ab aliquo imperito. Quae si Marinium nequaquam fefellit, at incuriae cuiusdam documentis illis, quae p. V ima [430 sq.] composui, etiam praetermissa in versu 3 (2) interpunctio accedit.

XVI.
De declinatione quadam latina reconditiore.

I. Commentatio prior.*)

3 Diu est ex quo inscriptionum Graecarum vel editores vel interpretes declinatio quaedam nominum advertit, quae in eo cernitur quod ex ιοϲ et ιον syllabis ιϲ et ιν fiunt. Tetigerunt illam vel uberius persecuti sunt Boeckhius C. I. G. cum aliis locis tum vol. I p. 367. 475. 507. 535. 915, Welckerus Syll. epigr. Gr. p. 18, Franckius in Richteri Inscr. p. 195, Osannus Sylloges suae p. 437, Franzius Elem. epigr. Gr. p. 248, Carolus Keilius Spec. onomatol. Gr. p. 79 sqq., Letronnius in 'Recueil des inscr. de l'Égypte' t. I p. 111 et II p. 100, Welckerus cum Rossio Musei Rhen. novi t. IV p. 186. Exempla ab his collecta, ut nunc in nominibus vere Graecis me contineam, haec habes quae subieci, additis quibusdam novis ex parte suppeditatis mihi ab amicis. Primum nominativorum vulgo in ιοϲ desinentium: ΓΑΛΛΑΤΙϹ ΔΗΜΗΤΡΙϹ ΔΙΟΝΥϹΙϹ ЄΙΜЄΡΙϹ i. e. Ἱμέριοϲ: quibus adde ΑΜΜΩΝΙϹ C. I. 4713 c, ΑΝΠΕΛΙϹ 5304. 6440, ΑΝΑΤΟΛΙϹ in Cardinalis Inscr. Velitern. p. 214, ΑΠΑΤΟΥΡΙϹ C. I. 4419, ΑΠΟΛΛΩΝΙϹ 2646, ΕΡΩΤΙϹ 2521, ΛΙΒΑΝΙϹ 8550. 8554. Nec re diversa sunt, quamquam specie paullo magis singularia, ΑΘΗΝΑΙϹ h. e. Ἀθήναιοϲ, ΕΙΡΗΝΑΙϹ ΕϹΤΙΑΙϹ: quibus affine ΑΡΙϹΤΑΙϹ e num-

---

*) [Programma academicum Bonnense anni 1861, sic inscriptum: 'Natalicia Regis Augustissimi Guilelmi . . . die XXII m. Martii a. CIƆIƆCCCLXI concelebranda indicit F. R. Praecedit de declinatione quadam latina reconditiore quaestio epigraphica.' Bibliopolae Berolinensi I. Guttentag traditum est sic decurtata inscriptione: 'De declinatione quadam latina reconditiore quaestio epigraphica.' C. W.]

mis Cois commemoratum a Letronnio. Ad idem genus accusativi pertinent AKEΣIN h. e. 'Ακέcιον, ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΝ ΕΛΛΑΔΙΝ ΣΙΒΥΡΤΙΝ. Quid? quod ΑΠΟΛΛΩΝΙ et ΣΥΜΦΟΡΙ formas C. I. 3096 rectissime ut videtur Boeckhius vocativos interpretatus est vol. II p. 682. His neutri generis nomina succedant, sive ea sunt mulierum ut ΕΛΕΥΘΕΡΙΝ ΚΑΛΛΙΣΤΙΝ ΦΙΛΗΜΑΤΙΝ, ΖΩCΑΡΙΝ C. I. 2410, ΑΡΤΕΜΙΝ 2729 (quod exemplum etsi incertum est, tamen de 'Αρτέμιον nominativo dubitari non patitur n. 695): sive urbium ut ΕΙΚΟΝΙΝ ΚΙΤΙΝ apud Richterum: sive viri ut ΣΤΡΟΥΘΕΙΝ a Letronnio disceptatum h. e. Στρούθειον potius quam Στρούθιον, quocum conferre licet ΑΘΗΝΑΕΙC semel scriptum C. I. 623, item ΝΟΝΝΕΙC et ΓΑЄΙC qourum infra mentio fiet: seu denique appellativorum ut ΜΑΡΤΥΡΙΝ CΤΑΔΙΝ pro μαρτύριον cτάδιον, item pro παιδίον ΠЄΔΙΝ apud Osannum p. 456, ΠΑΔΙΝ apud Boeckhium n. 2890.

Verum de re cum satis constaret, tamen diversissimas in partes itum est de aetate atque dignitate talium formarum. Senescenti eas Graecitati vel barbariae hellenisticae Byzantinaeve cum Boeckhio (vol. I p. 475) Welckerus Richterus Franzius tribuebant, eiusque iudicii non eam tantum caussam habuerunt quod illorum titulorum reapse nullus vetusti temporis est, multi infimae aetatis*), sed potiorem hanc, quod recentiores atque adeo hodiernos Graecos constat prorsus de consuetudine ιοc et ιον syllabas, ac praeter cetera ριοc ριον, in ιc et ιν contrahere, ut 'Ιανουάριοc 'Ιανουάριc, ποδάριον ποδάριν (unde rursus ποδάρι prodiit communi usu nunc receptum): quod genus exemplorum multitudine post Ducangium cum Coraes inlustravit adn. in Heraclid. Pont. p. 353, item 'Ατάκτων I p. 47 et 310, tum nuper Mullachius in Demetrii Zeni paraphr. Batrachom. p. 55 et in grammatica linguae Gr. vulg. p. 173 sq. [nunc Deffnerus, Νεοελληνικὰ

*) Consulto supra multos eorum omisi quos Christianos esse certo constat, Corporis I. G. volumine IV collectos, ut p. 309 ΑΠΟΨΙC ΑΠΟΨΙΔΙΝ ΤΟΠΑΡΙΝ ΧΡΥCΕΛΑΔΙΝ ΦΟΙΝΙΚΙΝ, item ΤΑΡΑCΙC n. 9259, ΑCΚΛΗΠΙC 9288, ΜΕΤΡΙΚΙC 9550, ΑΦΡΟΔΙCΙC 9589, ΧΑΛΚΗΔΟΝΙC 9597, ΘΕΟΔΟCΙC 9607, ΕΥΣΕΒΙΣ 9612, ΔΗΜΗΤΡΙΣ 9619. 9716, ΠΕΛΑΓΙC 9654, ΓΟΡΓΟΝΙC 9670.

Ἀνάλεκτα (1872) τόμ. Α p. 387]. Contra antiquioris linguae vestigium in illa declinatione relictum Rossius putabat eiusque sententiae suasorem eundem illum Coraem habuit: qui cum l. s. s. tum adn. in Plutarchi Πολιτικά p. 153 et in vitam Thesei p. 364 non tantum e Plutarchia aetate breviatarum formarum illarum usum repetiit exemplis adscitis Σθένιϲ Σθένιοϲ, Βάκχιϲ Βάκχιοϲ nominum, sed eundem ad antiquissimam aetatem Homericam rettulit Χρόμιϲ Χρόμιοϲ formarum varietatem antestatus. Cuius vestigiis insistentes Letronnius atque Keilius affinia addiderunt Νύμφιοϲ Νύμφιϲ, Ἄμφιοϲ Ἄμφιϲ, Δήμιοϲ Δᾶμιϲ, Πολύμνιοϲ Πόλυμνιϲ [potuerunt etiam Λούκιοϲ Λοῦκιϲ: cf. Musei Rhen. XIX p. 250 adn. 2]. Verum huic ratiocinationi admirabili qua pollet doctrina Lobeckius — μέγαϲ μεγαλωϲτί — adversatūs Pathol. serm. Gr. prolegomenon p. 500 sqq. etsi in eo esse nimius videtur, quod in lapidibus prodita exempla omnia, quae manifestam prae se ferre plebeii sermonis corruptelam pronuntiat, hili non facit, tamen illud facilius persuadebit, satis caussae non esse cur ipsius Δήμιοϲ formae vicaria habeatur nec nisi illinc potissimum ducatur Δῆμιϲ, cum ex una δημ stirpe et Δῆμιϲ et Δήμιοϲ et Δημίαϲ et Δημέαϲ nomina fiant, pari et iure et dignitate omnium, item ut Ἄλεξιϲ Ἀλεξίαϲ Ἀλέξιοϲ vel Πόλυμνιϲ Πόλυμνοϲ Πολύμνιοϲ. Nam ad ea quoque nomina, quae in ιαϲ exeunt, eandem de qua hic commentamur contractionem vocalium constat Boeckhium cum pedisequis transtulisse, titulorum exemplis usos ΑΡΙΣΤΙΣ ΙΠΠΙΣ ΦΙΝΤΙΣ ΝΙΚΙΝ, nummorum ΣΩΣΙΣ, scriptorum Τέλλιϲ Τῖϲιϲ, aliis: quod genus quoniam ad Latinas litteras nihil pertinet, hic tetigisse satis habemus. Verum quantumvis acri Lobeckii disputatione illud tamen vehementer veremur ut effectum sit, ut eorum quoque, quae solo ιοϲ ιον et ιϲ ιν syllabarum discrimine continentur, tanta quantam supra congessimus multitudo ad eandem rationem probabiliter revocetur. Non habeo quod addam fortius quam fidem id superare: quis enim, postquam per multa saecula solas Ἀπολλώνιοϲ Ἀϲκληπιόϲ Δημήτριοϲ Φιλημάτιον formas lingua et noverat et probaverat, eandem iam languescentem credat ad horum nominum stirpem reversam tamquam novis viribus assumptis novas formas procreasse?

Aliam viam non iniit potius quam uno verbo significavit Letronnius I p. 111 e Romanae vi consuetudinis ('par suite de l'influence romaine') hanc declinationem omnem repetens. Quod ut quale esset plenius perspiceretur, primum Latinorum in titulis Graecis nominum indiculum subiecimus. Itaque ΑΠΩΝΙC habes C. I. G. n. 4742, ΑΥΡΗΛΙC 5700. 6666, ΑΦΡΟΔΙΤΑΡΙC (quando Latina terminatio est) a Welckero allatum, ΓΑΕΙC 3976, ΔΟΜΙΤΙC 5402, ΙΑΝΟΥΑΡΙΝ 3857 *q* (p. 1089), ΙΓΝΑΤΙC 5396. 9694, ΙΟΥΛΙC 7119. 8947 *v*, ΚΑΛΠΟΡΝΙC 4366 *w*, ΚΑΡΟΥΕΝΤΙC 6244, ΚΛΑΥΔΙC 3109. 5198, ΚΛΩΔΙC 5465, ΚΟCCΑΝΤΙC (h. e. ΚΟCΤΑΝΤΙC) 9462, ΛΑΒΕΡΙC ΛΑΥΡΕΝΤΙC 9883, ΛΙΤΟΡΙC 3309, ΛΟΥΚΙC 6580. 9674, ΜΑΡΙC 9837, ΝΟΝΝΕΙC 2322 b^{84} (p. 1049), ΟΚΤΑΒΙC 5197, ΠΑΤΡΙΚΙC 9260, ΠΕCΚΕΝΝΙC 5719, ΤΙΒΕΡΙC 3109. Quo appellativum accedit ΡΗΤΙΑΡΙC h. e. *retiarius*: hoc casu in C. I. G. 2663 CΤΕΦΑΝΟC ΡΗΤΙΑΡΙC, accusativo ΡΗΤΙΑΡΙΝ μΕΛΑΝΙΠΠΟΝ apud Welckerum p. 58 sqq.

Igitur circumspicientibus nobis num quid simile ipsi Latini tituli offerant, fatendum est sane paullo rariorem quam exspectes in recentioribus potissimum epigraphis talium formarum usum esse. Possunt me fugere quaedam: nunc quae in promptu habeo studiosissimorum quorundam adulescentium navitate adiutus, non nimis multa haec sunt: SALLVSTIS in Mommseni Inscr. Neap. 6 (Orell. Henz. 6250); — LVCILIS ibid. 287, quod aegre concesserim muliebre esse; — SAMILARIS, vel ut opinor SAMIARIS potius, ib. 2559 v. 38, ubi sequitur SAMIARIVS, praecedit SAMIANTVS h. e. item SAMIARIVS iudice Reinesio; — NASSIS apud Gruterum p. 813, 5; — HELIS ib. 486, 4 auctore Scaligero [in Herzogi Gall. Narb. n. 215]; — SEVIS 970, 7[?], nisi id fuit potius SEIVS; — dein iam ab Huebnero commemorata Quaest. onomatol. p. 26 BRVTIS in Vermiliolii Inscr. Perus. p. 28 (30 ed. alt.) n. 27, FVLVIS in Gorii Inscr. Etr. I p. 57 n. 135, VENTINARIS in Furlanetti Lapid. Patav. p. 49 n. 55 [C. I. L. V, 1 n. 428]; — porro EVGENIS in Lugdunensi saeculi p. Ch. sexti apud Boissieuium Inscr. Lugd. p. 582 n. 39; — LVCILIES h. e. *Lucillius* ib. p. 443 n. 16 [cf. infra p. 476]: quando es ab is terminatione unius et

rusticitatis et antiquitatis ratione differt; — ACCIS (ut videtur) in Deviti 'Lapidi del Polesine' p. 121 n. 142; —
7 IANVARIS in Froehneri Inscr. terr. coct. vas. n. 1164. 1165: ubi perdubium n. 1897 SCOTTIS cum SCOTI atque adeo SCOTTIM iunctum; nec plus fidei ei nomini tribues quod Lerschii 'Centralmuseum' fasc. I p. 16 tale praebet TACITNIS h. e. ut videtur *Tacitinius* potius quam *Tacitinis*. Accedunt in muris parietibusque Pompeianis incisa quaedam: quae etsi perdubiae saepe lectionis sunt, tamen ceteris certiora videntur haec esse: HAGIVS AMPELIS in Garruccii 'Graffiti de Pompéi' p. 89 (ed. alt.) tab. 26, 62 [C. I. L. IV n. 83*]; — GALLVIS p. 97, 9 tab. 30 h. e. nisi fallimur *Galluvius* (GALVIA I. R. N. 985) [immo GALLVS teste Zangemeistero]; — PRIMIGVNIS p. 94 tab. 28, 22; — C · ARRVN*t*IS p. 80 tab. 17, 11 [C. I. L. IV n. 1908; cf. Add. p. 213] interprete Gustavo Meynckio Megalopolitano, qui praeterea adicit APELEIS p. 9 [C. I. L. IV n. 2476], quod esse *Apellius* (ut I. R. N. 5716) conicit, conlato APILES Grut. 836, 11. Haec autem cum ita sint, eo magis mirum videri debet, quod bilingues tituli quidam Graecis formis brevioribus plenas Latinas sociant, ut AYPHΛIC et AVRELIVS C. I. G. 6666, ΛITOPIC et LITORIVS 3309.

Verum haec tamen exemplorum mediocris frequentia mirifice compensatur aliorum vetustate certissima. Ac primum unum genus est monumentorum, unde non pauciora quam octo petimus: quae sunt in epigraphis ollarum cinerariarum partim a Lupio diss. de Severae martyris epitaphio p. 86 sqq. Garruccioque in 'Bullettino' Neapolitano anni 1853, partim a Baldinio Dissert. academiae Cortonensis t. II p. 151 sqq. editarum.*) Quae cum saeculum urbis septimum vergens vix dubiis indiciis testentur, operae pretium fuerit singula perscribere infra.

Lup. 5. Garr. 41 [C. I. L. I n. 954; P. L. M. E. tab. XV n. 5] M S II C T I L I ≤
A · D · VII · ⊨ · N

*) [Vide C. I. L. I n. 822—999; P. L. M. E. tab. XIII. XIV. XV; Enarr. p. 17 sqq. et Suppl. enarr. p. 102 sq. C. W.]

Lup. 19. Garr. 45 [C. I. L. I n. 971; P. L. M. E. tab.
XV n. 19]

T·TVSANIS
A·D·III·E·O

Lup. 22. Garr. 6 [C. I. L. I n. 842; P. L. M. E. tab.
XV n. 22]

Q ⟨AE⟨ILIS
A·D·VII·IDVS NO

Lup. 43. Garr. 46 [C. I. L. I n. 973; P. L. M. E. tab. 8
XV n. 43]

C VALERI·C·F·BARNAES
A·D·X·K·DEC

Bald. 47 [C. I. L. I n. 945; P. L. M. E. tab. XIII n. 47]

L·RAGONIS

Bald. 55 [C. I. L. I n. 856; P. L. M. E. tab. XIII n. 55]

P·CLODIS·C·L·PΛMPINI

Bald. 68 [C. I. L. I n. 946; P. L. M. E. tab. XIII n. 68]

C·REMIS AD·V·E·Q

Bald. 104 [C. I. L. I n. 832; P. L. M. E. tab. XIII n. 104]

L·ΛNΛVIS L·F
EIDIBVS SEX

Nam BARNAES nomen L. 43 non dubito ad similitudinem Graecorum illorum interpretari quae sunt ΑΘΗΝΑΙϹ ΕΙΡΗΝΑΙϹ ΕϹΤΙΑΙϹ.

Haec igitur epitaphia cum planissimo documento sint satis antiqua aetate vel linguam Latinam vel sermonem rusticum, qui ipsius vetustatis esse custos certissimus solet, nominum formas in $\overline{\text{ius}}$ et $\overline{\text{is}}$ exeuntes iuxta frequentasse, tum alia sunt quae id longe etiam fortius persuadeant. Primum quidem linguae Oscae congruentia summa, ut qua non tantum Niumeriis Paapiis Metiis dicerentur qui Romanis sunt Numerius Papius Metius, sed etiam Niumsis Heirennis Pakis Stenis qui Latine Numisius Herennius Pacius (Paccius Paquius) Stenius (Stennius) vel ut iam rectius dicam Numisis Herennis Pacis Stenis. Osca illa composuit Mommsenus Dialectorum Ital. inf. p. 229: eis autem Vmbrica quoque prorsus paria exstant ut Trutitis

Koisis ab Aufrechtio Kirchhoffioque tractata Mon. Vmb[illegible] p. 392 sqq. Sed ne Latinae quidem copiae curiosius qua[illegible] rentem destituunt: quae unum certe vocabulum servaru[illegible]t pristinae declinationis satis diu tenax, quod est alius al[illegible], aliud alid.

De eo veterum testimonia haec sunt. Priscianus X[illegible] p. 959 P. 8, 1 H.: 'duo tantum in *d* finiunt ea, quis qu[illegible]d, alius aliud. alis quoque antiquissimi pro alius protu[illegible]e-runt.' Idem XV p. 1014 P. 77, 12 H.: 'aliter quoque [illegible]ab eo quod est hic alis, huius alis, huic ali pro ali[illegible]is alius alii, secundum supra dictam analogiam profertu[illegible]': h. e. ut *fortiter* a *fortis* et similia, cum ab *alius* fieret pot[illegible]us *aliiter* *aliter*. Deinde Charisius II p. 133 P. 159, 30 K. cu[illegible]m Diomede I p. 323 P. 333, 30 K., quibuscum convenit excer[illegible]p-tis Vindobonensibus p. 118, apud Keilium p. 561, 14: 'cui[illegible]is [genetivi alius] nominativum veteres non tantum alius di[illegible]e-runt, sed etiam alis, sicut et Sallustius: *alis alibi stan[illegible]s ceciderunt, omnes tamen aduorsis uolneribus conciderunt*': n[illegible]i quod *Sallustius ait* Diom., *aduersis* Diom. et Exc., *uulnerib*[illegible]s sine *conciderunt* Exc. Et haec quidem Sallustii verba, id [illegible]t statim expediamus, cum diu in Historiarum fragmentis habi[illegible]a essent, rectissime nuper demum intellectum est non aliun[illegible]e nisi e Catilinae capite extremo petita esse. Vbi cum lib[illegible]ri ms. nihil nisi haec servent: *pauci autem, quos medios coho*[illegible]s *praetoria disiecerat, paulo diuorsius, sed omnes tamen aduors*[illegible]s *uolneribus conciderant*, Charisiana additamenta illa Dietschi[illegible]s non ille quidem omnia admisit, sed partem saltem sic: *pau*[illegible] *diuorsius alis alibi stantes, set omnes tamen* e. q. s.: de qu[illegible] explicatius dixit Commentationum p. 20 sq. Verum ut dica[illegible] quod sentio, vim sententiae qui subtilius examinaverit [illegible] qualis tandem oppositio requiratur satis perpenderit, eum v[illegible] dubitaturum puto quin non uno *ceciderunt* verbo, sed utr[illegible]que *stantes ceciderunt* Charisii testimonium interpolatum si[illegible] haec ut manus scriptoris fuerit perfectae concinnitatis arti[illegible]fex: *nam fere quem quisque uiuos pugnando locum ceperat, eu*[illegible] *amissa anima corpore tegebat: pauci autem, quos medios cohor*[illegible] *praetoria disiecerat, paullo diuorsius* alis alibi, *sed omne*[illegible] *tamen aduorsis uolneribus conciderant*. Nam plane alia ratio[illegible]

est eorum quae paullo ante Sallustius scripserat cap. 60: *cohortem praetoriam in medios hostis inducit eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit*, e quo ipso loco haud scio an interpolatio illa manaverit. [Cf. infra p. 461.]

Nec tamen antiquitatis studio Sallustiano huius se formae usus continuit, sed per saeculum septimum totum pertinuit. Cuius rei primum insigniori documento titulus ille Furfensis est I. R. N. 6011 (Orell. 2488 [C. I. L. I n. 603]) non minus celeber quam turbatus depravatusque, qui etsi annum u. c. 696 prae se fert, tamen meo sensu dubitari nequit quin longe antiquius exemplum aliquod, factum circa medium saeculum illud, imitetur: ubi quod v. 10 scriptum exstat ALIS·NE·POTESTO, quamquam Mommsenus p. 320 '*aliter*' interpretatus est, tamen id qua defendi ratione possit prorsus me ignorare fateor. De scriptoribus autem si quaesierimus, mirum est nullum eius formae in scaenica poesi tota vestigium esse: nam quibusdam Plauti versibus etsi illa non sane repugnat, tamen nec ullo in loco necessitatem habet et longe plurimis certissime adversatur. Vnde praeter rationem Bentleium intellegitur *alid* immisisse in Terentianum versum Heauton timorumenu II, 3, 90, sic: *Quíd alid tibi uis? Síquidem hoc fiet*: ubi rectissimo iudicio Fleckeisenus librorum memoriam tutatus est *Quíd aliud tibi uís? Siquidem hoc fit.* Verum citra controversiam primus*) Lucilius, correctus quidem a Dousa, sic est loçutus teste Charisio I p. 86 P. 111, 18 K.:

---

*) h. e. quod sciamus primus. Nam quod ne Naevianae quidem Ennianaeque poesis reliquiae ullum eiusmodi vestigium servant, vix ausim non casui tribuere. Naevio enim cum talem versum *Simul alis alid aliunde rumitant inter se* Bothius tribuit in Comicorum fragmentis p. 25, suo id periculo fecit damnoque numerorum, quos pridem perspectum est hos esse *Simúl aliús aliúnde - rúmitánt intér se* secundum Festi epitomam p. 270, 3. — Altera ex parte demiranda Alschefskii liberalitas, qui uno confisus unius Medicei testimonio *alid* formae usum ad T. Livii et aetatem et consuetudinem pertinuisse cum sibi persuasit adn. ad II, 43, 10 tum aliis persuadere tali argumentatione instituit: '*si alid nihil*] cum hoc loco *aliud* corripiendum, *nihil* producendum sit, rectissime se habet *alid*': doctrinae genere tam mehercule novo quam singulari. [Cf. infra p. 476.]

nam uelut 'intro' aliud longe esse atque 'intus' uidemus,
sic et 'apud se' longe alid est neque idem ualet 'ad se'.

Post hunc Catullus et alid semel 29, 15:

quid est alid sinistra liberalitas,

et semel alis 66, 28:

11 coniugium, quo non fortius ausit alis:

sive *quod non fortior ausit alis* tenebis cum libris. Postremo Lucretius alid frequentavit in certis potissimum, quibus ea forma conveniebat, locutionibus: *quando alid ex alio* I, 263, *namque alid ex alio* IV, 1115. V, 1456, *sic alid ex alio* I, 407. III, 970. V, 1305; praeterea *quodcumque alid auget* V, 257. Insigniore autem idem memoria etiam dativo ali locum concessit VI, 1227:

nam quod ali dederat uitalis aeris auras:

item Lachmanno correctore IV, 637:

ut quod ali cibus est, aliis fuat acre uenenum,

ubi libri *aliis* prodiderunt, Lachmannus autem p. 249 percommodo eiusdem dativi exemplo utitur e lege Iulia municipali petito, aeris Neapolitani [P. L. M. E. tab. XXXIV] v. 2 [C. I. L. I n. 206 v. 98]: QVEIQVOMQVE · INMVNICIPIO COLONIAE · PRAEFECTVRA · POST · K · QVICT · PRIM · COMITIA · II · VIR · IIR · VIR · ALEIVE · QVOI · MAG · ROGANDO · SVB · ROGANDOVE · HABEBIT. [Cf. infra p. 462.]

Quodsi de hoc casu recte praecepisse Priscianum appa-ret, de genetivo quoque alis eiusdem stabit doctrina, quamquam exemplum superesse non videtur. Eo igitur confidentius Mommseni coniecturam amplectimur in hanc partem aliquid ratiocinantis ex epitaphiorum illorum Baldinianorum memoria, de dial. p. 230. Non quo concedamus etiam RA-GONIS REMIS ΛNΛVIS genetivos esse, id quod non maiorem vel necessitatem vel probabilitatem in his habet quam in Lupianis quae supra addebamus SECTILIS (SESTILIS?) TVSANIS CAECILIS: verum quod restat exemplum P · CLODIS · C · L · PΛMPINI, quo tandem alio casu vel esse vel posse esse dices? Nam et hi tituli et alii consimiles, Praenestini potissimum illi quos una cum Caeretanis quibus-

dam Henzenus edidit in Annal. et monum. instituti archaeologici Romani a. 1855 p. 74 sqq. inque 'Bullettino' a. 1858 p. 93 sqq., etsi plerumque sane nominativo casu mortuorum nomina efferunt, tamen nec dativum nec genetivum prorsus excluserunt. Ac genetivum ipse Henzenus p. 81 videtur illud *Barnaes* nomen tituli Lupiani interpretari qui est talis C · 12
VALERI · C · F · BARNAES, a *Barna* vel *Barnas* nisi fallor nominativo profectus deque PESCENIAES AQVILLIAES genetivis cogitans: verum de hoc dubitationem omnem me iudice lapis Deliacus tollit C. I. G. 2319 ipsam ΒΑΡΝΑΙΟΣ formam praestans.*) Ambigua esse muliebria apparet PAVLLAE · SALVIAE Lup. 25 [C. I. L. I n. 952; P. L. M. E. tab. XV, 25], MVNIAE Bald. 59 [C. I. L. I n. 916; P. L. M. E. tab. XIII, 59], GEMELAI Praen. 28 [C. I. L. I n. 109; P. L. M. E. tab. XLVI, 33], *n*VMTORIAI 37 [C. I. L. I n. 122; P. L. M. E. tab. XLV, 11], VEHILIAI 70 [C. I. L. I n. 157], quibus accedunt fortasse SEHIAI 59 [C. I. L. I n. 147], COMENIAI Bull. 4 [C. I. L. I n. 96]: quando de dativo certa res est in Lup. 14, Garr. 9 [C. I. L. I n. 846; P. L. M. E. tab. XV, 14], sive perobscure ibi scriptas litteras M · COLIO · M · L (ut I. R. N. 5221) sive CALIIO h. e. *Caleo Caleio* (ut I. R. N. 1575) interpretabere; item in Garr. 17 [C. I. L. I n. 999; P. L. M. E. tab. XV, 52], ubi esse GEMIO potius quam GENVO videtur**); fortasse etiam in Lup. 34 [C. I. L. I n. 831; P.

*) [Vide infra p. 21 (464 sq.) adn. et comm. II p. VII (473) sq. C.W.]

**) Litterarum species in eo vasculo inscriptarum cum proxime accedat ad hoc exemplum GEMO, non incommode fortasse quispiam de cognominis nominativo *Gemo* (tertiae quidem declinationis) cogitet, cuius scriptura pristinam formam M litterae servarit. Nam sine nominibus posita cognomina habes etiam Lup. 18. Garr. 13 [C. I. L. n. 864; P. L. M. E. tab. XV, 18] DEMETRIVS, Lup. 28. Garr. 39 [C. I. L. I n. 942; P. L. M. E. tab. XV, 28] PROTARCVS, Bald. 93 [C. I. L. I n. 879] GVBVS: a quibus LORELANO · M · L Praen. 33 [C. I. L. I n. 115; P. L. M. E. tab. XLVI, 36; cf. infra p. 469 adn.] et Q · VSORO Bull. 9 [C. I. L. I n. 158; P. L. M. E. tab. XXXVI, 60] addito vel suo vel manumissoris praenomine distant. Vt improbandus sit si quis Lup. 14. Garr. 9 interpretari M · CALDO · M · L animum induxerit: etsi eam lectionem non respuit scriptura. — De Lupiano titulo 34 supra commemorato quid decernam haereo. Cuius in Garruccii tabula chalcographa ea figura est quae ab hac lectione proxime absit:

L. M. E. tab. XV, 34], quamquam ei quod ibi apud Lupium legitur ΛLFENO nomini non satis fidei tabula Garrucciana n. 2 addit. Nam in hoc quidem genere sua sponte intellegitur e longe antiquioribus, immo antiquissimis Praenestinis nihil argumenti peti posse: in quibus quae sunt APTRONIO BOVFILIO CAMEᒪIO CORIARIO CVΠIO FΛBRECIO HE-
13 RENIO ᒪOREᒪΛNO MVTILIO OΠIO OVIIIO ORCEVIO ROSCIO ΠᒪΛVTIO SΛVFIO *ta*MPIO VSORO (quo adde omissum apud Henzenum ᒪ · OΠΠIO), non sunt dativi sed nominativi item ut ΛVIᒪIOS CASIOS ORGVIOS, id quod omnium evidentissime n. 63 *lu*CIO · TAPIOS docet. — Igitur ad genetivum ut revertar, unum saltem certum exemplum praesto est Bald. 10 [C. I. L. I n. 878] NOVI · GRAECI. Quod cum excludat controversiam, ne de P · CLODIS quidem genetivo dubitabimus. Huic autem iam alterum accedat e recentioris memoriae titulo Nemausensi qui est talis apud Gruterum p. 486, 4 [apud Herzogum Gall. Narb. n. 215]:

D · M
C · V E T T I I · H E L I S
I $\overline{\text{IIII}}$ I · V I R · A V G · E T
V E T T I A E · S E R V A N D A E
V X O R I
V I V I · S I B I · P O S V E R V N T

Habetque hoc eo minus dubitationis, quod eadem C · VETTIVS · HELIVS nomina redeunt in Romano lapide p. 714, 5. Nam quod in priore VECTII · HELPIS idem Gruterus p. 483, 5 edidit Poldum secutus, cum per se nihili sit, tum

---

Λ L F E N O S · L V C I
Λ · D · XII · C · NOEM

nisi quod ipsa extrema littera ΛLFENO≷ nominis perambigua est nec S litterae valde similis. Et si vel maxime certa sit, qui potest in hanc aetatem $\overline{\text{os}}$ terminationis usus cadere? [Cf. P. L. M. E. Suppl. enarr. p. 103: 'de titulorum 14 et 34 et 52 vera lectione quaesivi potius quam respondi comm. de decl. Lat. recond. p. 12. Tantum scio praeter rationem CIILIO in 14 Garruccium interpretari Annal. inst. Rom. t. XXXII (a. 1860) p. 236: ubi de CALIIDi memini Mommsenum cogitare.' C. W.]

facile cedet Scaligeri auctoritati, a quo emendatius exemplum illud alterum acceperat. [Cf. infra p. 476.]

Iam vero priusquam progrediar disputando, video illuc mihi redeundum quod unum (praeter CLODIS) in promptu esse genetivi certum exemplum dicebam mortuorum nominibus adhibiti in Lupianis Baldinianisque atque item in Praenestinis epitaphiis: NOVI · GRAECI illud. Praevideo enim non defuturos qui nubem potuisse exemplorum huc adsciscí dictitent: praeter cetera C · PΛCCI · L · SΛLVI Lup. 45. Garr. 34 [C. I. L. I n. 929; P. L. M. E. tab. XV, 45]: sed praeterea alia plurima, non tantum talia qualia habes M · VERGVLEI L. 32. G. 48 [C. I. L. I n. 977; P. L. M. E. tab. XV, 32], A · AETEI L. 41. G. 3 [C. I. L. I n. 828; P. L. M. E. tab. XV, 41], verum et usitatiora et simpliciora prope innumerabilia ut C · BALONI, P · IVNI, Q · TITINI, M · SEMPRONI, TI · MANLI, Λ · MINVCI, T · SVLPICI, T · TVTILI, M · TERENTI, CN · OBINI, T · MVNATI, D · FOLVI, P · NAEVI, M · CAʟTI, ʟ · CVΓI et quae sunt 14 cetera. Non commemorarem haec profecto, si eis potissimum scriberem qui in epigraphicis litteris habitant; verum in his saltem terris cisalpinis cum ad philologos οἷοι νῦν εἰcι satis tenuis illius scientiae notitia pertinere soleat — loquor autem de Latinis litteris, non de Graecis —, operam perdidisse non videbor si paucis aperuero quod τῶν ἐμπείρων neminem fugit: illas formas omnes non ad genetivum spectare, sed scripturae compendio uti quo ipse gentiliciorum nominativus in $\overline{\text{ius}}$ desinens notatur. Cuius rei qui volet argumenta ceteris luculentiora cognoscere, talia expendat qualia sunt in Scipionum elogiis L · CORNELI · L · F · P · N · SCIPIO, in epitaphiis Praenestinis 44. 45 [C. I. L. I n. 130. 131; P. L. M. E. tab. XLVII, 51. 52] L · OPPI · L · F · FLACVS · PATR · et L · OPPI · L · F · FLACVS · FILIVS, in S.-C. de Bacchanalibus SC*ribundo* ARF*uerunt* M · CʟAVDI · M · F. ʟ · VALERI · P · F · Q · MINVCI · C · F, in titulo Mummiano L · MVMMI · L · F · COS · DVCT*u* · AVSPICIO · IMPERIOQVE · EIVS · ACHAIA · CAPT*a*, in Romano Or. Henz. 5351 [C. I. L. I n. 560; VI, 1 n. 1306; P. L. M. E. tab. LVI *C*] C · FANNI · M · F · COS · DE · SENA · SEN · DEDIT, in pagi scito

Herculanei G · BLOSSI · M · L · PROTEMVS, in Caeretanis L FALTINI · M · F · NIGER: in his ut nunc subsistam.

Nec tamen propterea tantum, ut non esse genetivos docerem, hos nominativos composui, sed ex eisdem ut argumentarer ultra. Quid enim vel caussae vel rationis illud ipsum habuisse dices, quod in $\overline{\text{ius}}$ terminata nomina non aut plene perscripta sunt aut, si modo brevianda viderentur, sic potius notata ut communis usus ceterorum vocabulorum omnium vel postulabat vel suadebat h. e. CORNEL · SVLPIC · CLAVD · ? qualem tamen scripturam in antiquioribus quidem titulis (non item in nummis) constat inauditam esse. Quodsi tale discrimen ideo placuisse ratiocinere ut a cognominibus in $\overline{\text{us}}$ exeuntibus gentilia distinguerentur, hoc tamen quam non sufficiat facile est ad demonstrandum. Ita enim cur eadem ista breviandi ratio non ad muliebria quoque nomina umquam translata est? Vitandam fuisse ambiguitatem respondebis, ne pro masculinis haberentur. At ubi bina sociabantur, quid tandem ambiguitatis restabat? Et tamen non est umquam sic scriptum MARI · SELICIA vel MARIA · SELICI, sed MΛRIΛ · SELICIΛ Praen. 61 [C. I. L. I n. 149; P. L. M. E. tab. XLV, 20], nec CESVLA · ATILI vel POLA · LIVI, sed CIISVLΛ · ΛTIⱵIΛ et POⱵA · ⱵIVIA in Pisaurensibus apud Maffeium Mus. Veron. p. 470 sq. [C. I. L. I n. 168 et 177; P. L. M. E. tab. XLIV *J* et XLIII *Δ*], ad idemque exemplum GRAECA · VATRONIA Praen. 68 [C. I. L. I n. 155; P. L. M. E. tab. XLVI, 43], Γ · VEBIDIA · Q · F · NVMA 69 [C. I. L. I n. 156], CAESIA · > · L · SVRISCA Caer. p. 77 [C. I. L. I n. 1316; P. L. M. E. tab. XLVII, 10], PORTVNΛLIΛ · MΛRTΛ · PIOTICΛ Lup. 8. Garr. 15 [C. I. L. I n. 981; P. L. M. E. tab. XV, 8], DERCINA · IVANALARIA L. 26. G. 12 [C. I. L. I n. 918; P. L. M. E. tab. XV, 26], quamquam minime reformidarunt OΓI · SΛVFIO Praen. 58 [C. I. L. I n. 146; P. L. M. E. tab. XLV, 16], ac ne CAVI · TERTINEI · POSTICNV quidem in Praenestino titulo Musei Rhenani t. XIV p. 382 [supra p. 387] nuper a me publicato [cf. infra p. 465 adn.]. Nam CVRTIA · ROSCI Praen. 21 [C. I. L. I n. 104] dubitare noli quin sit *Rosci* uxor, ut *p*AVLLA · CORNELIA · CN · F · HISPALLI in sarcophago Scipionis Barbati,

vel CAECILIAE .... METELLAE·CRASSI. — Haec igitur
omnia et fortasse alia affinia perpendisse Mommsenum con-
sentaneum est, qui tribus nuper verbis, quid huius rei esset,
significavit in eo libro quem de historia rei nummariae Ro-
manorum plane admirabilem fecit p. 471, observatione longe
fructuosissima. Quippe apertissimum esse putamus scriptu-
ram illam omnem, qua *i* littera nomina gentilicia finiuntur,
ex ea aetate linguae repetendam esse qua non alius sed
alis, non Clodius sed Clodis diceretur ad idemque exem-
plum Cornelis Sulpicis Caecilis Opis Mumis Fanis
et similia omnia, eae autem formae non plene scriberentur,
sed abiecta de pristina consuetudine littera finali CLODI
CORNELI SVLPICI: plane ut pleniores quae successere for-
mae scriptae sunt OPIO PLAVTIO FABRECIO in Prae-
nestinis aliaeque in aliis. Mansit autem ea qua adsueverant
scriptura, postquam $\overline{\text{ios}}$ $\overline{\text{ius}}$ substitutum est, prorsus eadem
ratione qua C vel COS vel SVC notas tenuit vis consuetu-
dinis etiam post *Gaius consol Subura* formas communi usu
receptas. Quae si ita sunt, ut sunt profecto, ingens multi-
tudo exemplorum succrescit, quibus longissime aliquando
patuisse eam declinationem intellegatur, cuius unum vesti-
gium postera aetas alis pronomen novit. Servabat eam ut
alia vetusta plurima sermo vulgaris: unde ad Graecos transiit 16
ibique etiam constantius perstitit quam inter ipsos Romanos
posteriorum saeculorum.

Vnum superest quod non possis non valde expetere: ipsius antiquioris aetatis exemplum plene litteris omnibus ita perscriptum ut saeculi septimi exeuntis Lupiana atque Baldiniana illa. Sed vel huic desiderio haud scio an satis factum sit, postquam nuper demum hic titulus innotuit in cippo terminali scriptus, repertus prope oppidum (sive pagus est) cui Nazzano nomen, haud ita procul Roma situm ad Tiberim, e Secchii schedis a Raphaele Garruccio publicatus in 'Bullettino' Romano anni 1860 p. 97 [C. I. L. I n. 633]:

P · MENATES · P · F
TR · PL
X X X

Hoc enim nomen quod esse aliud credes nisi Minatius

Minatis?*) dominante etiamtum *e* littera pro *i* ut in SEMOL MERETO AIDILES. Nam quantumvis varia fuerit variis in terris gentibusve Italicis formatio gentiliciorum, quod genus post Huebnerum paucis nuper Henzenus comprehendit Orelliani voluminis III p. 242 sq., tamen in *ates* terminatum nomen (ut in enus erna ena enna ina inna enas inas exeuntia plurima) nusquam umquam repertum est. Vnde esse consequens intellegimus antiquitus ad hoc exemplum declinatum esse:

nom.	Corneles	Cornelis
gen.	Corneles (ut SALVTES)	Cornelis
dat.	Cornele (ut IVNONE)	Corneli
acc.	Cornelem	Cornelim

prorsus ut alis alis ali et ut puto alim. Quibus qui volet ablativos addat Corneled Cornelid. Veterrimae autem pronuntiationis aliquid haesit in plebeii sermonis formis recentioribus illis quas supra posui p. 6 [449] sq. LVCILLES et, si modo satis ei fidei, APILES: a quibus aliquo intervallo BARNAES distat.

Quodsi per satis multorum annorum diuturnitatem et *s* et
17 *m* littera finalis omitti solita est communi consuetudine, rursus haec subnata declinatio est casuum discrimine omni sublato:

nom.	Cornelis	Corneli
gen.	Cornelis	Corneli
dat.	Corneli	Corneli
acc.	Cornelim	Corneli

proxime ad eorum similitudinem quae nuper proponebam Musei Rhen. t. XIV p. 401 sq. [supra p. 408]:

nom.	matrona	senatu	die
gen.	matrona	senatu	die
dat.	matrona	senatu	die
acc.	matrona	senatu	die

Ex illis igitur casuum formis plane parilibus cum unum, nominativum, sola scriptura posterioris aetatis servarit, alter

*) [Cf. comm. II p. VII (474) et quae scripsit Ritschelius Mus. Rhen. XVI p. 625 (in fine alterius commentationis infra p. 477 repetita). C. W.]

quidam non in scriptura tantum, sed in ipsa lingua mansit: qui est genetivus Corneli. Hinc enim illud repetendum, de quo magni Bentleii virtute nunc inter omnes constat, quod substantivorum in ius et ium desinentium genetivum antiquior lingua numquam finivit geminata *ii*, sed una simplici *i* vocali. Nec enim dubitabimus quin ad masculinorum exemplum prisca latinitas etiam neutra sic formaverit: consilim consili(s) consili consilim: nisi quod in pronomine *m* litterae vices *d* littera, ut in id quid quod illud istud, ita in alid sustinuit. Eademque plane qua alis alid ratione is id, quis quid reguntur, item ut accusativi alim, em im, quem: persimili etiam ille (pro illes ut Cornele pro Corneles) atque illud: quod genus omne hic explicare longum est. — Genetivi igitur speciem illam, Corneli, quid mirum si cum nominibus propriis etiam appellativum vocabulum alis communem habuit? A qua forma quemadmodum vetus lingua cum in declinatione casuum tum in fingendis aliter alibi aliquis aliquot aliquantus aliquando compositis profecta est, ita indidem duxit alimodi (hoc est 18 ali modi) teste Festi epitoma p. 28, 2 positum pro alius modi (vel quod eodem redit pro alii modi). [Cf. infra p. 467.]

AVCTARIVM.

De Sallustio, quem p. 9 [452 sq.] tractavi, res ipsa monet ut etiam pergam ratiocinando. Is enim cum illud genus loquendi frequentet quod in componendis conectendisque alius pronominis formis cernitur, qua tandem plane singulari libidine uno solo in loco alis admisisse credetur, in ceteris omnibus omni ex parte similibus eidem formae aditum constantissime praeclusisse? in his dico quae sunt *alius alium* Cat. 6, 5. 43, 2. 52, 28. Iug. 53, 8. 66, 3, *alius alii* Cat. 52, 1, *alius alii facinoris* Cat. 22, 2, *alius alio more* Cat. 6, 2, *alius in alio* Iug. 60, 1, *alius ab alia parte* Iug. 101, 2, *alius alio* Iug. 12, 2. 50, 5. In his igitur quotiens alis posuerit nescio:

nusquam posuisse nego simile veri esse. Eius autem rei pr— babilitas novo esse documento poterit, quali fide hos libr Sallustianos ad nostram memoriam codices ms. prodiderin ut qui nullum, si Dietschianis testimoniis credimus, brevi ris formae vestigium servent, tenuissima quaedam, si ali auctores consulimus. Quippe Iug. 50, 5 diligentissimus ho Theophilus Cortius testatur in Guelferbytano 9 (qui Dietsch est *g* vel n. 21 p. 10) et Lipsiensi academico scriptum es *aliis alio*, idemque a prima manu eundem academicum Heussianum Memmingensem in Iug. 12, 2 habuisse. In q nihil nisi alis alio latere ipse iam Cortius suspicabat tam id profecto probabiliter quam in tali caussa quidpia credi cum probabilitate potest.

P. 10 sq. [454] compositis exemplis alid formae pot quaedam addere non scriptoris, sed librariorum: quos mir est in Lucretii duos versus illam immisisse a quibus ea ipsi numeri segregant, *aliud terris alid regionibus* I, 469, *ali alid res* IV, 1039 teste Lachmanno p. 41: quae credibile est scribentium mentibus haesisse e trium versuum libri I uniusq
19 libri III recordatione. — Item solis librariis dubitare noli a dativum tribuere quem video e Frontone Maii p. 275 (ed. Ro a. 1823) vel p. 186 Nieb. afferri *suum quisque amicum a amico*, itemque e Festi epitoma p. 27, 19 '*aliae rei*' *dixit Pla tus pro eo quod est* '*ali rei*': sic enim haec transposita su rectissime, praesertim cum e brevioribus huius pronomin formis ne usitatiores quidem alis alid Plautinae fabulae a miserint. Talem igitur scripturam ut ab ipso Frontone v Festo profectam non rectius tueare quam in Ciceronis de publica I, 8, 13 bis proditum nominativum pluralem al vel ad similitudinem *manubis comitis Iunis* formarum ibide scriptarum (conlectarum in Osanni excursu VII p. 451) fa tum dativum alis. Quorum casuum in unam *i* contract rum etsi quaedam exempla (in his ipsum ali e decret Pisano: SIVE · QVI · ALI · MAGISTRATVS · ERVNT) Lach mannus in Lucr. p. 252 et 279 indubitata protulit*), tame

*) Ambiguum esse video utrum nominativum an dati pretemur quod in longe antiquiore titulo scriptum est

cum nominativum ipse vitiosum dicit, tum dativum profecto Ciceroni non concessit, id quod vel eo satis ostendit quod ne in Lucretiano quidem versu IV, 637 bisyllabam aliis h. e. alis formam toleravit. Ac de hoc litem nunc non movebo, quamquam posse moveri sentio: verum illud non dubito confidenter pronuntiare, si modo ea declinatio, quae fuit alis alis ali alim, per plurales casus olim pertinuerit, non potuisse omnino alias nisi has formas fieri:

nom. alis et ali (ut ques qui cum sim.)
gen. alium
dat. alibus et alis (ut quibus quis)
acc. alis

Aliquo autem cum tali declinatione vinculo haud scio an ipsa scaenica prosodia contineatur. A qua alienissimam esse synizesim constat talibus qualia sunt filius filio filium filii filiis filios adhibitam, quam diu quidem in senariis septenariisque sive trochaicis sive iambicis poeta versatur: contra simul atque ad liberiora metra transitus fit, ad anapaestica potissimum, sed etiam ad octonarios quoslibet, nihil prorsus offensionis eandem illam licentiam habere: de quo explicatius dixi Proleg. Trin. p. CLX sqq. Museique Rhen. t. VII p. 595 [= Opusc. II p. 595] sqq. Hoc igitur ipsum vide num cum aliqua specie probabilitatis coniciamus non aliam vim caussamque habere, nisi quod in liberioribus metris suscepta vulgaris sermonis libertate pronuntiaretur filis fili filim fili filis filis. Quam pronuntiationem num etiam scrip-

---

frano illo ab Mommseno publicato I. R. N. 4616 [C. I. L. I n. 1277], cuius haec species [repraesentata nunc in P. L. M. E. tab. LIX J]:

ALEI · IN · VENERIEIS
MIHEI · CONTRA · RI

Qui quamvis mutilus sit, tamen et senariorum non dubia principia et manifestam *alius* et *mihi* pronominum oppositionem ostendit:

Alei ín Venerieis . . . .
Mihei cóntra ri . . . .

satis veniae ab illa ratione habet quam cum alibi l. t. XIV p. 411 [supra p. 419] explicavi.

tione vel aetas Plautina vel poetae consuetudo expresserit, id quod fecit sane communis usus in genetivo fili, facilius quaeri quam responderi putamus. — Ceterum ad neutrum ut redeam, Bentleianae in Terentio coniecturae alterum exemplum neglexi prorsus gemellum quod est in Hecyrae versu V, 1, 24:

Álid si scirem, quí firmare méam apud uos possém fidem ——.

Ita quidem Bentleius pro eo quod est in libris *Aliud si scirem*. Transposuit Fleckeisenus *Si aliud scirem*: dubitari potest num alio potius vocabulo transposito poeta dederit '*Aliud si scirém, firmare qui ápud uos meam possém fidem*. Exquisitius esse *meam apud uos fidem* non me fugit: sed exquisitius etiam *aliud si scirem* est quam *si áliud scirem*.

Praeterea tribus verbis aperiam cur ab hac societate illa seiunxerim, quae non mirer si ad eandem similitudinem proxime accedere dixeris: articularis articularius, auxiliaris auxiliarius, iocularis iocularius, lapidaris lapidarius, molaris molarius, palmaris palmarius, singularis singularius, talaris talarius, tutelaris tutelarius, uulgaris uulgarius, et si quae forte sunt similia. Verum haec contraria potius ratione hac reguntur quod, cum longiores formas aetas antiquior probasset, subsecutae demum sunt breviores. Velut Plautum Terentium
21 Turpilium Catonem Novium Afranium horumque pedisequum Gellium, posteriores autem scriptores nullos auctores habent articularius, molarius, palmarius, singularius, uulgarius: paucorum utramque formam ipsa iam antiquitas adsciverat ut iocularius iocularis et, Varronem si in antiquis habueris, singularis: auxiliarius iuxta atque auxiliaris haesit apud posteriores, sed Plautus tamen unum illud novit: nullum exstat eiusmodi exemplum, quo olim probatam breviorem formam cessisse productiori demonstretur.*)

---

*) Nihil huc valere inferioris aevi exempla intellegis quale habes APOLLINARIVS I. R. N. 1667, postquam per multa saecula unus APOLLINARIS forma probata est. — Vtor hac occasione ad supplenda ea quae de BARNAES forma supra dixi p. 12 [455]. Etenim BARNAEVS nominativi nescio quomodo Latina exempla me fugerunt I. R. N. 3674.

Ergo sic potius statuendum, ab una eademque stirpe progressam linguam arbitratu suo denominativa progenuisse sive in arius sive in aris desinentia, notionis quidem discrimine nullo aut prope nullo. Nisi quod tamen alia quaedam argumentatio accedit, in quam infra incidet oratio.

Atque haec quidem non oblitus eram, sed sciens omisi. Omittere autem non debebam praeter alius in latinitate relicta eiusdem declinationis duo alia exempla: quorum prius est dius. Nec enim, cum plurali numero di et dis declinatum est, hi quidem casus potuerunt a deus duci, sed e 22
dius manarunt, vel ut nunc etiam rectius dicam, e dis nominativo dius formae eadem ratione vicario qua alius vel Clodius formas aequant alis et Clodis. Et dius quidem formam satis testatur dius fidius: quando prosodiae discrepantia, de qua Lachmannus admonuit in Lucr. p. 227, in tam vetustis nihil quicquam contra valet: dis autem nominativum etsi non profecto in eo quaeres quod est *hic dis huius ditis*, ac fortasse ne in dispiter quidem (tamquam *göttvater*), quod facile quispiam obiciat e *diespiter* contractum esse, tamen certum ille nisi fallor sui vestigium reliquit in diiouis. Magis etiam adpositum ad persuasionem huc ad-

3722. 3756 et Grut. 991, 11 [cf. infra p. 473 sq.]: quo ipsa adeo BARNAES forma accedit e Grut. 632, 1 [C. I. L. VI, 1 n. 1892] M · SVTORIVS · M · L · BARNAES. Quamquam per se nihil sane impediebat quominus in Lupii Somascanis genetivum interpretarere BARNAES, quando nominativus BARNA exstat I. R. N. 4865 et Grut. 900, 5 (vel Murat. 1569, 5 [C. I. L. II n. 3282]). — P. 15 [458] ne captiosa uti disputatione viderer, debebam illa omittere quae sunt MARIA · SELICIA, CESVLA · ATILIA, POLA · LIVIA, GRAECA · VATRONIA, DERCINA · IVANALARIA: in his enim cur non SELICI, ATILI, LIVI, VATRONI, IVANALARI scriberetur, facile dixeris hanc ipsam caussam fuisse, ne de marito cogitaretur ut in CVRTIA · ROSCI. Sed vel sic tamen nihil de vi argumentationis nostrae detrahitur: cur enim non est MARI · SELICIA, VEBIDI · NVMA, PORTVNALI · MARTA · PIOTICA umquam scriptum vel in similibus similiter sine ambiguitatis specie ulla? — In Praenestina p. 12 [455] adn. commemorata haud scio an ь · OREьANO distinguendum sit potius. — Levidense est quod p. 3 [446] prolatum ΓΑΛΛΑΤΙC nomen video rectius Latinis inserendum fuisse p. 6 [449]: levius etiam quod in ‹ Σ C, itemque E Є formis recte discriminandis aliquotiens non satis mihi typothetarum filii paruerunt.

sciscimus meus mius pronomen, cum deus dius formis affinitate summa sociatum: quorum illud, quod est mius, non grammatici tantum testantur Charisius II p. 133 P. 159, 17 K. cum Diomede I p. 319 P. 331, 14 K., Priscianus XIII p. 962 P. 11, 13 H., Velius Longus p. 2236, 10, sed ante oculos ponit elogium Scipionis Hispani in quo est MIEIS MORIBVS scriptum, pronuntiatum autem μονοσυλλάβως *mis*. Neque enim vel a meus vel a mius, sed a compari huic mis nominativo flexi sunt mis genetivus et mi dativus primae personae, mi vocativus et mi nominativus pluralis (ut *mi homines mi spectatores* et *o mi oculi* apud Plautum, *o mi hospites* apud Petronium) possessivi pronominis: quae genera ratione etymologica non esse disparia patet. Habuitque in lingua tamquam recordatio quaedam pristinae consuetudinis hanc vim ut, cum pridem exolevisset mis et mim (is enim haud dubie accusativus fuit) et mi formarum usus, tamen monosyllaba pronuntiatio in eis quae successerunt meus mei meum mei duraret. Namque unde sat grave firmamentum totius ratiocinationis nostrae suppetit, illud est, quod e nominibus in eus exeuntibus omnibus duo sola sunt deus et meus, quae in scaenica poesi, nec tantum in liberioribus metris, sed in senariis quoque septenariisque, synizesim eu ei eo ea syllabarum admittant, nec aliquando admittant, sed frequentent, nec in quibusdam casibus, sed in omnibus praeter mea: neutrum autem plurale ne a mis quidem aliud nisi mia fieri potuit. Vnde non immerito conligere videmur a dis mis nominativis profectos vetustissimos ἀναλόγως declinasse per omnes et casus et numeros. Et de vocativo quidem mi, qui permansit, ipsam veritatem iam veteres magistri prope attigerunt, non illum a meus, sed a mius repetentes, Celsus atque Charisius (l. s. s.) a Prisciano excitati l. s. s. Quamquam et hic et Charisius p. 86 P. 111, 13 K. cum mi uni masculino tribuunt, abiudicant a feminino genere, fugerunt eos talia qualia e lingua vulgari, ut consentaneum est credere, Appuleius adscivit iam a Vossio de anal. IV, 8 composita *mi soror*, *mi coniunx* (nam de *mi sidus* novicia ei interpolatio fraudi fuit): quae ipsa novo documento sunt non a mius potius quam a mis facti vocativi.

METILIO · · · ·
MAGISTER · · · · · ·
CORAVERO · · ·
CANICIO L · $\overset{T}{S}$ · · · ·
RIANDO · · · ·

über die man gern mehr sagte, wenn erst die Lesung constatirt wäre. Dass der Stein noch vorhanden ist, sieht man aus Garrucci's Aeusserung Ann. d. Inst. XXXII (1860) p. 237, wo er gerade das CORAVERO daraus anführt. [Vgl. jetzt Priscae latin. epigraph. suppl. II (unten n. XVIII, 2) p. V ff. C. W.]

**) [Vgl. Priscae latin. epigraph. suppl. II (unten n. XVIII, 2) p. X. C. W.]

(lactare)', die wieder gleich sei einem '*ut* + √ *wah*' u. s. w., wenn doch der lateinische Stamm gar nicht *duc*, sondern *dovc* (auch nicht etwa *dvoc*) ist? Wo dieses *dovcere* seinen weitern Anknüpfungspunkt in allgemeiner Sprachenverwandt-
613 schaft zu suchen habe, darauf wurde schon vor neun Jahren (Mon. tr. p. 37 [oben p. 162 f.]) die ausdrückliche Anfrage gestellt; eine Antwort ist nicht erfolgt. —

Kaum lässt sich glauben, dass noch ein Bewusstsein oder nur eine Kenntniss von der niemals zu irgend einer Regel gewordenen Schriftabkürzung einer verschollenen Urzeit mitgewirkt habe, um in einer spätern Periode eine Theorie entstehen zu lassen, die im wesentlichen allerdings auf das Gleiche hinauskömmt. Bekanntlich sprechen viele Grammatiker (bei Schneider p. 291 ff.) über die Verwendung des Schriftzeichens K für diejenigen Wörter oder einen Theil derselben, in denen jenem Laut der Vocal *a* folgt*), wie KAPVT KALENDAE KALVMNIA, wovon uns auch Belege genug übrig sind; aber nur ein einziger von ihnen, Terentius Scaurus de orthogr. p. 2253, bespricht gleichzeitig den davon verschiedenen Fall, dass K als Zeichen für die ganze Sylbe *ka* diente, also KPVT KLENDAE KLVMNIA geschrieben ward, was denn ganz auf dasselbe wie ein MGOLNIA u. s. w. hinauskäme. Aber dieser Theorie hat, so weit sich aus den Inschriften ersehen lässt, niemals eine Praxis entsprochen; wenigstens ist mir kein einziges Beispiel bekannt. Und dass das Ganze nichts als eine sterile Tiftelei ist, vor oder in Hadrianischer Zeit erdacht, geht wohl ziemlich deutlich aus den damit in Verbindung gesetzten gleichartigen Schreibungen DCIMVS CRA BNE für *decimus cera bene* hervor. Denn das

*) Vielleicht — ich möchte fast sagen, vermuthlich — war es Accius, der den Gebrauch der nun einmal vorhandenen drei Schriftzeichen für den harten Gaumlaut, von denen er keines ganz verdrängen mochte oder konnte, dahin ordnete, dass er vor jedem *a* das K, vor jedem *u* das Q, in allen übrigen Fällen das C zu setzen vorschrieb; denn die beiden ersten Fälle stehen sich ganz parallel. Zu einer gewissen Anerkennung und Verbreitung während des ganzen 7ten Jahrhunderts kam nur das QV, in QVM PEQVNIA PEQVLATVS u. s. w., nicht ebenso auch KA.

gemeinsame Princip, das zu Grunde liegt, ist, wie auch Scaurus andeutet, kein anderes als dass nicht der Laut des Buchstaben, sondern sein Name gedacht und gehört werden sollte. B, C und D sind ohne Zweifel nur beispielsweise 614
erwähnt; jene Schriftkünstler werden eben so im Alphabet fortgefahren haben GNVS HBERE PCVDES zu schreiben, und wenn sie etwa die Consequenz noch weiter treiben wollten, stand selbst der gleichartigen Spielerei FFVGERE NNIVS RROR nichts im Wege. Wir haben uns daher wohl gehütet, von dem DCIMVS des Scaurus für unser Praenestinisches DCVMIVS irgend welchen Gebrauch zu machen.

Nachschrift. Eben erst, bei der Druckrevision des Vorstehenden, ersehe ich zufällig aus Ariodante Fabretti's Glossarium Italicum p. 318, dass unsere Praenestinische Inschrift doch schon einmal publicirt worden, aber freilich an einem Orte, wo sie für unsere Kreise wohl so gut wie ein Ineditum ist, in der Civiltà cattolica sr. III Bd. 8 p. 364, vielleicht von Garrucci selbst. Es heisst da nur PRIMG und am Schluss DED.

XVIII.

Priscae latinitatis epigraphicae supplementa quinque.

Supplementum I.*)

(Cum tabula lithographa**)).

III Monumentorum ad priscam latinitatem spectantium quoniam singulari horum studiorum beneficio fit ut nova in dies seges succrescat, facile praevidimus eam quoque syllogam, qua titulorum vetustiorum varietatem in unum corpus cogere nuper instituimus, brevi temporis spatio interiecto mancam exstituram. Ei igitur incommodo ut quantum in nobis esset mederemur, supplementorum serie quadam continua apud animum statuimus epigraphices incrementa illa omnia complecti. Faciemus autem hoc ita ut eodem, quod in sylloga illa secuti sumus, consilio commentandi opellam nostram lithographi artificium comitetur ad veri similitudinem titulos quosque quam fieri potest accuratissime exprimentis. Ex eorum igitur, qui iam nunc in promptu sunt, titulorum numero in tabula prima sub *A* eum proposuimus quem nuperrime prope Romam ad aedem 'S. Lorenzo fuori le mura' repertum, mox translatum in museum Capitolinum, humanissime ut solet Henricus Brunnius noster misit.***) Inscrip-

---

*) [Prooemium Indicis scholarum hibernarum Bonnensium annorum CIↃIↃCCCLXII et LXIII. C. W.]

**) [Tabula olim huic commentationi adnexa nunc sub n. [illegible] iterata est. C. W.]

***) [Editus nunc est C. I. L. I n. 1503 p. 556; VI, 1 n. 284. C. W.]

tus est ille in basi magna lapide Albano facta, quae subtus in modum fornacis excavata est: unde intellegitur foci usibus in aliqua ara sacra eam inserviisse. Tribus autem saxis constat ad hoc exemplum iunctis:

L · I · XXVI	HERCOLEI SACROM M · MINVCI · C · F DICTATOR · VOV	 IT

Hic igitur titulus e qua fere aetate repetendus sit, sat IV
certis indiciis perspicitur. Nec enim tantum anno circiter 570 priorem L litterae figura antiquior arguit, sed ipsis initiis saeculi sexti *om* terminatio in SACROM adsignat: quam quidem *o* vocalem circa annum 520 cessisse recentiori *um* formae olim diximus, facile autem, ut est consentaneum in hoc genere, largimur aliquot post annis potuisse quibusdam exemplis etiam tum durare. Nam in mediis quidem vocabulis, quale est HERCOLEI vel CONSOLI, satis illam constat longe etiam diutius perstitisse: de quo identidem significatum est alibi.

Quodsi de ipso anno facti tituli quaerimus, dictatorem quidem Minucium qui feruntur fasti consulares omnino nullum norunt. In quibus proximum tantum dictatori locum obtinens M. Minucius Rufus perscriptus est magister equitum a. 537: sed is sane tali praeter solitum condicione usus, ut non miremur si quis hunc ipsum potuisse dictatorem dici e rerum gestarum memoria arguat. Est enim is ille, quem anno altero belli Hannibalici Q. Fabius Q. f. Q. n. Maximus Verrucosus dictator, sive rectius prodictatorem dices, muneris non administrum modo et socium, sed conlegam habuit post pugnam Trasimenam: quippe cui singulari prorsus exemplo imperium esse cum dictatore aequatum sciamus auctoribus Polybio III, 103, Livio XXII, 25. 26. 27, Valerio Maximo III, 8, 2 et V, 2, 4, Plutarcho vit. Fabii c. 9, Appiano Hannib. c. 12, Cassio Dione Exc. 57, 20 p. 62 Bekk., Zonara VIII, 26 p. 193, 12 Bonn., item 'Aurelio Victore' de viris ill. c. 43: quibus elogium illud Fabii Maximi accedit post alios ab Orellio editum Inscr. n. 541 [C. I. L. I *elog.* XXIX p. 288],

in quo est DICTATOR·MAGISTRO·EQVITVM·MINVCIO·QVOIVS·POPVLVS·IMPERIVM·CVM·DICTATORIS·IMPERIO·AEQVAVERAT·ET·EXERCITVI·PROFLIGATO·SVBVENIT. Eum igitur magistrum equitum eo facilius quispiam suspicetur semet ipsum dictatorem dixisse, quod et 'ferocem rapidumque in consiliis ac lingua immodicum' Livius perhibeat c. 12 consentiens cum Polybio Plutarchoque, et de aequato inter utrumque imperio disserens Polybius l. s. s. 'dictatorem' apertis verbis dixerit: αὐτοκράτορα γὰρ κἀκεῖνον κατέστησαν, πεπεισμένοι ταχέως αὐτὸν τέλος ἐπιθήσειν τοῖς πράγμασι· καὶ δὴ δύο δικτάτορες ἐγεγόνεισαν ἐπὶ τὰς αὐτὰς πράξεις, ὃ πρότερον οὐδέποτε συνεβεβήκει παρὰ Ῥωμαίοις: item cap. 106: οἱ μὲν δικτάτορες ἀπέθεντο τὴν ἀρχήν.

Et tamen talem coniecturam cum ratio dissuadet tum fides testium evertit. Nam etsi simile quiddam in Q. Fabium Maximum cadit, quem Livius c. 31 scribit, cum *pro dictatore* a populo creatus esset, rerum gestarum gloria posterorumque imaginis titulum augentium ostentatione, ut *dictator* crederetur, facile obtinuisse: tamen nec semet ipsum dictatorem professum traditur, et plurimum discriminis inter dictatorem magistrumque equitum atque dictatorem prodictatoremque intercedere reputandum est. Ad testium autem fidem quod attinet, potuit ista quidem coniectura aliquid probabilitatis habere usque ad annum 1818 videri i. e. ante publicata a Carolo Fea nova fragmenta fastorum Capitolinorum. In his enim fragmentis, quibus magna lacuna illa, qua anni 533—546 hausti sunt, ea in parte suppletur quae ad annos 536—539 spectat (sequimur autem numeros Varronianos), quoniam dictator cum magistro equitum suo hi perscribuntur: [vide iuxta]

V
Q·FABIVS·Q·F·Q·N·MAXIMVS·VERRVCOSSVS·II DICT INTERREGNI·CAVS
M·MINVCIVS·L·F·C·N·RVFVS MAG·EQ

(quam quidem scripturam sua fide Henzenus firmavit Or. III n. 6436 [C. I. L. I p. 435]): apparet prorsus diversum a Lucii filio C. n. magistro equitum Gaii filium dictatorem esse. Rursus autem magistrum equitum illum cum Livius cap. 49, ubi in pugna

Cannensi anni 538 occisum narrat, aliquot annis ante fuisse consulem prodat, sat certo intellectum est consulem anni 533, quem ceteri testes M. Minucium Rufum memorant simpliciter, in fastos sic esse referendum ut P. Cornelii Cn. f. L. n. Scipionis Asinae conlega M·MINVCIVS·L·F·C·N·RVFVS perscribatur: id quod a Baitero factum est rectissime, cum mira libidine Laurentius, parum diligens homo, P·F·Q·N posuisset.

Consequens est igitur ut alius quaeratur dictaturam gerens M. Minucius. Quem etsi consentaneum est in consularibus potissimum quaeri, tamen consules Minucios, si a magistro equitum illo discesseris, saeculum sextum totum nullos omnino vidit praeter Quintum C. f. C. n. Rufum anni 557 et Quintum Q. f. L. n. Thermum anni 561: (Marcum sane Rufum proximum saeculum habuit anno 644, sed eum Quinti filium, non Gaii:) hos autem omnes eorum temporum, quibus ne durabat quidem dictaturae usus. Ergo dubitari prorsus non potest quin non consularem lapis Romanus offerat, quantumvis id raro pro illa aetate exemplo. Nec tamen VI
quis ille fuerit et quando, eis esse tenebris obrutum videtur, quas non liceat partim memoriae indicio partim coniecturae ope ita dispellere ut ad persuasionem vix quicquam desit. De eodem enim, cuius supra mentio facta, Q. Fabio haec quae subiecimus Valerius Maximus I, 1, 5 prodidit in exemplis violatae religionis: 'at Sulpicio inter sacrificandum e capite apex prolapsus eidem sacerdotium abstulit, occentusque soricis auditus Fabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi caussam praebuit.' Rem autem eandem memorans Plutarchus in vita Marcelli c. 5 in eo uno discedit a Valerio, quod non Fabio, sed Minucio dictatori id accidisse scribit: Μινυκίου δὲ δικτάτορος ἵππαρχον ἀποδείξαντος Γάιον Φλαμίνιον, ἐπεὶ τρισμὸς ἠκολούθει μυὸς ὃν σόρικα (immo σώρικα) καλοῦσιν, ἀποψηφισάμενοι τούτους αὖθις ἑτέρους κατέστησαν. De hac igitur discrepantia sic statuebat Sigonius comm. in fastos et triumphos Rom. (f. 59 v. ed. Ald. a. 1556) ut fidem Valerio adiungendam diceret, hoc usus argumento quod bis dictatorem fuisse Fabium cum Livius cap. 9, 7 tum elogium Fabii in lapide inscriptum

VII Q·FABIVS·Q·F·Q·N·MAXIMVS·VERRVCOSSVS DICT COMIT·HAB·CAVSSA
C·FLAMINIVS·C·F·L·N MAG·EQ
VITIO·FACTI·ABDICARVNT·IN·EORVM·LOCVM·FACTI·SVNT
M·MINVCIVS·C·F·* N DICT
. . . . MAG·EQ

aut hanc:

M·MINVCIVS·C·F·* N DICT COMIT·HAB·CAVSSA
C·FLAMINIVS·C·F·L·N MAG·EQ
VITIO·FACTI·ABDICARVNT·IN·EORVM·LOCVM·FACTI·SVNT
Q·FABIVS·Q·F·Q·N·MAXIMVS·VERRVCOSSVS DICT
. . . . MAG·EQ

testarentur: id quod cum per se verissimum sit, tum prorsus nunc confirmatum est adscripto in fastorum fragmento Feano ad a. 537 II numero. Verum eo tamen argumento illam in partem nihil probari facile apparet, apparet autem eo evidentius quo certiorem iudicandi viam ipsius Plutarchi verba monstrant αὖθις ἑτέρους κατέστησαν: quae cum neglexisset Sigonius, de interregno dictatorem excipiente post abdicationem cogitabat. Quid enim? nonne caussa erroris sive Valeriani sive Plutarchei, eiusque satis proclivis, prorsus in propatulo est, ubi fastorum memoriam aut talem animo informaveris:

[vide iuxta]

Et hanc quidem alteram non mirer si quis eo argumento commendet, quo video Haakhium usum in Encyclopaediae Paulyanae t. III p. 480 ut fidem Valerio omnino esse derogandam probaret: quippe parum simile veri esse ab optimatium principe Fabio eorundem acerrimum adversarium Flaminium esse magistrum equitum sibi sociatum. Tali tamen ratiunculae, ut verum fateamur, non tantum tribuimus quin possit contra sentiri: quando temporum illorum rationes rimantibus non unam caussam vel condicio rerum vel ipsius mores Fabii suggerunt, quae hominis popularis creationem sive

suadere volenti sive invito extorquere potuerit. Verum aliud est quod, ut Plutarchum potius sequamur, suadeat: Fabius enim si parvo temporis intervallo interiecto abdicasset, eiusdem dictaturam alteram Livius vix videtur ita commemoraturus fuisse quin eius rei quamvis brevem mentionem faceret. A Minucio autem ut ara Herculi voveretur, facile intellegitur vel paucissimorum dierum dictaturam sufficere potuisse.

Sequitur ut quaeratur, cui anno hae dictaturae cum magisteriis equitum suis tribuendae sint. Trium autem annorum 533. 534. 535, ut qui et in lapidibus Capitolinis interciderint et Livio teste careant, quoniam optio data est, videndum de consulibus e quorum absentia caussa probabilis creandi dictatoris repetatur. Et de eo quidem qui medius est anno 534 nemo praeter ceteros cogitabit: quo nec magister equitum sat commode credetur C. Flaminius dictus, quem eo ipso anno constat censurae munere cum L. Aemilio Papo functum, nec externi belli gravioris difficultas ulla incidit. Nihil enim ex hoc genere proditum est praeter rei tenuioris tenuem Zonarae VIII, 20 p. 174 hanc memoriam: Λούκιος δὲ Οὐετούριος καὶ Γάιος Λουτάτιος ἦλθον μέχρι τῶν Ἄλπεων, ἄνευ δὲ μάχης πολλοὺς ᾠκειώσαντο. Multo graviorem caussam dixeris in Illyrici belli rebus gestis inventam esse, quod proximo anno 535 insecutum est, finitum autem devicto Demetrio Phario Illyriorumque terra omni perdomita. Ad hoc enim bellum gerendum etsi Polybius quidem unum esse L. Aemilium Paullum Roma missum cum exercitu tradit III, 16 eundemque victorem unum triumphasse cap. 19: quocum convenit Iustino 'Demetrium regem Illyriorum nuper a Paulo Romano victum' memoranti XXIX, 2: tamen conlegae quoque M. Livii Salinatoris aliquas partes fuisse creditum est aliis. Nam et Zonaras sane l. s. s. ambo consules nomina- VIII
tim dicit, et ultra progressus scriptor libelli de viris ill. c. 50 'Livium Salinatorem primo consulem de Illyriis triumphasse' testatur: e quo fonte solo duplex nunc triumphus Livii in fastos intravit. Viderique potest ad aliquam belli societatem ipsa caussa accusati damnatique populi iudicio Salinatoris spectare, ut quem 'praedam non aequaliter divisisse militibus' quartus qui Frontini fertur liber Strategematicon cap. 1,

45 memoret: quocum non necesse est pugnare Victorem credi 'peculatus reum' perhibentem: nam Livius quidem, qui iudicii illius atque damnationis mentionem ter inicit XXII, 35. XXVII, 34. XXIX, 37, caussam accusandi nusquam dicit. Horum igitur testimoniorum obscuritatem suo unus quisque sensu arbitretur quid valere contra simplicem certamque Polybii auctoritatem dicat: cui saltem tantum nemo non tribuet quin primas partes easque longe splendidiores fuisse Aemilii Paulli sibi persuadeat, Livii autem, si modo aliquo tempore particeps fuit belli, tam prae illis exiguas ut, cur ne habendis comitiis quidem praesto esse Romae potuerit, evidens caussa non appareat. Verum esto ut ille non adiuverit tantum Paullum in debellando Demetrio, sed cum eodem eius triumphi honorem communicaverit quem uni Aemilio Paullo Polybius etiam altero quodam testimonio tribuit quod est libri IV c. 66 (κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον Αἰμίλιος ἐκ τῆς Ἰλλυρίδος εἰςῆγε λαμπρῶς εἰς τὴν Ῥώμην τὸν θρίαμβον): ne sic quidem dictaturae necessitatem ullam fuisse intelleges, ubi ad tempora gesti belli Polybio duce animum adverteris. Quippe ὑπὸ τὴν ὡραίαν Λεύκιον τὸν Αἰμίλιον ἐξαπέςτειλαν μετὰ δυνάμεως ἐπὶ τὰς κατὰ τὴν Ἰλλυρίδα πράξεις capite 16 teste, ληγούςης δὲ ἤδη τῆς θερείας εἰς τὴν Ῥώμην ἐπανῆλθε καὶ τὴν εἴςοδον ἐποιήςατο μετὰ θριάμβου καὶ τῆς ἁπάςης εὐδοξίας c. 19. Ergo ab exitu aestatis satis profecto temporis relictum erat, quo consules fierent idibus Martiis anni proximi munus suscepturi.

Atque talibus quales pertexuimus ratiocinationibus etiam Sigonium motum esse suspicamur, ut 're in omnes partes diu multumque versata' (ipsius verba sunt) in anno 533 subsisteret cui Fabii dictaturam adsignaret, profectus ille a belli Histrici cogitatione quo implicati consules ab urbe afuissent. Quam quidem coniecturam fatendum est tantum commendationis habere quantum cui nihil obstet. Neque enim
ix de ipso bello illo plus compertum habemus quam a consulibus ambobus P. Cornelio M. Minucio (L. f.) gestum esse teste Zonara l. s. s., qui illos dicit πολλὰ τῶν ἐκεῖ ἐθνῶν τὰ μὲν πολέμῳ τὰ δὲ ὁμολογίαις ὑποτάξαι, gestum autem 'multo Romanorum sanguine' Eutropio III, 7 Orosioque IV, 13 auctore

ribus. Cum huius autem sententiae probabilitate haud scio an proximo vinculo alius rei quamvis dubia memoria coniuncta sit, ad quam nunc est transeundum. Quas enim in sinistra monumenti parte inscriptas sive litteras sive notas L·I·XXVI conspicis, quid tandem sibi velle dices? De quibus acriter meditatus denique 're in omnes partes diu multumque versata' in eo substiti ut illas non alio nisi ad *legiones primam* et *vicesimam sextam* spectare intellegerem, vel ut modestius loquar, mihi viderer intellegere: nam si quid novisti rectius istis, felicioris ingenii sagacitati lubens cedam.*) Non profecto eam memoriam ita interpretabimur, quasi de dictatoris legionibus cogitare liceat: nec enim extra Italiam bellum geri a dictatore potuit, nec omnino 'rei gerundae caussa' dictum dictatorem aetas illa, quae inter annos 505 et 537 interiecta est, ullum vidit certissimo teste Livio XXII, 8 et 11: nihil ut de Zonarae silentio dicam. Immo binas legiones consulares interpretamur, easque non P. Cornelii, sed a M. Minucio L. f. ad debellandos Histros eductas, pro quarum victoria votum Herculi Romae morans M. Minucius C. f. dictator fecerit. Legiones enim nominatim commemorari ut novum est in tanta votivorum titulorum multitudine, ita nec suapte natura iustam ea res dubitandi caussam habet, nec singularis ratio deest qua, quod usitatum non esset, illo potissimum anno et ab ipso Minucio esse factum coniciamus. Sed huc infra revertetur oratio. Maiori offensioni numerum futurum esse *legionis XXVI* suspicamur pro illorum quidem temporum rationibus. Non ignoramus adeo *tricesimae* mentionem fieri in titulo Beneventano ab Henzeno publicato syllogae Orellianae t. III n. 6669 *a*: C·CLODIO·P·F·STE·LEG·XXX ‖ ET·VALERIAE·SEX·L ‖ *the*ODORAE ‖ H·F·C: ubi verissime Henzenus 'et miles' ait 'et legio cognomine carentes aetatem satis antiquam testantur.' Quo accedere una e glandibus missilibus videri potest a Caietano de Minicis editis in Dissertationibus academiae Romanae pontificiae anni 1844, t. XI p. 189 sqq.: quae haec est in adiecta tabula chalco- x

*) [Vide infra Supplem. III p. VII sq. C. W.]


grapha n. 11 (iterata in P. L. M. E. tab. VIII, 17 [C. I. L. I n. 664]):

L XXX
V V

Vbi etsi, quid sibi velint VV litterae, nondum satis expeditum est, tamen non esse de *Vlpia Victrice* cogitandum quae Traianae aetatis fuit, sed de belli Marsici temporibus, quibus eam glandem communis cum aliis similibus ex Aprutinis proventus adsignat, iure suo editor Romanus p. 209 disputavit. Nam ipsius legionis XXVI etsi item exemplum in promptu est lapidis Vaticani apud eundem Henzenum n. 6493 [C. I. L. VI, 1 n. 1460], tamen hunc titulum ad Augusteam aetatem referendum esse iam Borghesius docuit Observ. numism. dec. I, 8 p. 153 sq. editionis luculentissimae eiusdemque exoptatissimae Parisinae. Verum illis tamen exemplis minime satis fieri concedendum est, ut quae septimum saeculum certo non superent antiquitate: nos autem in temporibus belli Hannibalici versamur, vel ut rectius dicam, in eis quae illud etiam antecesserunt. Per huius autem belli tempora Livium constat ultra *vicesimam* (XXVII, 14. 38) certo nomine h. e. numero legionem nullam memorare. Nec tamen id non casui dandum esse inde apparet, quod certis annis quibusdam a Romanis una pugnatum esse una et viginti (XXVI, 28. XXVII, 22) atque adeo tribus et viginti legionibus (XXVI, 1. XXVII, 36) idem scribit: quas quibus tandem nominibus nisi eis dictas putabis quae a numerorum serie ducerentur? quando cognomina aetas illa nulla novit. Accedit autem, quod maximi in caussa nostra momenti esse intellegimus. Qua enim necessitate illos numeros eos ipsos dices qui a *I* pertinent ad *XXIII*? An quicquam obstat quominus non renovasse Romanos pristina nomina, sed perrexisse numerando credamus, si quae legiones vel interiissent vel dimissae essent? Vt, si quo anno non plures quam quattuor essent, tamen eae non *I. II. III. IV* dicerentur sed, ut ipso exemplo nostro utamur, *I* et . . . et . . . et *XXVI*? Quod si ita se habuit, offendendi caussam omnem esse sublatam sentis. — Titulus sane Minucianus si ex eis esset, quorum apographa tantum maiorum aetas nobis prodidit, non dubitamus quin exstituri

essent qui probabiliores scilicet legionum numeros proclivi coniectura restituere animum inducerent: una enim inter- xi
punctione altero e loco translata in alterum haud paullo commodiores numeros dixeris IX·XVI prodituros. Nunc autem postquam insigni horum studiorum beneficio fidem lapidum firmare tam certo quam simplici ectyporum artificio didicimus, prorsus ineptus sit qui talibus argutiis delectetur. Et sexta decima substituta in locum sextae et vicesimae quid tandem proficias?

Dictator igitur M. Minucius C. f. anni 533 ille qua necessitudine cum ceteris eiusdem aetatis Minuciis Rufis contineatur, quoniam avi nomen additum non est in lapide Romano, non satis compertum. Potuit ille aut eius Gaii filius esse, quem Lucius Marci consulis pater patrem habuit, aut eius qui Gaio illo prognatus pater Quinti consulis exstitit, h. e. Lucii aut frater aut ex fratre nepos: id quod licebit stemmatis genealogici his exemplis declarare:



Nec utrum utri praestet, ulla cum confidentia ex aetatis annis inter se conlatis efficias, quando maior minorve natu esse frater fratre potuit. Non magis de patre eius M. Minucii Rufi constat, quem et praetorem a. 557 fuisse et postmodum alias res gessisse Livius auctor est l. XXXII, 27, alibi. Quem sat commode aut Marci consulis filium aut (modo prius stemma sequare) Quinti fratrem dicas, nisi ipsius esse dictatoris filius possit.

Dictaturam quod supra dicebamus raro pro illa aetate exemplo viro non consulari conlatam, mirabuntur fortasse

qui nulla id aetate non rarum fuisse et praeter legem factum enchiridiorum nostrorum scriptoribus crediderint, velut Beckero II, 2 p. 155 Langioque I p. 544. Et tamen longe aliud fasti consulares docent diligentius perquisiti. Nam etsi 'consulares legi' ipsa lex iubebat de dictatore creando lata
XII auctore Livio II, 18: tamen non 'aliquot' tantum exemplis illa neglecta est, sed per sat magnum temporis spatium quoddam tam frequens non consularium creatio fuit, ut adeo minore numero consulares appareant. Nam inde a principio si fastos perlustraveris, haec ratio prodibit quam infra scripsimus, Baiteri potissimum opera usi. Habes enim, nisi quid peccavimus numerando,

per annos	dictatores:	in his consulares	non consulares
253—387	XX	XIII	VII
391—433	XXVII	XII	XV
434—453	XII	omnes	
circ. 467	unum		unum
474—552	XXI	omnes praeter Minucium:	

quando anni 537 dictator L. Veturius Philo caussa non est cur alius esse atque consul anni 534 credatur. Ceterum in his indicibus consentaneum fuit et eodem cum consulibus loco tribunos militum consulari potestate haberi, et Gliciam illum non curari quem anno 505 indigno ludibrio dictatorem P. Claudius Pulcher dixit.*) Nec in calculorum illorum ratione universa quicquam mutari scito, si forte a ceteris dictatoribus eos esse discernendos opinere qui optima lege dictatores rei gerundae caussa fuere. Itaque quoniam tantam,

*) De ambiguis pro re nata breviter statuimus. Praeterea qui tamquam cum pulvisculo rem exhaurire voluerit, etiam distinctius poterit ea exempla designare, cum non consulares, sed qui vel dictatura (ut a. 336. 405) vel magisterio equitum (ut a. 323) iam prius functi essent, dictatores dicti sunt. Nec magistri equitum desunt qui, cum item consulares non essent, tamen iam antea vel eodem magisterio equitum (ut a. 405) vel ipsa adeo dictatura functi erant (ut a. 394: nam post dictaturam susceptum magisterium equitum etiam anni 419. 422. 429. 434 testantur). Qualia exempla ubi e ceterorum multitudine exemeris, calculorum nostrorum numeri paullulum immutantur, de vi et summa argumentationis nihil detrahitur.

quantam ab a. 391, i. e. a communicata cum plebeiis con-
sulari dignitate, ad a. 433 fuisse vides, non consularium mul-
titudinem inde ab a. 434 summa consularium constantia ex-
cipit, fieri vix potest quin de nova lege aliqua cogitemus,
qua circa illud ipsum tempus lata ad pristinam severitatem
dictatoris creatio revocata sit: cuius legis casu factum est
ut mentio nulla superet. Mansit autem ea severitas, si ab
uno Q. Hortensio anni circiter 467 discesseris*), ad M. Minu- XIII
cium per integrum saeculum, post Hortensium per annos
sexaginta quinque: unde intellegis non tantum raro exemplo,
ut dicebamus supra, sed rarissimo, immo prope singulari
non consularem Minucium esse dictatorem dictum. Licebit
igitur de singulari caussa aliqua tam insolentis rei suspicari:
velut de factioso studio gentilicio M. Minucii consulis, quo
is sive patruo sive fratri patrueli gratificaretur: nam ille
quam superbo intemperantique ingenio fuerit, quadriennio
post magister equitum satis probavit. Qualem caussam ubi
animo informaveris, illud quoque sat proclivi coniectura ad-
sequare, dictatorem quid potissimum moverit ut pro legio-
num Minuciarum salute atque prosperitate, excluso P. Cor-
nelii exercitu, votum susciperet. — Ceterum *Herculi* simpli-
citer votum ille faciebat pro victoria militari, pro qua etiam
usitatius *Herculi Victori* consules praetoresve plurimi. Vix
autem est quod moneamus nullo constructionis vinculo cum
ipso titulo principali legionum numeros contineri, sed seor-
sum in latere adscriptos esse consolita antiquitatis simplici-
tate. Quos licuerat, si placuisset et mos aetatis tulisset,
ceteris in fine sic nectere: VOVIT · PRO · L · I · XXVI vel
PRO · SALVTE · L · I · XXVI sive PRO · VICTORIA males.

*) Nisi forte huic alterum exemplum addendum est Cn. Fulvii Cn. f. Cn. n. Maximi Centumali dictatoris a. 491, sed tantum 'clavi figendi caussa' dicti: quem tametsi eundem haberi cum consule a. 456 video, tamen nescio an probabilius ab illo ut alium distinguas. — Alias quasdam eiusdem generis dubitationes hic persequi longum est. In contrariam partem, ut hoc utar, valet quod caussa non apparet cur a consule anni 402 diversus putetur magister equitum anni 422 P. Valerius Poplicola, vel a cos. a. 507 mag. eq. a. 530 N. Fabius M. f. M. n. Buteo.

Corollarii loco, quoniam de dictatura paullo explicatius diximus, non abs re fuerit etiam de magisterio equitum paucis significare, quamquam id ad inscriptionem nostram nihil pertinet. Nam de hoc quoque minus diligenter praecipi ab eisdem enchiridiorum scriptoribus intelleximus. Quorum ut incuriam breviter vitemus, magisteriorum illorum hanc proponimus, quae ad dictatorum indices accommodata est, annorum tabulam. Igitur sciendum est fuisse

per annos	magistros eq. consulares	non consulares
253—387	XIII	VII
391—433	VII	XXI
434—466	IX	IV
468—552	X	VII

xiv Vnde intellegitur ea aetate, quam alteram fecimus, prorsus similem rationem inter consulares et non consulares magistros equitum atque dictatores intercessisse, nisi quod multo etiam maior numerus non consularium fuit: post annum autem 433 minime esse eidem atque in dictatura severitati locum datum.

Superest ut reliquas inscriptiones tabulae I [XV] breviter percenseamus.

Itaque sub *B* speculi illius Cosani, quod in Monumentorum Instituti archaeologici Romani vol. VI tab. XXIV [C. I. L. I n. 57; cf. Add. p. 554] publicatum iteravimus P. L. M. E. tab. XI sub *M* [cf. supra p. 295], eam quae ad *Proserpinam* spectat epigrapham repraesentavimus novo exemplo duce ab Henrico Brunnio parato. E quo certo perspicitur, quod nomen adhuc credebatur PROSEPNΛI scriptum esse, hac potius specie esse: PROSEPNΛI⌇: cuius formae littera extrema pro cirro infra positi capitis habita est. Quae res ut perlevis momenti esse facile cuipiam videbitur, ita non nihil confert ad recte aestimandas genetivi primae declinationis vicissitudines, de quibus significatum est, non explicatum Musei Rhenani t. XIV p. 406 [supra p. 413]. Vbi quam sola ratione duce genetivi formam in *aïs* desinentem proponebamus, primo nunc ipsorum

monumentorum exemplo confirmare licet. De extrita in *Prose(r)p(i)nais* et *r* et *i* littera cum diximus alibi tum commodo dicemus. Genetivi autem cum alio casu in eodem monumento consociationem etsi per se non est cur magis mirere quam sociata MIRQVRIOS et ALIXENTROM in Berolinensi speculo, IVNO HERCELE et IOVEI in Kircheriano (nam nec de accusativo ΛLIXENTROM nec de dativo IOVEI dubitandum), tamen trium casuum in speculo Cosano iunctorum, VENOS nominativi cum DIOVEM accusativo et genetivo PROSEPNΛIS, simile quod sciamus exemplum nondum inventum est. Fatendum est enim de talium formarum ratione Francisci Buecheleri nostri quamvis subtili disputatione, quae est in Musei Rhen. t. XV p. 444 sq., certissimis de caussis nobis non persuasum esse. — Ceterum de veriore hac inscriptionis lectione ipse iam Brunnius admonuit in 'Bullettino' Inst. Rom. a. 1862 p. 6. [Cf. Supplem. III p. XII.]

Porro novam sub *C* tesseram gladiatoriam [C. I. xv
L. I n. 1537 p. 560; Ritschl Tesserae glad. n. 19 ibique tab. I *J*]

ANTEROS
ACILI
SP · ID · QVI
CN · COR · L · MAR

ad illarum multitudinem addidimus, quas a Clemente Cardinali olim congestas in Diplomatis imperialibus, Velitris editis a. 1835, non paucorum exemplorum accessione aetas nostra auctas vidit: quorum maiorem partem lithographi arte repraesentatam habes in P. L. M. E. tab. III sub *H*—*W* et suppl. tab. XCVII sub *H*—*M*. Publicavit illam nuper Henzenus in huius anni 'Bullettino' p. 81, acceptam a cive Romano Abbati: nos Brunnio debemus stanno expressam. Ad consules eam CN · COR*nelium P. f. Lentulum Marcellinum* L · MAR*cium L. f. Q. n. Philippum* anni 698 spectare in propatulo est. Eorundem consulum in alia tessera, quam post Marinium Act. fr. Arv. p. 823 cum Cardinalis p. 121

n. 177 tum Orellius n. 2561 [C. I. L. I n. 731; Ritschl Tess. glad. n. 20] exhibuerunt, has notas habes: CN·LE·L·PHIL·COS. Quodsi forte etiam annorum 697 et 699 novae tesserae prodierint, totius decennii illius, quod est ab a. 693 ad 702, annus nullus sua tessera carebit.

Item novum est, quod minime novi denarii Caesariani exemplum doceat sub *D* repraesentatum, perhumaniter illud nobiscum e penu suo ab Ariodante Fabrettio Taurinate communicatum, Glossarii Italici utilissimi conditore bene merentissimo. Et de nummo quidem ipso, qui anno 710 potius quam 711 esse tribuendus videtur, satis erit Mommseni qui in omnium manibus est librum commemorasse in historia rei nummariae Romanorum versantem, ubi de denario illo dictum est p. 652 et 658: nos in levicula re grammatica disceptanda haerebimus. Quippe longo ex tempore satis inter omnes constat, quam late inconstantia illa scribendi patuerit, qua modo poneretur modo omitteretur *n* consonans praemissa *s* litterae, ut in *deciens decies, lubens lubes, vicensimus vicesimus, Megalensia Megalesia, censor cesor, consol cosol, formonsus formosus, praegnans praegnas* et quae sunt reliqua. De quo cum grammaticorum testimonia tum titulo-
XVI rum codicumque exempla consolita diligentia C. L. Schneiderus composuit Gramm. lat. I p. 456 sqq. Tetigeruntque eam rem vel ex parte accuratius persecuti sunt per variarum disputationum opportunitates multi alii: nosmet ipsi Musei Rhen. t. XI p. 640, XVI p. 610 [= Opusc. II p. 715 et supra p. 488]: ex amicis autem praeter ceteros Guilelmus Schmitzius Marcoduranus ib. t. X p. 112 sqq., XI p. 300 sq., XVI p. 486 sq.: item H. A. Kochius Brandenburgensis ib. t. IX p. 305 sq., XI p. 640, XVI p. 160: Fr. Buechelerus Friburgensis ib. t. XII p. 132: immeritoque dubitans O. Ribbeckius Basiliensis ib. t. X p. 289: quibus Corsseni copias adde de l. l. enunt. I p. 97 sqq. Nec ratio latet istius scribendi inconstantiae: quae dubitari nequit quin ex ipsius enuntiationis ambiguitate repetenda sit, qua factum est ut nec plena consonans nec nulla audiretur, sed medius quidam sonus prorsus ad similitudinem obscuratarum in fine vocabulorum *m* et *s* litterarum. Quod autem novum esse diximus, hoc est, quod

eius enuntiandi ambiguitatis et tamquam mediocritatis certam notam a grammaticis esse inventam intellegimus, cuius primo nunc documento nummus ille Cossutii Maridiani Caesarianus prodiit. Neque enim aliam vim esse mirae PARE:S scripturae Fabrettius pervidit prorsus probabiliter. Nec tale institutum mirabitur qui, quot artificia grammatici latini ad exaequandam cum viva voce litteraturam excogitaverint quantoque in hoc genere studio elaboraverint, meminerit: quo praeter alia et geminatio vocalium pertinet et aspiratio consonantium et I longae inventio et EI diphthongi commendatio et apicis usus et sicilici, item graecae Y litterae: nihil ut de litteris Claudianis dicam. Nec vel aetati Caesarianae vel nobilissimo grammatico Caesari ipsi talium studiorum consiliorumque sectatores atque administri defuere: quales Cornelium Epicadum suum Sulla habuit, Lenaeum Pompeius, Augustus Verrium Flaccum. De quo iam Musei Rhen. t. IX p. 14 [supra p. 227] significabamus, explicatius alibi commentabimur.

Supplementum II.*)

(Cum tabula lithographa**)).

E priscae latinitatis titulis, qui novi in promptu sunt, eos tres hoc altero Supplementorum fasciculo sociavi, quos tabulae unius ambitu commode posse comprehendi viderem. Eorum primum, *A*, nondum editum in his terris, sumpsi ex Iulii Minervinii 'Bullettino' archaeologico Italico, ubi exemplo chalcographo expressus est in tab. add. *A* voluminis I (anni 1861), fusiore commentario enarratus a Dominico de Guidobaldi ibid. p. 113 sqq. et 129 sqq., denuo paucis tractatus a Raphaele Garruccio p. 165 [C. I. L. I n. 1505 p. 559]. Repertus est titulus in agri Caleni ea parte cui *vico Palatio*

*) [Prooemium Indicis scholarum aestivarum Bonnensium anni CIↃIↃCCCLXIII. C. W.]

**) [Olim huic commentationi adnexa tabula nunc sub XVI iterata est. C. W.]

nomen fuisse ex alio lapide intellectum est quem habes in 'Bullettino' arch. Neapol. nov. t. VII p. 15, haud procul a vestigiis viae Latinae: non ille sub diu, sed in cameris subterraneis alicuius vel cloacae vel potius aquae ductus, quarum muris opere tectorio inductis litterae penicillo inscriptae sunt colore atro. Praeter eam autem in qua versamur, eiusdem modi altera inscriptio apparuit non in muro recto sed in fornice picta, verum ea mutila in hanc speciem:

P V R G
D I O D O R
I D E M

Et prioris quidem tituli interpretandi otium nobis Garruccius fecit, a quo pleraque recte expedita sunt. Neque
IV enim esse dubium potest quin sic legendum sit, contra atque Guidobaldio visum qui de *mense introeunte* cogitabat satis mirabiliter:

L · C O R N E L*io*
CINNA COS ITER*um*
PVRGATVM MENSE INT*e*R*kalari*

hoc est anni u. c. 668 eo tempore quo post C. Marii mortem, qua is in ipso magistratu obiit mense Ianuario, novo conlega (L. Valerio Flacco) nondum facto unum Roma consulem L. Cinnam habuit. Quodsi omissam in monogrammate E litterae notationem offendas, est hoc sane paullo insolentius*), sed tamen eo minus ponderis habens quo facilius e

*) h. e. in lapidibus: nam a nummis similia non aliena esse Mommsenus adnotavit Hist. rei numm. p. 469. Quo et illud monogramma pertinet quo sive MTEL sive METL litterae coiugatae sunt praetermissa E alterutra, et NFL in CN FoLV, et I litterae omissione singulares ligaturae NTF in PONTiF, PH in PHiLI: ad quod genus e lapidum titulis prope accedunt Ṫ et Ṅ pro TI et INT, quae designavi nuper P. L. M. E. Enarr. p. 72 et Indicum p. 114[c] ima. — Ceterum quadruplicis nexus lapides quidem antiquiores unum quod sciam exemplum praestant tituli Campani P. L. M. E. tab. LXIII *B* [C. I. L. I n. 566], in quo APVL litterae in unum coaluerunt. — Vtor autem hac opportunitate ut errorem Indicum illorum palaeographicorum corrigam: in quibus cum GA cognomen posui p. 115[b] med. Mommsenum secutus, debebam potius in nexibus litterarum p. 113[a] ima LA addere

pleniore, qua fortasse usus est pictor, nota NR una evanescere vel oculos fallere lineola potuit. Omninoque scripturam huius tituli reputandum est non recte cum eis titulis contendi qui scalpro caelati multo severiorem normam servant, verum ut penicillo pictam ad illius generis haud paullo licentioris aliquam similitudinem accedere quod scriptura *cursiva* comprehenditur: id quod cum ex L litterae figura obliquiore v tum ex R T I litterarum extremitate partim sinuata partim angulata cacuminataque et tamquam securiclata apparet. Ceterum INTER syllabis mensem intercalarem notatum habes etiam in epitaphiis Sancaesarianis sive Somascanis ab uno Baldinio servatis, in P. L. M. E. tab. XIII n. 21 [C. I. L. I n. 835]: paullo brevius INTE ibid. n. 46 [C. I. L. I n. 899]: contra plenius INTERK n. 69 [C. I. L. I n. 970], INTERKAL n. 74 [C. I. L. I n. 984].*)

Affinem titulum alterum miro consilio Garruccius sibi persuasit cum priore sic sociandum esse: *L. Cornelio Cinna consule iterum (castellum) purgatum mense intercalari. Purgavit Diodorus idem.* Duos cum esse diversissimis in locis eiusdem camerae scriptos Guidobaldius testetur apertissime, haud paullo probabilius tali potius exemplo suppleveris:

PVRG*auit* (*L . . . . L. l.*)
DIODOR*us* (*cur. aquar.*)
IDEM*que* (*refecit*)

---

inque titulo illo tab. LXIII *C* [C. I. L. I n. 568] GLA legere h. e. GLA*brio* ut exemplo utar. Contra cognominum breviatorum recensui praeter GLA addi poterat LIB e tab. LXII *E F* [C. I. L. I n. 1226. 1224]. Item notis vocabulorum p. 117[a] sub *g* praeter FI pro F etiam FIL ex eiusdem tabulae (quae aliquo casu videtur indiligentius excerpta esse) titulo *G* [C. I. L. I n. 1225]: paullo autem post praeter HAR etiam HARISP ex Enarr. p. 97 *M* [C. I. L. I n. 1312]. Illam autem FIL notam hoc aegrius omissam fero quo commodius ea uti possum ad didascaliae Plautinae lectionem, quam Parergon p. 282 sqq. commendavi, etiam certius firmandam: M *i*UNIO M FIL *p*R U*r*B. Nec alia exempla desunt, velut Praenestini tituli Petrin. p. 308, 42, Puteolani I. R. N. 2517 (Orell. 5037). — Praeterea sero vidi p. 118[c] summa sub *l* aliqua oblivione non esse P*edes* et P*assus* notas distinctas.

*) [Cf. supplem. III p. XIII; IV p. VI sq. C. W.]

Nisi quod versu altero etiam DIODOR*us mag. aqu.* vel aliquid simile scriptum esse potuit.

Abhinc biennium cum Musei philol. Rhenani vol. XVI p. 612 [supra p. 491] ad lapidem Praenestinum satis memorabilem animum advertissem, quem etiam nunc exstare e Garruccii in Annal. inst. arch. t. XXXII p. 237 mentione didicissem, mox precibus meis expugnatus Guilelmus Henzenus transmisso eius tituli ectypo chartaceo non mediocriter me sibi esse devinctum voluit. Quo exemplo etiam tum Romae servato Theodorus Mommsenus usus paucis de eo titulo commentabatur in 'Bullettino' Inst. arch. a. 1862 m. Martii p. 38 sq. Quae disputatio cum certos quosdam scrupulos in animo meo reliquisset, a singulari Henzeni comitate facile impetratum est ut novum in usus meos ectypum pararetur, quo cum priore illo religiose conlato talem nunc titulum ad ipsam fidem veritatis repraesentare licuit qualem tabula nostra sub *B* exhibet.

Hauseram autem eius inscriptionis notitiam e Leonardi Cecconii episcopi Montaltensis 'Storia di Palestrina' Asculi
VI a. 1756 edita, qui repertam 'tra le rovine esistenti presso la Chiesa della Madonna dell' Aquila' testans hoc eius exemplum posuit p. 39 [= C. I. L. I n. 73; cf. Add. p. 554]:

A P O L O N . . . .
M E T I L I O . . . .
MAGISTER. . . . . .
C O R A V E R O . . .
CANICIO L.S . . . . (T*) supra S)
R I A N D O . . . .

*) sic

Vnde profectus Petrinius in 'Memorie Prenestine disposte in forma di annali', Romae publicatis a. 1795, minus accurate repetiit p. 333 n. 25 et iterum p. 341 n. 76, repertam 'presso l'antico Foro' dicens. Fracti in duas partes lapidis valde dolendum est inferiorem partem ita uti tabula nostra docet in medio versu antepaenultimo divulsam nunc periisse.

E vetustioribus hunc titulum esse cum satis et ᒪ et Γ litterarum forma et neglecta geminatio et alia quaedam doceant antiquitatis propria, tum vetustissimis adnumerandum h. e. aut ineunti saeculo sexto aut quinto exeunti tribuendum esse e servata in *Metilio Anicio,* item in *coraveront* (vel fortasse *coraveron*) prisca declinatione certissime perspicitur: quando de *magistere* vel *magisteres* an *magisterei* vel *magistereis* non potest non anceps esse iudicium. Quantum autem sit quod in dextra parte perierit, facile e versu altero efficias, quo necesse est duos magistros sociatos esse. Quorum alterum cum Mommsenus sibi persuasit S praenomine fuisse, etsi in altero ectypo videri potuit tenuissima quaedam umbra eius litterae, spectans ad eius pedem, superesse, tamen nec in altero ullum illius vestigium apparuit nec quicquam eiusmodi Petrus Cicerchia Praenestinus, vir longe humanissimus, denuo examinato lapide testatus est. Esto tamen ut locus sive *Spurio* sive *Servio* detur: at ita eodem saltem iure, quo ad posteriorem magistrum ipsum, ad prioris patrem tale praenomen rettuleris: patrum enim notatione aegre carebimus ad eum versum complendum, cuius principio necessario etiam praemissum fuerit ipsius *Metilii* praenomen. Vt in pauca ratiocinationem nostram omnem conferamus, talem fere proponimus, aliquod ut exemplum exstet, integrae inscrip- VII
tionis speciem probabiliter ut putamus restitutam:

A Γ O ᒪ O N[E(I) · TVTELARE(I)
S·]M E T I ᒪ I O[·S·F·M·OPIO·M·F
M A G I STERE[(IS)·FACIVND
CORAVERON[T·DE·CONL·S
C·ANICIO·ᒪ·$\overset{T}{S}$[·L·APELA·VA
R I A N D O[·PRAEFVIT

Versu 1 AΓOᒪON*ei Putio* proponebat Mommsenus: *Tutelarem* praetuli, quod eius cultum Praenestinum titulus testatum facit a Vulpio publicatus Veteris Latii t. IX p. 128, unde Cecconius p. 56 neglegentius iteravit*):

*) Nec enim recte tribui Tiburi videri potest apud Gruterum p. 77, 1, cui miserat 'Vrsinus describente Gutenst.', descriptum autem in hunc modum:

FORTVNAE · PRIMIGENIAE
SIGNVM·APOLLINIS·TVTELARIS
L·ELVIVS·FELIX·PATER·CVM·FILIO
ET · CLAVDIA · SABINA · MATER
V · S

VIII Quamquam sua sponte intellegitur multis aliis dei cognominibus esse locum posse. Versu 2 positus *Metilius* alios cognomines in Praenestinis quod sciam non habet: nisi quod MAETILIA · SEVERA · CONIVX est apud Cecconium p. 184 (Petrin. p. 371, 51). Versu 3 *magistros* intellege *magistros Apollinis*: quales praeter alios in Henzeni indicibus compositos p. 51 sq. praesto sunt in titulis Campanis P. L. M. E. tab. LXIII—LXV [C. I. L. I n. 565—575] MAGISTREIS · CERERVS, MAGISTREIS · VENERVS · IOVIAE, CONLEGIVM · SEIVE · MAGISTREI · IOVEI · COMPAGEI, et item simpliciter aliquotiens MAGISTRI non addito dei nomine. Vnde fit ut versu 4 commodius subici DE · CONL*egi* S*ententia* videatur quam vel EX · D · D vel DE · S · S: quamquam potuit ibi sane etiam ΓEC · SACRA vel DE · STIΓE scriptum esse, credibilius id quidem saltem quam AERE (vel AIRID) ΓOΓL vel ΓOΓL · ΓEC. Versu 5 dubium esse vix po-

---

F O R T V N A E
P R I M I G E N I A E
SIGNVM · APOLLIN
TVTEL
L · HELVIVS · FELIX
PATER · CVM · FILIO
ET
CLAVDIA · SABINA
MATER
VOTO · SVSCEPTO
S · P · L · M

Quod exemplum Petrinius sequitur p. 301, 20. Vtrum autem exemplum ad fidem veritatis propius accedat, non prius certo scietur quam Henzeni virtute cum Vrbis tum Latii inscriptiones omnes conlectae, digestae, emendatae ita prodierint ut communi usui pateant. Quod quidem consilium longe saluberrimum valde optandum est ut exspectationem nostram ne nimis diu frustretur: quando grammaticam quidem disciplinam certum est tam uberem, quam ex hac parte, fructum e nulla alia communis operis luculentissimi percepturam esse.

test nostra sententia quin binorum ut saepe Aniciorum libertus dicatur, *Luci* et ST*ati*. Pro quo rariore praenomine cum lapidarius S scripsisset imprudens, cognito errore supra positum esse T et consentaneum est et simillimis exemplis evidens. Velut non aliam in partem valet in Aquilano titulo P. L. M. E. tab. LX *C* [C. I. L. I n. 1298] BRVT^{T}IVS scriptura, quae ipsi Henzeno Orell. n. 6235 fraudi fuit: quo alia non pauca adde ex aeribus potissimum congesta Indicum nostrorum p. 121^{a}. Ipsam autem Aniciorum gentem in Praenestinis non ignobilem fuisse cum cetera eius nominis exempla faciunt ut credamus: ANICIA·M·F et L·ANICI·V·F P. L. M. E. tab. XLV, 1. 2 [C. I. L. I n. 77. 75], quo ANICIA Henzeni accedit in Annal. Inst. arch. a. 1855 p. 78 n. 3 [C. I. L. I n. 76], item ANICI in mutilo lapide Petrinii p. 324, 4: tum praeter cetera Petrinianus titulus p. 321, 21 persuadet qui est talis: BASSI | ANICIO·AVCHENIO | BASSO·V·C· PROCONS | CAMP·PROVISORI·EIVS|DEM·PROVINCIAE· RES|TITVTORI·GENERIS | ANICIORVM·OB·MERITA | EIVS·INLVSTRIA | ORDO·POPVLVSQ·CIVITA| TIS·PRAENESTINAE·PON·CENS.

Quodsi, quid Aniciorum libertus ille Gaius egerit, quaeris, in promptu est probabiliter respondere. Sive enim recte legisse Cecconium RIANDO credideris (et in reliquis certe fidem ille minime destituit), seu forte RTANDO potius scriptum fuisse conieceris (quam lectionem non excludit saltem dispescendi vocabuli ratio insolentior), ullum quod quidem huc quadret verbum latinam linguam praestare negandum IX
est praeter unum *variando*: id quod pro se ipse, quicumque experiri volet, cognoscere poterit.*) *Variando* autem illud haud cunctanter interpretabimur vel *coloribus distinguendo* vel fortasse *opere picturato*, sive *tectorio* aut *tessellato* males, *variegando*. Nec in hominem libertum infitiabere tale artificium imprimis convenire: quod vel arae vel fano vel alicui sacello Apollinis exornando adhibitum est. Accedat igitur, si per


*) Vix enim inventum iri opinamur qui velut ST|RIANDO· EXORNAVIT vel aliquid simile commendet argutiore mehercule quam subtiliore commento.

Brunnium nostrum licebit, artificum Italorum paucitati novus sive artifex sive opifex C. Anicius L. St. l. Praenestinus: accedat ipse titulus eorum documentorum multitudini, quibus maturum fuisse apud Praenestinos artis usum vitaeque cultum elegantiorem pridem perspectum est.

Restat ut rem grammaticam paucis expediamus. Ac primum quidem *Apolonis* declinatio quae et exempla haberet et quam rationem, satis olim disputasse videmur Musei phil. Rhen. t. XII p. 109 et 476 sq. [= Opusc. II p. 493 sqq.], quo adde nuper dicta P. L. M. E. Enarr. p. 3 et 99.*) Deinde *magisteri* dicti pro *magistris* non modo offensioni, sed ne mirationi quidem ulli sunt. Quid enim quaeso discriminis, si rationem spectas, inter illam formam et has sat confessas intercedit quae sunt *dextera dextra dextrovorsum*, *supera supra*, *infera infra*, *periculum periclum* cum similium multitudine, *calecare* (*calicare*) *calcare*, *Hercules Hercles hercle*, item *Tecumessa Tecmessa* cum finitimis? quod genus universum breviter persecuti sumus Monum. epigr. trium p. IX [supra p. 172] sqq. Solo igitur arbitratu linguae posterior aetas *magistrum* simul et *magisterium* probavit, ut *ministrum* et *ministerium*: pro quibus, si modo placuisset, poterat etiam *magistrium* et *ministrium* adscisci. In his autem etsi subsistere possum, tamen non verebor ultra progredi ratiocinando eamque rationem iam confidentius commendare quam l. s. s. p. XI [supra p. 174] adnot. cum dubitatione significabam: ut triplici successione, sive quadruplicem dixeris, lingua credatur a mollioribus formis exorsa ad contractarum asperitatem transiisse in eaque per certam aetatem constanter perstitisse, ab hac autem duritie per decursum saeculi quinti ad pristinam suavitatem reversa eis demum temporibus, quibus est a poetis
x et scriptoribus exculta, asperiores formas certo temperamento cum dilectu quodam resuscitasse. Quod genus latius patere intellegitur quam cui cum pulvisculo exhauriendo hic sit locus datus. Tertio loco designanda est *corare* scriptura,

*) [Praeterea addas novum exemplum APOLONE quod prodiit ex inscriptione Calena, quae in tertio Priscae latin. epigraph. supplem. p. III (infra p. 520) et in tabula adiecta sub *A* edita est. C. W.]

cuius alterum exemplum nullum superat, ratio nequaquam latet. Quam iam Mon. epigr. trium p. 4 sqq. 34 [supra p. 116 et 157] sqq., Museique Rhen. t. XVI p. 611 [supra p. 490] sqq. ita explicavi ut affinium formarum originem atque cognationem iam liceat hoc tamquam stemmate inlustrare:



Postremo ne quid praetermittatur, uno verbo monendum est de M litterae ea figura quae mediis lineis solito brevioribus picta sit. Quae figura, nummorum potissimum propria, quae rariora exempla etiam in lapidibus habeat, cum Musei Rhen. t. XIV p. 140 sq. 284 sq. [supra p. 331 sqq. et 335 sqq.] exposui tum plenius in P. L. M. E. indicibus palaeographicis p. 112 enotavi.

Cum novitatis tum antiquitatis tum artis gratiam habet quod sub *C* monumentum exhibuimus: cuius nobis pictura linearis peramice a Detlefo Detlefseno missa est Parisiis.*) Ibi enim ab homine privato, cui Piot nomen, possidetur emptum Neapoli. Fundum esse fractae paterae Detlefsenus scribit creta subrufa fictae nitidoque atramento oblitae prorsus ad similitudinem vasorum in Italia inferiore repertorum. In qua testa impressum, non pictum, cum ranula scorpionem mirum non est minori nobis curae esse quam item impressum ATILIO nomen, sive id possessoris fuit sive, quod praestat haud dubie, opificis figuli. Nec enim anno circiter 520 recentius opus esse, servata in terminatione O vocalis

*) [Cf. Supplem. III p. XIV (infra p. 532 sq.); IV p. XVI (infra p. 555) et Ephem. epigr. I p. 10 n. 12^{b}. C. W.]

XI sat certo argumento est. Praeterea quae adhuc innotuerunt Latinorum antiquiorum fictilia litterata satis constat circa confinia Latii et Etruriae reperta esse omnia: e Campania nullum quod sciamus praeter hoc ipsum prodiit, nisi forte in eius societatem notabile fragmentum musei Kircheriani illud adsciscas quod in P. L. M. E. tab. X *H* et propius ad verum Enarr. p. 101 ima [supra p. 290] repraesentavimus, cuius quidem origo ignoratur [C. I. L. I n. 166]. Sed de his omnibus uberius se ipsum disputaturum in Gerhardi diariis archaeologicis Detlefsenus significavit, ut nobis quidem in uno esse Atilii praenomine subsistendum videatur. Cuius notam utrum H an K dicas, valde esse ambiguum video. Et ipsam quidem figuram si spectaveris, fatendum est aliquanto propius illam ad H litterae speciem eam accedere quam paucis sed eisdem certis exemplis ostendant aliquot nummi Hatriani antiquissimi P. L. M. E. tab. V. VI, item una e glandibus missilibus tab. VIII, 28 [C. I. L. I n. 670]. Nec deest, quo illa coniectando referatur, *Herius* praenomen: cuius etsi alibi haec nota est HER (P. L. M. E. t. II *E* = XCVII *B* [C. I. L. I n. 62]), tamen quem ad modum et VA et VEL et VO et iuxta, minime vitata ambiguitate, simplex V in usu fuerunt, item et SAL et SA et SER et SEX et SE et simul simplex S, ita multo etiam commodius fieri potuisse concedendum est ut etiam H simplex probaretur. Sed tamen nescio quo tamquam instinctu eo ducor ut facilius putem de neglegenter picta K littera etiam sine exemplis cogitari: quod praenomen si in eis quae supersunt monumentis vetustis perrarum est (velut ꟿ · FΛBRICI · K · F in titulo item Praenestino P. L. M. E. tab. XLV, 9 [C. I. L. I n. 107]), at minus rarum olim fuisse ipsius vetustatis testes recentiores docent h. e. fasti consulares. Qui etsi a tertio potissimum ad quintum saeculum in gentibus Fabia Duilia Quinctia frequentatum monstrant, tamen ne sexto quidem illud prorsus obsolevisse K. Quinctius Flamininus Livii XXII, 33 et M'. Acilius L. f. K. n. Balbus cos. a. 604 argumento sunt. Licebit igitur opificibus latinis probabiliter nisi fallimur figulum Caesonem Atilium Campanum sociare quinti saeculi exeuntis vel ineuntis sexti.

Ceterum, ut ne hoc quidem silentio transeam, praemissa inscriptioni puncti nota, nisi species prorsus fallit, non est casui tribuenda. Quod genus quantumvis rarum sit, tamen certa quaedam plumborum exempla habet quae Indicum palaeographicorum p. 119[b] med. composui.

Quarto loco non fuerit iniucundum cognitu, quod tandem verum supplementum sit dimidiatae lamellae illius Bononiensis vetustissimae, quam ab Ariodante Fabrettio Taurinate primum publicatam Glossarii Italici p. 802, post Detlefseno adiutore a nobis repraesentatam P. L. M. E. p. 97, pluribus disceptavimus Musei Rhenani t. XVII p. 605 sqq. 640: quo adde ab amicis contra dicta ib. XVIII p. 141 sq. [Vide infra n. XXIII; cf. C. I. L. I n. 812. 813; VI, 1 n. 357.] Quippe litteris humanissimis Raphael Garruccius nos certiores fecit nondum fractae tabellae, dum Romae est, accuratissimum exemplum delineando paratum esse inscriptionem integram talem praestans: XII

IVNONE · ⊢OVCINAI
○ ○
DIOVIS · CASTVD · FA⟨ITVD

Quod exemplum ubi servetur, tacente Garruccio incompertum nobis. Et DIOVIS quidem illud divinando assequi nemo potuerat: quando de castu Cereris constabat deque Magnae matris castu, non item de castu Iovis vel Diovis. Sed et cASTVD, quod substantivum interpretati sumus, et participii ablativum FACITVD, h. e. *castu facto*, eas quidem coniecturas quod plane nunc confirmatas intelleximus, non potuit non pergratum accidere. Ceterum delineatum exemplum illud, si modo per Garruccii liberalitatem licebit, proxima tabula III [XVII] proponemus. [Cf. Supplem. III p. XV (infra p. 533) sqq.; IV p. XVII (infra p. 556) sq.]

Supplementum III.*)

(Cum tabula lithographa**)).

III Novum nuper incrementum vetustae latinitatis, h. e. eius quae circa tempora primi belli Punici fuit, memoriae ex eo titulo accessit quem in horum Supplementorum tabula III [XVII] sub *A* repraesentavimus ad exemplum a Dominico Lib. Bar. de Guidobaldis Neapolitano pari liberalitati comitate nobis concessum. Quem ille titulum cum in 'Bullettino' archaeologico Italico, vol. II p. 23, primus publice proposuit, tum in 'Monumentorum Calenorum' libro singulari, nondum foras dato, aeri incidendum curavit in tab. III sub 2. Quippe prodiit iste ex agro Caleno, stilo inscriptus cistellae rectangulae e terra cocta fictae, inscriptus autem ante cocturam et in latere quidem antico aperturae apto.***) Ceterum sat planam intellectu inscriptionem habes:

C · HINOLEIO · C · L
APOLONE · DONO · DED

i. e. *C. Hinnuleius C. l. Apollini donum ded(it)*. Et eius quidem declinationis, quae est *Apol(l)onis* casu altero, hoc iam tertium ex monumentis exemplum prodit, praeter ea quae in poetarum scriptorumque libris servata cum alibi tractavimus tum nuper tetigimus Supplem. II p. IX [supra p. 516]. — Ad litteraturam autem quod attinet, nimius fuit Guidobaldius
IV novam singularemque E litterae figuram eamque tamquam suo peculiari iure fruentem hanc constituens |:. Nec enim eius figurae insolentia alia ratione censenda est atque qua

---

*) [Prooemium Indicis scholarum hibernarum Bonnensium annorum CIƆIƆCCCLXIII et LXIV.]

**) [Tabula olim huic commentationi adnexa nunc sub n. XVII iterata est. C. W.]

***) Totius cistellae figuram, una cum manu humana cuius palma porrecta illa tenetur, eleganter coloribus pictam vides in eiusdem Guidobaldii tab. III *A* fig. 2 *a*: quae mihi tabula dum haec scribo demum perofficiose transmittitur. Nec incommode de acerra cogitare Guidobaldium patet. Ceterum servari hoc monumentum hodie in 'museo nationali' Neapolitano sciendum est.

aliae quoque in eodem titulo litterae lineis non coeuntibus hiant: H /V ⊦ D Λ. Qualia exempla in P. L. M. E. indicibus palaeographicis p. 119° designata non adeo pauca habes. — Ceterum cultus Apollinis quam cordi fuerit Calenis, recte Guidobaldius monuit satis e nummis illorum intellegi, quales cum apud Carellium repraesentatos vides tum in P. L. M. E. tab. VII, 35 [C. I. L. I n. 15].

Ad Praenestinam antiquitatem reliqui tituli pertinent hac tabula consociati: quorum ectypa chartacea a viro praestantissimo Petro Cicerchia Praenestino accepta amice ut solet Guilelmus Henzenus nobiscum communicavit.

Et de eo quidem quem sub *B* posuimus paucis idem significavit in 'Bullettino' arch. Rom. a. 1863 p. 8, receperatque eum iam Mommsenus in Corpus inscr. lat. vol. I p. 562 n. 1541. Nec plus quam ab illis vel lectum est vel intellectum, nobis expiscari licuit: tam misere corrosum vel ut verius dicam deruncinatum lapidem tam mutilae hodie reliquiae pristinae scripturae occupant. Quod ut quale tandem esset et unde factum prorsus resciscerem, Wolfgangum Helbigium Dresdensem, disciplinae Bonnensis tam gnavum quam officiosum alumnum, facile precibus meis movi ut adito Praenestinorum oppido saxum illud diligenter examinaret deque eo haec ad me referret quae infra scripsi fide verborum servata.

> 'Die praenestinische Turpenusinschrift befindet sich auf einem Steine, in welchem man, da er für eine Bildsäulenbasis zu klein ist, nach allen Analogien eine Ara erkennen muss. Auffällig ist die Schmalheit der beiden Seiten, welche hinten an die Inschriftseite ansetzen. Schon dies macht es wahrscheinlich, dass die hintere Hälfte der Ara abgeschlagen ist. Zur Gewissheit wird diese Ansicht dadurch, dass sich in demselben Garten, wo sich die bisher bekannte Hälfte vorfindet, auch die andere erhalten hat. Denn dass die beiden Steine zusammengehören, lehrt einmal die vollständig identische Beschaffenheit der Leisten und Hohlkehlen, welche die Basis der beiden Steine bilden,

ferner die Vergleichung der Maasse. Bei beiden beträgt die Breite der Hauptfläche (d. i. bei der bereits bekannten Hälfte der Fläche, auf welcher sich die Inschrift befindet) 0,41 M., die Länge derselben vom Ende der darüberreichenden Leiste bis zum Beginn der ersten unten an der Basis befindlichen 0,5, die Länge der untersten und grössten Leiste der Basis 0,6. Der Peperin ist bei beiden Steinen derselbe. Diese durchgehende Uebereinstimmung kann nicht Zufall sein, sondern beweist schlagend die ursprüngliche Zusammengehörigkeit der beiden Fragmente. Die Ara war ursprünglich auf allen Seiten mit Inschriften versehen, so auch auf der Fläche, welche der mit der Turpenusinschrift gegenüberlag. Doch ist diese von moderner Hand mit dem Meissel derartig bearbeitet, dass von der Inschrift nichts zu lesen ist und lediglich noch einige Hasten von Buchstaben bemerkbar sind, von denen sich nur so viel sagen lässt, dass sie etwas kleiner sind als die der bekannten Inschrift der Gegenfläche. Man sieht deutlich, dass die Ara absichtlich gespalten und die beiden so gewonnenen Steine mit dem Meissel bearbeitet worden sind, wahrscheinlich um sie als Bausteine zu verwenden. Auch die Flächen, welche durch den Spalt entstanden sind, sind bereits an vielen Stellen bearbeitet und geglättet, so dass unter diesen Umständen eine Correspondenz der Brüche der beiden Fragmente unmöglich ist. Auch die Turpenusinschrift selbst ist durch Meisselhiebe hart mitgenommen und die Destruction ihrer rechten Seite daraus zu erklären. Am Originale selbst ist es leicht die Meisselspuren von den Hasten der Buchstaben zu unterscheiden, schwierig im Abklatsch. Ich bemerke daher, dass in der ersten Zeile die Lesart TVRPENO PΛ˥ unumstösslich feststeht. Nach dem Papierabdrucke möchte man geneigt sein, zwischen den Lesarten PΛ und ΛΛ zu schwanken. Doch ist das, was man für die linke innere Hasta eines ΛΛ halten könnte*),

*) In eis quae mihi missa sunt ectypis duobus eiusmodi nihil apparet.

wie die Betrachtung des Originals lehrt, entschieden ein Meisselhieb, welcher die in ihrer ganzen Länge deutlich sichtbare linke Hasta des A schneidet.'

Haec igitur cum ita sint, mirum non est nihil hodie superstes esse praeter has litteras, quarum certas plene perscripsimus, mutilarum apices pro re nata supplevimus*):

TVRΓENOΓATRI
CVATRON ALIN
LORCEVIV
Γ R

Turpeni dei non minus obscura nobis quam aliis memoria. VI
— Versu 2 interposita inter N et A lacuna cum quattuor tantum aut summum quinque elementorum capax sit, praestabit Mommseni supplemento C·VATRON*ius* .. *f.* *s*ALIN*us* paullo brevius hoc C·VATRON*i* .. *f.* *s*ALIN ... Ita enim quod iuxta positas habes plenam ORCEVIV*s* et breviatam VATRON*i* formam, id quam saepe factum sit exempla docent Indic. palaeograph. p. 115b a nobis composita. — Ceterum has ipsas gentes Praenestinas, cum Vatroniam tum etiam frequentiorem Orceviam, satis iam novimus ex illis titulis quorum tantam nuper multitudinem sepulcretum Praenestinum in lucem prodidit.

Huius enim sepulcreti cum post Henzenum Mommsenus C. I. L. I n. 74—165 duos et nonaginta titulos composuisset, e quibus unum et sexaginta lithographi arte imitati sumus P. L. M. E. tab. XLV. XLVI. XLVII et XXXVI, mox quattuor novi a Cicerchia Henzenoque missi in eiusdem Mommseni Addendis p. 555 accessere. Rursus hos ei nunc septem excipiunt quos sub *C*—*J* repraesentatos intuemini: omnium ut numerus iam sit ad CIII auctus. Sunt autem hi quos infra posui.**)

D	[Ephem. epigr. I p. 19 n. 46]	CESTIA · Q · F
E	[Ibid. p. 20 n. 47]	CINCIA · C · F

*) [Cf. Supplem. IV p. XIV (553) sq. C. W.]
**) [Cf. Supplem. IV p. XV (554 sq.). C. W.]

H	[Ibid. p. 23 n. 70]	SEX · GEMINIO · SEX · F
G	[Ibid. p. 24 n. 79]	L · MANICI · M · *f* vel *l*
F	[Ibid. p. 26 n. 94]	L · PLAVTIO · M · F · L · N
C	[Ibid. p. 28 n. 107]	SAVFEIA
J	[Ibid. p. 28 n. 112]	C · TAPIO · SEX · L

In quorum lectione nihil ambiguum praeter unum *G* titulum: quem non profecto potueramus ita uti fecimus interpretari, nisi tum cum repertus est ipsum MANICI nomen legi potuisse Cicerchia testatus esset. — Ceterum e gentibus Praenestinis illis quattuor iam noveramus e ceterorum titulorum varietate: Cestiam Plautiam Saufeiam Tapiam; novae tres accedunt Cincia Geminia Manicia. Praeter L. Plautium au-
VII tem unus solus in tanta multitudine exstat qui cum patris etiam avi notam iunctam habeat: M · OPIO · M · F · L · N n. 125, sed is quidem aliquanto recentiorem aetatem aperte testans.

Quos in tab. III [XVII] titulos proposuimus, quoniam uberiorem enarrationem nec requirunt nec admittunt, iuvat exspatiando ad Supplementorum fasciculos I et II paucis reverti eorumque quae illic commentati sumus aliquod

AVCTARIVM

subicere.

Et ad tab. I [XV] A quidem i. e. titulum Minucianum illum quod attinet, dolendus est error quidam nec mea nec aliena culpa natus, a quo cum proficiscerer, fieri perfacile potuit ut a vera via aberrarem. Nam cum Brunnii verba, quibus reperti monumenti quae condicio esset ad me rettulit, de tribus saxis interpretatus essem in unam continuitatem ita iunctis ut eis ipsa pars antica arae efficeretur, sero comperi unum solum solidumque saxum esse, in cuius lateribus potius scripta essent quae ego duobus saxis medio contiguis tribuissem. De qua ratione si mihi prius constitisset, paullo minus cupide in sinistra parte tale quiddam quaesivissem quod cum titulo principali aliquo sententiae consiliive vinculo contineretur, sed ab illo prorsus posse

seiunctas esse L·I·XXVI notas facilius animum ut suspicarer induxissem. Quas notas cum non tam coniecissem quam modeste et dubitanter quaesivissem num forte liceret ad *Legiones* I et XXVI referri, non fuit difficile Mommseno id impugnare C. I. L. I Add. p. 558: ubi quae contra me dicta sunt, eorum fere nihil est quod non contra me ipse dixissem vel saltem significassem, 'felicioris ingenii sagacitati libenter cessurus': quando aliquod tamen ab aliquo periculum interpretandi fieri oportebat. Sagacitatem igitur maiorem non diffitebor Mommsenianae coniecturae esse, qua *Loricae Inlatae* XXVI commendantur: feliciorem esse nec mihi facile persuadebo nec videtur sibi ipse persuasisse, quippe ludere se tantum exempli caussa fassus. Vt non sine aliqua confidentia in Henzeni potius sententiam concedam de numerandi nota cogitantis simpliciter in 'Bullettino' Rom. a. 1863 VIII
p. 61 sqq., qua quidem singulis rebus sacris in ipso sacrario adservatis sui singuli loci, eo quo in indicibus ordine enumerarentur, adsignati fuerint, hoc modo: *Loco* I (*num.*) XXVI. Cuius ille notationis e reconditioris qua valet doctrinae copiis quaedam exempla exprompsit prorsus apposita ad persuasionem.*)

Minus quam de notis illis solitariis Henzeno assentior de ipsius Minucii dictatura commentanti, quam aliter a Mommseno atque a me definitam ibidem disceptavit p. 58 sqq. Rem omnem ut paucis complectar, duorum tantum Minuciorum optionem esse dixeram: aut M. Minucii Rufi consulis anno 533, magistri equitum anno 537, sed cui dictaturae imperium cum ipso dictatore Q. Fabio Maximo singulari prorsus exemplo esse aequatum constaret: aut alicuius M. Minucii Rufi C. f., quem dictatorem intra annorum 533—535 spatium factum, licet brevi fortasse temporis intervallo interiecto abdicantem, Plutarchus prodidisset. Vtrique coniecturae erat quod obstaret. Posteriorem ipsius dictaturae ratio aliquantum dissuadebat, ut quam rarissimo illa quidem aetate exemplo collatam esse viro non consulari intellegerem; priorem

*) [Henzeni interpretationem plane confirmari eis inscriptionibus quas ediderunt L. Bruzza in Annal. 1870 p. 114 et Mommsenus in 'Bullettino' 1871 p. 152 sq., adnotavit Ritschelius. C. W.]

non dissuadere tantum, sed evertere illud videbatur, quod consulem Minucium omnino non Gai filium, qui est in titulo Romano, sed Luci filium Gai nepotem fasti Capitolini perhiberent. Igitur testimonii fidem cum potiorem haberem sola consuetudine quadam, non potui non in posteriore sententia subsistere, rei insolentiam quocumque modo leniens vel excusans: ad excusandum eo quidem pronior, quo luculentius exemplum non profecto levioris insolentiae illud ipsum magisterium equitum praeberet cum dictatoris imperio aequatum, cuius rei probabilitatem, nisi certissimum testimonium iuberet, nemo umquam menti suae informaturus erat. Quod contra de dictatore non consulari illo simile testimonium non suppetere mirum videri propterea non poterat, quod et per se levioris momenti ea res esset, comparata quidem cum 'magistri equitum dictatoris' novitate, et illorum ipsorum annorum 533—535 memoria in Livianis libris intercidisset.

Huic igitur ratiocinationi Henzenum miror ita obviam ire ut accuratissime a Mommseno esse demonstratum narret,
IX ante annum quidem 434 in XXXI dictatoribus viros consulares non plures quam sedecim fuisse, ceteros non consulares omnes: ab illo autem anno non plura quam duo, vel adnumerato Glicia scriba tria exempla non consularium suppetere: unde consequens esse ut ab annis 533—535 dictatorem non consularem procul habendum esse intellegatur. Verum enim vero recordari iuvat, quae a Mommseno esse demonstrata dicuntur, me ipsum proposuisse omnia. Quippe ipse dixeram de dictatoribus non consularibus mira incuria ab enchiridiorum nostrorum scriptoribus ita statui, quasi unum tantum alterumve exemplum eius insolentiae repperiretur: ipse dixeram magno in hoc genere hiatu ab eorum annorum, qui ante a. 434 fuerunt, consuetudine eam aetatem distare quae post a. 433 fuit: ipse, quae proportio esset consularium et non consularium dictatorum, non indiligenti ut puto computandi opera definieram. Differunt sane numeri a Mommseno positi ab eis quos ego proposueram, sed specie magis quam re differunt: quippe caussa prope omnis illius differentiae in eo cernitur quod ego, ne calidius agere viderer, eodem cum viris consularibus loco eos posse censeri largitus eram qui

illa aetate, qua consules omnino nulli fuerunt, summum in re publica imperium tribuni militum consulari potestate obtinuerunt. Quos tribunos militum (sunt autem qui huc pertineant numero decem) ubi cum ipsis consulibus aequaveris — hoc enim quis vel potuisse fieri vel rationi convenienter factum esse negaverit? — manent calculi mei, si a levioribus quibusdam rebus vel suapte natura dubiis discesseris, prorsus recti atque integri, atque adeo paullo distinctius illud docent, quomodo per duas aetates, anni circiter 391 finibus discretas, certi progressus sint a paucitate ad multitudinem non consularium dictatorum facti.

Cetera quae a Mommseno mihi opposita video, quantumvis per se fructuosa ad melius perspiciendas rei publicae rationes mutationesque videantur, tamen cum eius quae cummaxime agitur quaestionis notione non sunt eo vinculo coniuncta, ut ad hanc potissimum dirimendam valeant. Nam primum quidem Livius sive accurate et e vero de *lege consularium legendorum*, quae iam a principio obtinuerit, rettulit l. II c. 18, sive posteriorum auctorum vel fraude vel errore deceptus ad antiquitatem transtulit quod recentioris demum aetatis more increbruisset: quid id ad ipsam posteriorem x aetatem iudicandam confert? Item cum ego dixissem circa annum u. c. 434 videri nova *lege* aliqua ad pristinam in creandis dictatoribus severitatem reditum esse, contra disputans Mommsenus commodius, quam de *lege*, de senati consulto cogitari sat sane probabiliter ratiocinatur: verum ut tamen ne hoc quidem ad recte existimandam non consularis hominis Minucii dictaturam ullam vim habeat: nec enim profecto huius dictaturae gravior insolentia fit, si non a lege populi, sed a senati consulto certa quae post annum 433 invaluit consuetudo repetitur. Ergo hi duo argumentandi loci cum ad res secundarias (h. e. in hac quaestione secundarias) spectent, plus ponderis videri potest illud habere, quod caussam perspici Mommsenus negat, cur illo potissimum anno 533 (sive annum 534 vel 535 substitueris) a consuetudine recederetur iam ad legis vicem prope accedente. Verum tamen in legis vicem ea consuetudo profecto iam circa annum 467 abierat, cum per temporis spatium plus quam tri-

cenarium inter dictatores XIII nullum non consularem Roma vidisset*): et tamen non consularis eo anno ad dictaturam Q. Hortensius accessit. A quo tempore ad annum 533 cum anni circiter LXV interiecti sint, quibus non plures fuerunt omnino quam octo dictatores, maiore adeo iure hac potissimum aetate infractam vel paullatim exolescentem pristinae vim consuetudinis menti nostrae informabimus: praesertim cum summae dignitatis dictatura, quae fuit rei gerundae caussa, iam ab initio sexti saeculi nulla exstitisset. Quodsi de caussa quaeris neglectae ipsis annis 533 sq. consuetudinis, in promptu est respondere, plurimarum rerum caussas latere ubi Livii libri praesto non sint. Et ipsius Hortensii illius e non consularibus deligendi quam in aperto esse caussam
XI dices? Nam quod eo tempore secessio plebis facta est, id etsi hanc vim habere potuit ut non e patriciis, sed e plebeiis dictator diceretur: at de plebe facti consules inde ab exeunte saeculo quarto minime deerant.

Haec igitur eo valere volo ut nimium fuisse Mommsenum intellegatur, qui non consularis Minucii dictaturam 'plan non admittendam' dicat. Qui quam ipse coniecturam amplectitur, eam cum plerisque longe audaciorem visum iri suspicatur, plane dicit quod equidem sentiam. Ad M. enim Minucium consulem a. 533, magistrum equitum a. 537, re versus fastos Capitolinos culpat, ut in quibus peccatum si L·F·C·N pro eo quod esse C·F·C·N debuerit: quod si ego ausus essem, vix puto violentiae crimen effugissem. Nam quin reaps L·F scriptum esset in fastis, tum quidem cum ego scrips dubitationi obnoxium esse prorsus non potuit, postquam ea

---

*) Nec enim anni 441 dictator C. Poetelius C. f. C. n. Libo Vis lus satis caussae video cur necessario alius credatur atque consul 408. (421?) 428. Nec dubitavit, alios ut taceam, Niebuhrius Hist. III p. 178. 343. Quodsi ita nimium inter primum consulatum et dictaturam annorum intervallum intercedere dixeris quam quod in unum hominem sat commode conveniat: at simillimum exemplum habes C. Fulvii Cn. f. Cn. n. Maximi Centumali consulis a. 456, dictatoris a. 49 quem tamen in non consularium dictatorum numero ne Mommsen quidem rettulit. Et ad ipsum dictaturae munus administrandum quid multorum annorum senex, modo non decrepitus senex, potuit imprim aptus videri?

ipsam Feae lectionem sua fide summae in hoc genere vir auctoritatis firmaverat syllogae Orellianae t. III n. 6436. Post demum coeptum est dubitari, quando iam Mommsenus (adnot. ad p. 557^{b}) quaerenti sibi ab Henzeno rescriptum memorat L litterae partem inferiorem nunc desiderari totam, quod autem reliquum esset tale damnum passum, ut tam pro L quam pro M accipi posset, nisi spatium obstaret nequaquam capax secundae litterae latioris: quare tam sibi quam Rossio subsistendum esse in Feae lectione videri. Neque aliter lapidis memoriam Henzenus ipse expressit C. I. L. I p. 435. Sed ut fit, famae similis suspitio vires acquirit eundo. Novo enim examine quam scrupulosissimo instituto iam Henzenus scribit (Bullett. l. s. s. p. 60) rem esse perdubiam: non audere se, cum tam gravia argumenta pro *Gai filio* Minucio Mommseniano pugnent, praefracte negare, posse fortasse olim C potius quam L scriptum fuisse: concedendum esse certis talem lectionem incommodis laborare, quae definit accuratius: sed his tamen dubitationibus fortasse non esse nimium tribuendum, cum perfectae aequabilitatis normam non ubique servet lapidum Capitolinorum scriptura. — Fideliter rettuli quae Henzenus testata fecit: unde pro se unus quisque, quid potissimum sequendum putet, arbitretur, non immemor tamen, etiamtum integriorem quam nunc est ipsum lapidem potuisse a Fea tractari. Mihi quidem de duabus rebus constat, quarum altera ad sensum quendam veri, ad certum iudicium XII
altera redit. Quippe de alio nisi de consule M. Minucio omnino cogitandum non esse, id quidem minimedum demonstratum esse confidenter affirmo: sentire me sic fateor, ut aliquanto plus probabilitatis habere M. Minucii C. f. non consulis dictaturam perseverem. Quamquam certam scientiam veri libenter concedo penes solos deos esse.

In eadem tabula I [XV] quam sub **B** repraesentavi speculi Cosani inscriptionem PROSEPNΛIS, de ea ne nunc quidem, lectis quae a Mommseno Add. p. 554 diversissimam in partem scripta sunt, aliter iudico atque p. XIV [506 sq.] iudicandum esse intellexi. Nam ille cum eam formam 'videri hybridam' dicit

'et ex genetivo Latino *Proserpinae* Graecoque Περσεφόνης quodammodo mixtam', primum idonea argumenta talis mixturae desidero, quando illorum quae sunt PESCENIAES DIANAES cum similibus, pro certo habeo longe aliam rationem esse; praeterea autem, haec ipsa ut mittam, parum assequor quid sit omnino cur confusioni, quam aliquo artificio comminiscare, simplicitatem posthabeamus quae est in propatulo. Ne longus sim in re, ut mihi quidem videtur, apertissima, breviter quaerere licebit num etiam illi genetivi, qui sunt *Latonas vias escas molas custodias Alcumenas* et praeter ceteros *familias*, ad graecae declinationis similitudinem revocandi videantur, an e contractis *Latona-i-s familia-i-s* formis eadem ratione repetendi qua e *senatuis dieis* et parilibus prodierunt *senatus dies* genetivi? item unde nisi ex ipsis *Albaïs Longaïs* (= *Proserpinaïs*) formis factae sint *Albaï Longaï*? prorsus ut e *senatuis dieis* natae sunt *senatui diei*. — Verum de hoc genere universo suo loco dicetur explicatius, idque eo impensius quo minus probari posse ea video, quae de genetivo primae declinationis latinae a singularis viro auctoritate Francisco Boppio proposita sunt Grammaticae comparativae t. I p. 377 sq. 399 sq. ed. alt., rectissime meo iudicio derelicta ab Augusto Schleichero nostro in Grammaticae comparat. compendiosae t. II p. 452 sqq.

XIII In tabula **II** [XVI] sub **A** propositus titulus Calenus quem in fine ostendit insolentiorem nexum litterarum, eum de MENSE INT*e*R*kalari* etiam Huebnerum interpretari Mommseni Add. p. 559 n. 1505 cognovi. Vbi cur ipse Mommsenus ut probabiliorem hanc coniecturam commendet, ut in contignatione illa litterarum latere MENSE IANVAR dicat caussam non satis perspicio. Id enim etsi mihi quoque primo statim aspectu in mentem venit, tamen etiam in hac caussa simplicitatem praestare artificio sensi: simplicitatem autem maiorem alterius interpretationis ipsa profecto elementorum figuratio testatur. Nam quod ad unius L. Cornelii Cinnae consulatum attinet singulariter perscriptum, qua quaeso necessitate in C. Marii locum, qui a. d. III idus Ianuarias diem

supremum obiit, novum consulem L. Valerium Flaccum putabimus iam ante ineuntem mensem intercalarem vel suffectum esse vel suffectum satis innotuisse inter Calenos?

De eiusdem **tabulae II** [XVI] **fig. B** i. e. de Praenestino **titulo Metilii** cum sum commentatus, Latii inscriptionum plurimarum negavi p. VII [514] sat certum usum prius esse, quam illae Henzeni virtute ita omnes collectae digestae emendatae prodiissent ut in commune paterent. Id quam recte dixerim, eius ipsius quo illo loco utebar tituli exemplo iam experior, unde Praenestinorum videlicet APOLLINEM TVTELAREM meae disputationi adsciveram, non recte plus fidei Vulpio quam Gruteri auctori Vrsino tribuens, e quo ille pependit demum. Hunc enim lapidem ipse Henzenus peramicis litteris me admonuit tam suspectum esse, ut prope sine errandi periculo ad falsorum sordes relegetur. Ergo valeat *Tutelaris* ille quamquam precario tantum admissus, locumque de iure sive PVTIO Mommseniano sive alii cuilibet cedat. — Praeterea haud scio an in tam vetusto titulo, quam est Metilianus, iusto liberalior fuerim in notis admittendis quales illae sunt DE · CONL · S: pro quibus, si integrum esset, nunc tales tantum voces commendarem quales exempli caussa posui DE · STIPE. Quamquam vel sic aliquid dubitationis relictum esse fateor a dirempto inter duos versus VA|RIANDO vocabulo: quale discidium ab antiquioribus titulis esse alie- xiv
num solet. Quae tamen dubitatio haudquaquam eam vim habet ut cum Mommseno Add. p. 554 in litteris a Cecconio exceptis RIANDO latere posse PROBAVERO nobis persuadeamus meroque errore $\overset{T}{S}$ positum pro S.

Ceterum de sermonis Praenestini proprietate quae cum olim composui Parergon Plaut. p. 196 tum nuper significavi Musei Rh. t. XVI p. 607 [supra p. 484], eis novum documentum Guilelmus Schmitzius noster addidit e glossario Vaticano quod est in Angeli Mai Class. auct. t. VI p. 547: '*taeniae, vittae sacerdotum, apud Praenestinos flagra.*' — Item novum, hac ut opportunitate utar, illud est quod indidem p. 546 idem ex-

cerpsit: '*stolones, ramuli maiores succrescentes ita dicuntur a Sabinis*': neque enim Sabinorum in hac caussa vel alibi vel apud Varronem rei rust. I, 2, 9 ulla mentio fit.

Ibidem sub C expressam pateram fictilem K. Atilii tractavit nuper, cui ipsi debebam, Detlefsenus in Gerhardii Diariis archaeol. a. 1863 n. 169 p. 13* sq. Originem autem Campanam prorsus confirmarunt Guidobaldii litterae plenae humanitatis, e quibus quae huc pertinent excerpta infra posui.

'La provenienza Campana non mi sembra più dubbia tanto pel monumento da Lei illustrato, che del Kircheriano' [P. L. M. E. tab. X *H* = p. 101], 'quando in un'altra terra cotta col mito di Scilla pure a vernice nera con figure a rilievo da me illustrata nei Monumenti Caleni, venuta fuori dai recentissimi scavi Caleni del Novi, ho visto gl'istessi nomi, e specchiatamente vi trovo segnata la sigla K preceduta anch'essa come in quella Sua da un punto; che mi richiama al Cesone che Ella ha ricordato, e che riflettesi nel Cesone dei Falisci, di cui il Garrucci e il Detlefsen' [Bull. d. inst. 1861 p. 99]; 'e che frai Caleni dovea avere molta frequenza. Nell' ATIᒪIO del mio frammento di patera che conservo vedo pure l' ᒪ arcaica; e tal nome, se non erro, non avendo nel momento a mano l'opuscolo di Vinet sul mito di Scilla, vedesi pure in una terra cotta dal medesimo illustrata. E quel ch' è più, fra i molti frammenti di terre cotte da me osservati presso il mio amico Commend. de Martino, che conser-
xv vava tutt'i monumenti provenienti di Calvi, ricordo aver visto una forma per vase a rilievo con figure, ov'era a rilievo scritto il nome di Atilio . . . . . . Se ora, in vista di molte terre cotte in cui un tal nome di Atilio riproducesi spesse volte, debba credersi piuttosto il padrone della figulina, non saprei dirlo francamente. In ogni caso è sempre il suolo Caleno che ne riproduce il nome e le opere; e queste sono bellissime, svariate in ogni genere, il che è ormai troppo risaputo rispetto al medesimo.'

Levius est quod in patera pictam bestiolam per errorem scorpionem dixi, quem rectius Detlefsenus cancrum. Quamquam etiam magis e vero sic illam definiri, ut in 'crustaceis decapodis brachyuris' habeatur (quod genus vernaculo nomine *Krabbe* appellitamus), doctissimus me collega zoologus comiter edocuit.

— — — ———

Postremo eiusdem fasciculi II p. XII [519] prolatum supplementum mutilae lamellae Bononiensis mirum non est non nemini sat gravi cum mirationi tum offensioni fuisse. Non cogito nunc de Mommseni dubitationibus, quibus meam coniecturam, propositam Musei Rh. t. XVII p. 607 [infra n. XXIII], impugnaverat Add. p. 561.*) Vbi quibus contra me usus est duobus argumentis, eis fateor me parum moveri. Primum enim quod exemplis destitui talem participii formationem (*facitus*) dicit, id ego quidem non mehercule ullo modo celaveram, sed eandem non destitui analogia tam diligenter ostenderam tamque propinquae *Saeturnus* formae similitudine probaveram ut, cur 'ne potuisse quidem ita scribi' Momm- XVI
senus contendat (vel ut ipsius verba servem, 'sibi constare' dicat), minime perspiciam: praesertim cum ipse concedat eius aetatis titulum esse, cuius praeterea paucissima ad nos pervenerint monumenta sacra, eaque vetustate alius rei inso-

*) Ipsius interpretationi quod ego opposueram, parum intellegi ad quem illa spectarent a Mommseno commendata '*die nefastud facitud*', id aegre assequor quomodo eis exemplis diluatur quae 'quodammodo posse comparari' contendit: '*flamen, sume sarmentum*' et '*hanc aram nequis dealbet.*' Scilicet addito *flamen* et *quis* id ipsum in promptu est quod illic desiderabam. — Ceterum quibus in hac caussa verbis Mommsenus utitur: 'sed ut ea quae proposui satis habeam ita defendisse, ut esse potuerint, non ut ita omnino neque aliter fuerint', ea verba possum prorsus mea facere: nec enim nullo pacto posse locum habere Mommseni rationem pronuntiaveram, sed diffidere me illi certis caussis allatis significaveram, nec mea coniectura professus sum ita me confidere, ut necessario ita rem fuisse neque ullo modo posse aliter se habere contenderem. Prudenter autem dubitando et sine acrimonia obloquendo et modeste coniectando plus, nisi fallor, in his litteris (ut in omnibus) quam temere credendo et obsequenter assentiendo et nihil audendo proficitur.

lentiam, quam cum sua interpretatione esse coniunctam sen n-sit, aliquatenus excusari dicat. Gravius videri potest quo d ad ipsum castum spectat: hunc enim, qui Graecorum inte r Romanos sacrorum proprius fuerit ut Isiacorum Cererisque e, non posse non offendere 'iam translatum ad quintum sex-tumve urbis saeculum et ad sacra Iunonis Lucinae, deae si qua alia est plane Romanae'. Et ad aetatem quidem quo d attinet, miror Mommsenum eorum oblitum esse quae ipse adscripserat titulo 'litteris antiquissimis scripto' n. 811 p. 207 : 'legendum fortasse cERERES CA*stae*, eo magis quod *castu s Cereris* non semel nominatur (cf. Fest. p. 154 v. minuitur ; Arnob. 5, 16).' Ac profecto, si verum volumus fateri, a re-ceptis libris Sibyllinis, vel ut distinctius loquar, a medi ferme saeculo tertio ad quinti sextique confinia sat magnum temporis spatium praeterlapsum erat, quo cum ipso cult Cereris etiam Graecus ritus increbresceret: quode digna sun t quae conferantur composita a Marquardto testimonia Antiq -Rom. enchirid. t. IV p. 309 sq. Quid? quod ipsum ieiuniu iam antiquissimis sacris Cereris certis verbis Dionysius Ar-chaeol. I c. 33 tribuit: ἱδρύcαντο δὲ καὶ Δήμητρος ἱερὸν κα τὰς θυςίας αὐτῇ διὰ γυναικῶν τε καὶ νηφαλίους ἔθυςαν ὡ Ἕλληςι νόμος, ὧν οὐδὲν ὁ καθ' ἡμᾶς ἤλλαξε χρόνος: qui ets de templi vetustate somniat sane, tamen ipsum ritum a re-centioris demum aetatis cogitatione aperte segregat. Nam quod anno u. c. 563 'ieiunium instituendum Cereri esse et id quinto quoque anno servandum' decemviri sacris faciundis renuntiarunt teste Livio XXXVI, 37, id cum de certis sacris quinquennalibus interpretandum sit, nec privatum ieiunii usum ac ne publicum quidem multo antiquiorem excludit. — Ac tantum quidem de castu Cereris. Qualem castum etiam ad Iunonem Lucinam translatum esse scriptor sane nullus prodidit, sed monumentorum genus testari videbatur, quod tot exemplorum multitudine vicarium scriptorum experti su-mus insigni horum studiorum beneficio, h. e. epigraphicum. Absque quo esset, quot quaeso res et scitu et creditu dignis-
xvii simas ignoraremus? In quo genere concedendum est ean-dem, quam in omnibus, legem valere, ut ne quid audeat coniectura quod vel ratio vel consuetudo vel ut uno verbo


dicam analogia sive reprobet sive dissuadeat. Quid autem? intra trium ferme saeculorum decursum nonne a Graecanicis ad patrios deos alii quoque ritus peregrini translati sunt? an lectisternia et supplicationes domi nati ritus fuerunt? quae tamen genera constat paullatim in communem cultum etiam 'propriorum' deorum Romanorum abiisse: de quo vide eundem Marquardtum disputantem l. s. s. p. 52 sqq. Quae quidem mutationes per quae et temporum intervalla et quas rerum varietates creverint, tam in obscuro est ut non sit mirandum de re minoris momenti et quae latius diffusa longeque patens fortasse numquam fuit, sed privati potissimum usus artioribus finibus circumscripta, qualis est ieiunii ritus, nihil admodum a scriptoribus proditum esse memoriae.

De his igitur dubitationibus non cogitabam cum supra dicebam lamellae Bononiensis supplementum Garruccianum, quod est tale

IVNONE · ⱵOVCINAI
DIOVIS · CASTVD · FACITVD

non nemini non mirationi tantum, sed offensioni fuisse: possum addere et suspitioni. Nam profecto multo etiam maiore intervallo, quam a Cerere Iuno Lucina, ab eadem ipsius Iovis numen distare videbitur. Nihil saltem ad ieiunium Iovis probandum Horatii verbis efficies Serm. II, 3, 291: 'Iuppiter ... illo mane die, quo tu indicis ieiunia, nudus in Tiberi stabit.' Quae sive ad Iudaeorum Iovem referes cum multitudine interpretum, sive spectare ad Aegyptium ritum putabis, quod habet quo commendetur praeter cetera, at vix ullis machinis de Romanorum Iove Capitolino esse dicta persuadebis. Novum est igitur et solitarium nec commodo vinculo cum simili genere coniunctum, quod addiscendum nobis sit ex incertae originis supplemento Garrucciano. Sane quidem γηράσκομεν αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενοι, nec ea potissimum pars antiquitatis Romanae, quae ad religiones et ius sacrum pertinet, non permulta habet vel obscura nobis vel occulta, quorum vel praeter exspectationem aliquo fortunae beneficio XVIII perspiciendorum spes sit: sed eo tamen intentius illuc esse incumbendum apparet, ut quam fieri possit certissime de fide

testimonii constet. E Garruccio igitur, quid tandem huius rei esset, identidem sciscitatus litteras accepi conditas suavitate, quibus me certiorem fecit non alibi plenum exemplum illud mutilae nunc lamellae (quod ego e schedis ms. alicuius bibliothecae petitum conieceram) nisi in suis ipsius copiis epigraphicis servari: quod unde prodierit et ad se qua via pervenerit, non satis accurate se nunc, plurimorum annorum intervallo interiecto, recordari, sed diligenter curaturum ut resciscat; de fide vel propter figuras litterarum prorsus ad morem antiquitatis factas nihil esse dubitationis posse, nedum ut ea fingi a quoquam potuerint vel videri possint ficta esse, quae in postica parte deperditi nunc aeris inscripta sint. Haec enim esse talia narrat:



Ex his miseris vocabulorum reliquiis non fuerit difficile v. 8 eruere *s*ΛCRO, v. 9 . . . BOS dativum ablativumve, v. 10 *a*IDIL . . . Versu autem 6 positam ϙ figuram prorsus Graecam etsi paullo citius Mommsenus dixit nullo dum exemplo Latino observatam esse, tamen praeter speculum Berolinense tab. I *F* [C. I. L. I n. 59], in quo est ΛΛIRϙVRIOS scriptum, tertium exemplum revera nondum innotuit. — Ceterum de hac tabella quaestionem omnem apparet ampliandam esse et exspectandum si quid ad dispellendas tenebras, quibus origo monumenti obvolvitur, scrutando inquirendoque efficiatur.

Quoniam in corrigendis supplendisque eis versor, quae prius proposita sunt, libet hac opportunitate uti ad dubitationes quasdam certo iudicio tollendas quae ad elogia Scipionum spectant. Quae cum ego in P. L. M. E. tabulis XXXVII—XLII quanta possem fide ad ectypa chartacea quae
xix tum in promptu erant expressissem, non neglectis quae de singulis quibusdam rebus sciscitanti mihi Brunnius Henze-

nusque respondissent, aliquot tamen annis interiectis postquam per exercitationum epigraphicarum occasiones academicas illa ipsa ectypa multorum manibus tractata atque aliqua ex parte detrita sunt, pauca quaedam vel mihi vel adulescentibus meis paullo aliter legenda esse visa sunt atque ab initio factum esset. De talibus igitur cum intellexissem breviter monendum esse in Enarrationis supplementis p. 104, fieri non potuit quin eadem mea fide interposita Mommsenus iteraret Add. p. 553. Quae omnia etsi per se levia videri possunt, tamen quoniam in his potissimum Scipionum monumentis, si verum volumus fateri, reapse nihil leve est, nequid scrupuli relinqueretur sed in dubiae coniecturae locum certa scientia succederet, precibus meis Wolfgangum Helbigium, cuius iam supra honorificam mentionem feci, haud aegre permovi ut denuo lapidibus illis religiosissime mea caussa examinatis, quid tandem in eis revera scriptum exstaret, tam diligenter definiret ut nunc tandem nullus iam videatur dubitationi locus relictus. Qua in caussa illud laetari licet quod singulis locis id ipsum, quod esse verum intellectum est, in ipsis tabulis lithographis conspicitur, vanas esse quae post natae sunt vel dubitationes vel suspitiones omnes apparuit. Quod ut aliis quoque prorsus persuadeatur, ipsas litteras Helbigianas infra ponendas duxi.

'Endlich bin ich im Stande gewesen, den mir ertheilten Auftrag betreffs der Scipioneninschriften auszuführen. Da zwei der Inschriften, über welche Sie Auskunft verlangten, in beträchtlicher Höhe eingemauert sind und keine der im Arsenale des vatikanischen Museums befindlichen Leitern die hinreichende Länge hatte, dauerte es lange, bis die zum Hinaufsteigen nöthige Erlaubniss und Leiter geliefert wurden. — Was die von Ihnen gestellten Fragen betrifft, so scheint mir nach der von mir vorgenommenen genauen Prüfung die alte Lesung, wie sie auf Ihren Tafeln erscheint, allenthalben endgültig festzustehen. Allerdings befindet sich an allen fünf Stellen, über die Sie anfragen, irgendwelche Vertiefung im Steine, so dass die Betrachtung der Papierabdrücke sehr wohl zu der Vermuthung führen kann, es habe ursprünglich ein Buch-

stabe dagestanden. Doch lehrt die Besichtigung der In-
XX schriften selbst, dass jene Einschnitte nicht tief, scharf und regelmässig genug sind, um für Reste von Buchstaben gehalten zu werden, dass sie vielmehr theils von zufälliger Verletzung des Steins, theils von der technischen Bearbeitung desselben herrühren. Die Blöcke der Scipioneninschriften müssen nämlich mit einer Art von Zahnmeissel bearbeitet sein, welcher an den Stellen, wo er vom Steinhauer eingesetzt wurde, tiefer in den Stein eingriff, als auf der Strecke, auf welcher er an dem Steine herabglitt. Im Einzelnen ergibt sich Folgendes.

Tafel 39 *F* Z. 7 GREMIV oder GREMIVM? Hinter V findet sich eine kleine Vertiefung im Steine, welche vermuthlich vom Ansetzen des Meissels herrührt, etwa so: GREMIVʟ. Bis zum Rande des Steins liegt aber ein drei Finger breiter vollständig glatter Raum vor, wiewohl ich denselben erst durch Abkratzung des darübergeschmierten Mörtels blosgelegt habe. Wäre auf V ein M gefolgt, so müssten auf der blosgelegten Stelle irgendwelche noch so geringe Spuren davon übrig sein, was nicht der Fall ist.

Tafel 40 *G* Z. 6 ANTIOCO oder ANTIOCOM? Anfangs glaubte auch ich bei Betrachtung des Steins, dass letztere Lesung die allein richtige sei. Hinter dem O nämlich ist der Stein bis zum Rande bestossen. Der Bruch nach dem O ist auffällig scharf geschnitten, so dass man wohl vermuthen könnte, er sei durch den Einschnitt der linken hasta des M begrenzt. Doch steht dem der Umstand entgegen, dass, wenn M dagestanden hätte, ein Stück der linken hasta unter dem Bruche sichtbar sein müsste, was nicht der Fall ist.

Tafel 40 *H* Z. 3 ANNORV oder ANNORVM? Hinter dem V ist eine Scharte im Stein, welche auf dem Papierabdruck allerdings aussehen muss wie eine hasta des M. Das Ganze hat etwa dieses Ansehen: ANNORV/. Der Strich hinter V ist jedoch nicht grade und nicht tie genug, um für einen Rest des M gehalten zu werde Ausserdem müssten wir, wenn wir ihn dafür nähmen, ei

so breitgesperrtes ꟿ annehmen, wie es die sonstige Gestalt des Buchstaben auf dieser Inschrift verbietet. Endlich haben wir hinter V bis zum Rande des Steines, abgesehen von jener Scharte, eine vier Finger breite durchweg glatte Fläche.

Tafel 40 *J* Z. 2 ADVEIXEI oder ADVEIXEIT? Hinter dem I sind einige Punkte bemerkbar, etwa so: ADVEIXEI⁝. Doch stehen sie dem I zu nahe und sind nicht tief genug, um für die Reste eines T gelten zu können.

Tafel 42 *L* Z. 4 ist es ebenfalls nur falscher Schein, XXI dass ACCVꟿ*ul*AVEI gestanden habe. Allerdings sind hinter dem I einige ziemlich starke Vertiefungen in der Richtung eines Perpendicularstrichs bemerkbar, etwa in dieser Weise: AVI⁻. Doch setzen sie nicht an den Stellen ein, wo man die Querstriche des E anzunehmen hätte; auch ist vom I, welches nach dem E folgen sollte, keine Spur zu sehen, vielmehr die Fläche des Steins auch hier vollständig glatt.'

In eisdem Scipionum elogiis etiam alia sunt ad veram lectionem archetyporum redeuntia, quae sat recte expedita esse negem. E quibus unum nunc exemplum deligam, pertinens id ad tab. XLII *L*: ubi cum in carminis versu altero longo ex tempore constanter editum esset PROGENIEꟿGENVI, ego Musei Rhen. t. IX p. 6 [supra p. 218 sq.] observaveram non hoc potius quam PROGENIEꟿIGENVI in lapide scriptum esse, interpositam autem lineolam, quae I litterae speciem prae se fert, non esse aliunde nisi ex errore lapicidae repetendam. Contra visum est Mommseno, qui C. I. L. I p. 21 n. 38 illa ipsa lectione suscepta culpam a lapidario remotam in poetam transtulit hoc constituto versiculo:

Prōgĕniē mi genui, facta patris petiei:

h. e. *progenie(m)*. Talem igitur pentametrum cum ab ullo umquam vel mediocri poeta factum negavero, vix esse verendum videtur ne in cuiusquam reprehensionem incurram. Neque ipse, nisi fallor, Mommsenus umquam probasset, nisi

sibi imponi a Lachmanno passus esset, a quo 'rarissimum hoc et antiquiorum poetarum proprium cυνεκφωνήcεωc genus, in quo *i* vocalis ita delitescat ut syllabam non faciat longam', demonstratum dicit commentariorum Lucretianorum p. 129 sq. Eam autem doctrinam, qualem quidem illic latius patentem proposuit, cui praeter ipsum Lachmannum placuisse dicam, novi neminem: atque in Plauti potissimum Terentiique artem quo quis acriore studio sese insinuaverit, eo fere certius sibi persuadére video non esse illis poetis ullo pacto tam deformes scabrosque versus tribuendos quales miro et singulari, non mehercule (quo plerumque valet) sano et eleganti aurium iudicio Lachmannus probavit:

XXII Neque méndacíloquius néque adeo árgutúm magis:
Libérius vivéndi fuít potéstas. nam ántea:
Di tíbi malé faciant. prímus ésses mémoriter:

ut in paucis nunc subsistam. Quales numeri innumeri dubitari prorsus non potest quin aut manifestae corruptelae vel interpolationi debeantur aut longe aliam expediendi viam habeant: velut, ut ex hoc genere unum exemplum tamquam praeteriens perstringam, *malfacere* et *benfacere* et *benficium* et *malficium* mihi constat eadem prorsus ratione pronuntiata esse qua est *Benventum* prisca aetate et dictum et scriptum cum aliis non paucis finitimis.*) Tantum affirmare confidenter possum, illa via si insistere liceat, nihil tam inconcinnum et expers artis, immo tam insolens nihil atque adeo prodigiosum esse, quod non spondeam aliquot exemplorum raritate me probaturum ut licitum olim et admissum: si modo hoc est probare, plus quam rationis severitati et sensui cuidam simplicitatis tribuere librariorum auctoritati et memoriae codicum, cui quamdiu mancipata fuit, omnino sapere non coepit disciplina metrorum. — Verum esto ut paeonicae mensurae vocabulum, quale est *liberius* Terentianum, pro dactylo fuerit veteribus poetis: at eo saltem Lachmannus, ut conicio, ipse non praevidit doctrinam suam valituram ut etiam choriambus (e. c. quattuor syllabae primae *liberio|ris* formae) posse dactyli vices sustinere crederetur. Non autem aliud

*) [Cf. Opusc. II p. 716 sqq. 777. C. W.]

facere intellegitis, qui pro dactylo esse *progenie(m)* crediderit. — Ceterum recte et usitate *progeniem genui* sine *mihi* dativo dici non est quod probem pluribus.

Alia quae in promptu sunt huc pertinentia praestabit in proximam prooemiandi opportunitatem differre.

Supplementum IV.*)

(Cum tabula lithographa**)).

E basilica quae Romae est S. Pauli iunctoque illi coe- III
nobio cum alii tituli prodierunt ad priscam latinitatem pertinentes, quos habes in C. I. L. I n. 1019. 1022. 1056, tum eiusdem generis unus aut latuit adhuc aut saltem in sylloge Mommseniana non minus desideratur quam in N. M. Nicolai libro a. 1815 Romae edito quem 'Della basilica di S. Paolo' inscripsit. Eum igitur titulum cum chartis expressum Henricus Brunnius noster Bonnam misisset, haud inutiliter ille lithographo exemplo repraesentari visus est in horum Supplementorum tabula IV [XVIII] sub *A*. Nam in vetustiorum illum numero haberi cum ipsa species litterarum iubet, haudquaquam illa indolem aetatis Augusteae prae se ferens, quamquam ceteroqui minime sane inelegans, tum eandem in partem etiam certius antiquitatis indicium valet quod cernitur in AMEIC . . scriptura. Habetque ea scriptura adeo alterum exemplum in versu primo: quando ectypi chartacei diligens observatio litteram paenultinam certo docet B fuisse, quam aut E aut L secuta sit. Iam quoniam *GABL* elementorum consociatio latinum nomen quod sciamus nullum suppeditat, reliquum est ut a GABE incipere nomen mulieris intellegatur. Vnde non alia prodeunt nisi haec mutilarum litterarum supplementa:

*) [Prooemium Indicis scholarum aestivarum Bonnensium anni CIↃIↃCCCLXIV.]

**) [Tabula olim huic commentationi adnexa nunc sub n. XVIII iterata est. C. W.]

. . . L I A · Q · F · G A B E . . .
M · S E X T I L I V S · M · L · H E R
M · B A E B I V S · M · L · P A M
A M E I C

Hinc autem consequens est ut in exitu versus primi vix potuerit alii nomini locus esse nisi ei quod est GABEINA.
IV Ei igitur . . . *liae Q. f. Gabinae* in promptu est hoc monumentum posuisse *M. Sextilium M. l. Hermam* vel *Hermetem* (sive *Hermiam* males vel *Hermippum Hermocratem Heracleonem Heraclitum Herodotum* et si qua sunt similia) et *M. Baebium M. l. Pamphilum* (sive *Pammachus* placebit) *amicos*.

Illam autem EI diphthongum, quae GABE*ina* et AMEIC.. vocabulorum communis est, cum gravi esse eorum temporum argumento diximus quae fuerunt liberae rei publicae, id quam vim habeat paullo accuratius esse definiendum intellegimus. Ac primum satis constat diutius illam in terminatione vocabulorum haesisse, citius a syllabis mediis arceri coeptam esse. Sed ne terminationum quidem una eademque ratio: nec enim vel in formis verbalibus vel in ipsorum nominum genetivo dativoque singulari nominativoque plurali imperatorum aetas diphthongum nisi raris exemplis servavit, substitit fere in unis dativis ablativisque pluralibus, quamquam ne hic quidem vel cum aliqua constantia vel, si a longe paucissimis dubiisve discesseris, ultra tempora Caesaris Augusti. Itaque ipsa Augustea aetate perrara sunt et ex parte singularia, qualium in vetustioribus titulis non exigua frequentia, velut haec*): temporis anno 731 prioris PTOLEMAIEI (si modo satis huic lectioni fidei) Orell.-Henz. n. 5311; item anni 741 MERENTEI Or. 2863: — quo accedit antiquitatis consuetudine propagata scriptura PLEBEI temporis anno 834 posterioris Or. 748 [C. I. L. V, 2 n. 7007]. Aliquanto saepius,

*) Incertam esse video in anni c. 772 senatus consulto Or.-Henz. 5382 [VI, 1 n. 911] II, 14 FIERE! scripturam: ubi non minore iure fuisse FIEREN suspicere. — Ceterum sciendum est certissimo nos consilio in eis has disputationes titulis continere qui certam vel anni vel saltem aetatis notam habent: qui fines nisi, ut hodie res est, pertinaciter observantur, verendum videtur ne omnia susque deque habeantur, certa autem et distincta scientia prorsus eludatur.

non saepe, diphthongum dativi ablativique plurales tuentur: non illi quidem in nobilissimis, quae maiore ambitu sunt, monumentis publicis plerisque Augusteae aetatis ut in edicto Venafrano, 'monumento Ancyrano' et similibus, in quibus quam creber I longae usus, tam ab eisdem aliena esse EI diphthongus solet: sed tamen in ignobilioribus haud ita paucis, quorum exempla quaedam notabiliora infra posui. Sic anni 727 arcus triumphalis Ariminensis Or.-Henz. 5360 scriptum exhibet CELEBERRIMEIS · ITALIAE · VIEIS · . . . v *tradi*TEIS; anno 732 posterior titulus Atinensis I. R. N. 4545 SACREIS · FACIVNDIS; — anni 742 Cortonensis apud Marinium Fratr. Arval. p. 782 EVMQVE · ET · POSTEREIS · EIVS · SIBI · POSTERÌSQVE · SVEIS; — anni 749 Aquilanus Or. 1639 [I. R. N. 5728] LYMPHEIS; — item anni 757 'cenotaphium Pisanum' Or. 643, semel in tanta multitudine, II, 9. 10 DEVICTEIS · AVT · IN · FIDEM · RECEPTÌS · BELLICOSISSIMIS · AC · MAXSIMIS · GENTIBVS (sic enim ibi scriptum exstat); — obitu Augusti prior Ephesius Or. 1949 (coll. Henz. p. 167 [C. I. L. III, 1 n. 424]) CETEREISQVE · LEIBEREIS · SVEIS: — quo adde multo posterioris anni 854 tamquam solitariam scripturam CIRCEIS e tabula alimentaria Baebianorum (I. R. N. 1354) II, 12, nisi quidem ibi de *circeus* nominativo quispiam cogitabit.*) Accedunt his omnibus peculiari consilio in indicibus triumphalibus Capitolinis, qui non multo post annum 735 litteris mandati sunt, constantissime servati ablativi in EIS exeuntes: DE · ETRVSCEIS (bis ETRVSCÌS), DE · SABÌNEIS, DE · VOLSCEIS, DE · AEQVEIS, HERNICEIS, GALLEIS et quae sunt reliqua innumerabilia, in quibus ne semel quidem simplex IS scriptura apparet: id quod ex apertissima imitatione antiquitatis repetendum. Quod contra eadem EI diphthongo prorsus carent fasti consulares. — Ex his igitur omnibus capi coniectura potest, cui fere aetati in parietibus Pompeianis inscripti tituli

*) 'Exemplis hic compositis adde e tituli Romani, ad annum 742 Henzeni felici acumine relati in 'Bullettino' Inst. arch. a. 1863 p. 9, v. 10. 14 scripta PROMERITEIS et LAMENTEIS: indidemque v. 11 petitum PREIVAT, cum CEIVITAS scriptura conferendum.' Addendum p. XVIII.

tales tribuendi sint qualis est apud Garruccium tab. XI fig. 4 [C. I. L. IV n. 2430] has formas socians VEREI [immo VIREI] BONEI SEI, vel XXVI fig. 44 [C. I. L. IV n. 2457] ubi VTREISQVE et VEIVANT scriptum est. Sed hoc quod ultimum posuimus exemplo iam traducimur ad alterum genus quod exclusa declinatione ad ipsas stirpes vocabulorum syllabasque derivativas spectat.

In eo igitur genere primum quaedam nomina gentilicia, sed ea pauca, diphthongum etiam per imperatorum tempora tenacius servarunt, TEIDIVS potissimum et VEIDIVS: quibus nescio an VEITENNIVS addendus sit e Romano lapide Or. 1588 anni 804 [= C. I. L. VI, 1 n. 630 anni 862, ubi est VETTENNIVS. C. W.]. Parilemque a propriorum nominum tenacitate veniam habere talia videbuntur satis solitaria, qualia sunt PEICENTIBVS in actis triumphorum Capitolinis a. CDXXCV [C. I. L. I p. 457]: — EILLVRICO in triumphorum tabulis Barberinianis C. I. L. I p. 478: — LEIBER in Lambaesitano titulo Or.-Henz. 5716, rectius nunc edito in L. Renieri
VI 'Inscriptions Rom. de l'Algérie' n. 157. Participant cum propriis nominibus similem tamquam recordationem antiquitatis quaedam appellativa ut EIDVS EIDIBVS, item HEIC (*situs est*), et siqua sunt finitima formulae notaeve constantiam tutantia. Memorabile igitur praeter cetera EI scripturae exemplum habes in anni 746 titulo Segusino Or. 626 [C. I. L. V, 2 n. 7231], in quo bis scriptum est CEIVITATIVM CEIVITATES. — Sed haec tamen omnia, quantumvis pauca numero, ad radices vocabulorum pertinent: in derivativis syllabis vix ullum imperatoriae aetatis exemplum novimus diphthongi (quamquam in tali caussa fallere vel summa industria potest): h. e. nullum tale qualia vetustiores tituli velut haec praebent ad AMEIC*ei* et GABEI*na* scripturam proxime accedentia: AMEICORVM in anni 676 S. C. de Asclepiade C. I. L. I n. 203 (P. L. M. E. tab. XXX) v. 7; — AMEICEIS in Romano titulo II, 5 ib. n. 1008 Venusinoque n. 1267 (tab. LXXX *A*); — AMEICITIAM in anni 643 lege agraria ib. p. 84 v. 75. 80; — item CISALPEINA in anni 705 lege Rubria n. 205 (tab. XXXII) I, 7 et II, 3. 54; — PEREGREINOS ibid. I, 24; — TARENTEINVS in satis antiquo titulo Prae-

nestino n. 1134: — quo prope accedit DISCIPLEINAM scriptura in elogio 'litteris saeculi Augusti' scripto ibid. Add. p. 564.

Haec igitur sunt, cur priscae, non imperatoriae latinitati hunc, quem sub *A* repraesentavimus, titulum Romanum sat confidenter tribuamus.

Altero loco quem sub *B* repraesentavimus, non est novus titulus, sed Calenus ille quem iam in fasciculo II [tab. XVI] sub *A* e tabula chalcographa repetieramus quae est in 'Bullettino' archaeologico Italico vol. I anni 1861. Eum cur hic iteremus, caussa non est alia quam quod illic multo quam credi potuit neglegentius et praeter veritatem editus est, nunc autem, postquam in museum Neapolitanum transiit, ad accuratissimum exemplum adsimilatus quod praeclaro studio eximiaeque benevolentiae Iulii Minervinii debetur. Et illud quidem non est quod morosius culpemus, quod extremae litterae duae CORNELIO nominis a tabula Neapolitana prorsus absunt: eae enim ipsius demum Minervinii opera et cura effectum est ut e situ et tenebris quibus obtectae erant in VII
lucem prodierint. Minus condonari possunt neglectae versus tertii initio PVR litterae: quas in propatulo est ab ipso pictore opifice derelictas esse, ut quas sentiret per imprudentiam superiori versui nimis appropinquatas. Prorsus autem excedere veniam illud apparet quod duos versus extremos chalcographus Neapolitanus in unius versus continuitatem productos exhibuit: nihil ut de suppletis, quae in ipso muro mutilae sunt, litteris versus novissimi dicamus. His autem, quae dubitationem non habent, supplementis susceptis haec iam totius tituli species prodit:

L · C O R N E L I O
CINNA COS ITER
PVR
P V R G A T V M
M E N S E · I NR

Ceterum in ipsam interpretationem fatendum est nihil novi ex his emendationibus redundare. Quamquam ne desiderari quidem quicquam ad commodum certumque intellectum satis

iam fasc. III p. XIII [530 sq.] disputatum est, ubi veram lectionem firmavimus quae est MENSE · INT*e*R*kalari*.

Tertio loco tres licuit tesseras gladiatorias promere, quarum eae quae sub *C* et *E* conlocatae sunt in tabula nostra lithographa, lucem quod sciamus nondum viderunt, tertia *D*, quae est musei Britannici, ex parte tantum innotuit Osanni virtute in Fleckeiseni Annal. philol. t. LXXVII a. 1858 p. 651, quem non potuit non sequi Mommsenus C. I. L. I p. 200 n. 775. Ea igitur [cf. Ritschl Tess. glad. n. 23 ibique tab. I *K*] uno nunc versu integrior prodit in hanc speciem:

A N T I O C V S
S C R I B O N I
SP · A · D · V · ID · IAN

Quartum enim tesserae latus praeter exspectationem vacuum scriptura, valdē id quidem singulari exemplo, apparuit in
VIII exemplo gummeo (*kautschuk* hodie appellant), quod intercedente vetere atque antiquo amico Waltero Perry magnae vir auctoritatis Guilelmus Forsyth, qui Britanniarum Reginae a consiliis est, mea gratia a curatoribus musei liberaliter sibi concessum nactus est. Et consimile quidem exemplum omissorum consulum exstat sane, quamquam unum in tanta tesserarum multitudine: quod est Guascanum illud, publicatum in 'Musei Capitolini ant. inscr.' (Romae editis a. 1775 sq.) vol. II p. 67:

DIOCLES · VECILI
S P E C T A V I T
A · D · V · K · FEBR

Verum ea tessera, quamquam Borghesio quidem, quod mirere, non suspecta Diarii Arcad. t. LIV p. 67 (vel Operum vol. II

p. 338 editionis Parisinae), dubitari prorsus non potest quin sit novicia fraude et eis quidem temporibus conficta quibus usitatam SP notam imperiti quidam antiquarii in mentem induxerunt non SPECTATVS interpretari sed SPECTAVIT satis inepte: quapropter rectissime in falsarum numerum Mommsenus rettulit p. 200 *e*. Ergo hoc saltem exemplo non licet, quod Borghesio placuit, probare: factum esse nonnumquam ut non suo tempore, sed aliquanto post demum pararentur inscriberenturve vel saltem supplerentur tesserae, sive in caussa mera oblivio fuit sive deficientibus omnino ipso editi spectaculi tempore, quorum nomina scriberentur, consulibus. Qua ille coniectura usus Heinsianae tesserae patrocinium suscepit quae haec est C. I. L. I p. 197 n. 733 [Ritschl Tess. glad. n. 22]:

P I L O D A M V S
I V L I
SP · A · D · III · K · FEB
M · VAL · CN · DO

Consules enim anni 701 M. Valerium Messallam Cn. Domitium Calvinum cum Cassio Dione XL, 17 et 45 Appianoque b. civ. 19 testibus constaret mense demum Quinctili munus capessivisse, fidem huic tesserae omnino derogaverat Clemens IX
Cardinalis: in qua is sententia etiam post Borghesii disputationem perstitit Diplomatum imp. p. 123 sq. n. 220. Nec sane plus valet eandem in partem prolatum a Borghesio alterum documentum, quod ille e tessera Parmensi h. e. prope Parmam reperta petiit (l. s. s. p. 196 n. 731 [Tess. glad. n. 20]):

PELOPS
PETILI
SP · ME · QVI
CN · LE · L · PHIL · COS

Id enim exemplum etsi aliquam vim habere eo tempore vi-

deri poterat quo commentabatur Borghesius i. e. anno 1831, tamen post repertis aliis tesseris duabus plane intellectum est diei omissionem, qua ille ad suam coniecturam firmandam utebatur, omnino communem esse municipalium vel provincialium omnium. Cuius rei cum Mutinensis illa argumento est a Cavedonio publicata (l. s. s. p. 197 n. 743; P. L. M. E. tab. III *M* [Tess. glad. n. 35 ibique tab. III *G*]):

LEPIDVS · MVMME	
IN	S · SP
M ·	IVN
C · SENTIO · COS	

tum nuper demum a Mommseno p. 201 n. 776 *a* e codice Leidensi in lucem protracta Arelatensis [Tess. glad. n. 12 ibique tab. II *Z*]:

NCHIAL · SIRTI · L · S
SPECTAT · NVM
MENSE · FEBR
M · VAL · C · NT · COS

Verum haec tamen omnia non impediunt quominus per se spectata Borghesii coniectura, quatenus quidem ad consularis potestatis intermissionem pertinet, et stet rectissime et gravem a nostra tessera Londinensi commendationem accipiat. Sed progredimur longius eidemque hanc ipsam anno tribuimus quem Heinsianae sua interpretatione Borghesius vindicavit. Nec enim illius quidem in qua versamur aetatis alius annus in promptu est, qui omissorum a. d. V Id. Ian. consulum tam certam contestatamque caussam praebeat quam qui est ab u. c. 701, qui per sex menses integros consules omnino nullos vidit: unde fieri omnino non potuit quin aut post mensem demum Iunium consulum nomina adderentur ut in Heinsiana tessera, aut eis nominibus destinatum latus tesserae ἄγραφον maneret ut in Londinensi. — Ceterum nihil huc pertinet quod trium tantum laterum inscriptionem ha-

bens etiam alia tessera exstat [cf. Ritschl Tess. glad. n. 25] quam talem Mommsenus finxit p. 197 n. 735:

HERMIA
SP · A · D · XV · K · DEC
Q · FVF · P · VAT

sed cuius non minore iure menti tuae hanc speciem informabis:

HERMIA
SP · A · D · XV · K · DEC
Q · FVF · P · VAT

quando in neutram partem quicquam eis testimoniis decernitur quibus huius tesserae notitia omnis debetur, Bimardi de la Bastie in Commentariis academiae inscr. Francogallicae t. XV (a. 1743) p. 426 et Millini in Itinerarii Franc. meridional. t. II (a. 1807) p. 236. Neque enim omissum domini nomen aliam nostra sententia caussam habet quam quod Hermia omnino non fuit e privatis mancipiis, sed servus publicus.

Duodeviginti annis antiquiorem aetatem ea tessera testatur, quam adhuc non editam sub *C* exhibuimus [cf. Ritschl Tess. glad. n. 6 ibique tab. I *D*]: XI

P I L O·D A M V S
I V N I
SΓ A D VI ID IA
Γ LEN CN ORE

h. e. P. Cornelio Lentulo Cn. Aufidio Oresta consulibus a. 683: cuius anni unam iam noveramus Victorianam a Cardi-

nale vulgatam (C. I. L. I p. 196 n. 720 [Ritschl Tess. glad. n. 7]):

PILOTIMVS
HOSTILI
SP · PR · N · SEX
P · LEN · CN · ORE

Possidet autem priorem illam vir nobilissimus Brunet de Presle Parisinus, a quo acceptam eximia comitate meum in usum illius conlega clarissimus Aemilius Egger ectypo chartaceo expressit. Quam ubi non esse eburneam osseamve, sed aeream narravero, facile praevideo quam id sit plerisque suspitiosum visurum. De una adhuc aerea constabat quae est thesauri nummarii Parisini cum bibliotheca coniuncti, ad verum repraesentata P. L. M. E. tab. XCVII sub *H* (C. I. L. I Add. p. 560 [Tess. glad. n. 3 ibique tab. III *B*]):

D · IVNIVS
HERMETVS
SPECT · K · MAR
M LEPID Q CAT

de qua sic commentabar Enarr. p. 90: 'Dubitari vix potest quin non sit ex antiquitate prodita, sed novicio artificio tribuenda, ut quae ne ossea quidem sit vel eburnea, verum uno solo in ceteris omnibus exemplo aerea. Quamquam fieri potest ut vetus archetypum osseum sive falsarius sive ludibundus faber imitatus sit.' Et hanc quidem defendendi viam ut ab Hermeti tessera gravissimis de caussis esse alienam nunc intellego, ita apprime cadere in Preslianam confidenter
XII affirmo. Primum enim huic adnexa in museo Presliano nota chirographa testatur *exemplum esse archetypi ab abbate Carolo Philippo Campion de Tersan possessi* (de quo non ignobili antiquario vide 'Biographiae universalis' t. XLV p. 195): quod archetypum quid impedit quominus osseum fuisse credamus? Sed etiam maiorem fidem facit ipsa tesserae inscriptio, quae

cum in singulis rebus quibusque certam normam constantemque consuetudinem harum tesserarum servet severissime, ne levissimam quidem ab ulla parte offendendi diffidendique caussam praebet: contra atque usu venire in falsis vel suspectis ad unam omnibus solet. Nam quod illa caret interpunctione, id ei prorsus commune est cum Londinensi, olim Liverpoliensi C. I. L. I p. 196 n. 723 [Tess. glad. n. 10 ibique tab. I *G*], cuius talem speciem ectypum gummeum praestat:

H E R A C L E O
M V C I
S Ր K Q V I N
CN POM M CR

item prope commune cum Parisina, quam vir clarissimus Noel des Vergers possidet, P. L. M. E. tab. XCVII *M* (C. I. L. I p. 200 n. 774 [Tess. glad. n. 67 tab. III *R*]):

M Λ X I M V S
V Λ L E R I
SP ID IΛN
T · CΛES · ΛVG F $\overline{III}$ ΛELIΛN $\overline{II}$

nihil ut de Romana dicamus (l. s. s. p. 197 n. 742 [Tess. glad. n. 34, tab. I *Q*]), de cuius vera specie chalcographo tantum exemplo Dion. Ott. Sadae constat, cui non nimium fidei tribuendum:

F E L I X
M V N D I C I
SP K APR
C · S E N T I O

Nec magis in eo haerendum quod mixtis Ր et P figuris (quarum prior notabili in his tesseris frequentia est) variatum est in PILODAMVS atque SՐ et Ր·LEN. Quippe XIII

eadem inconstantia in Heracleonis tessera scriptum est SΓ et POM, in Vaticana p. 196 n. 729 ΓROCILI et PHILARGVRV, SP, AP: (nam in hoc genere mirum non est typis expressa exempla fallere omnia:) item in Medicea p. 197 n. 732 [Tess. glad. n. 21, tab. III *E*]:

TEOΓROPV
FABI
SP·A·D·VII·K·OC
L · DOM · AP

sic enim hanc prorsus ad veritatem repraesentaveramus P. L. M. E. tab. III *K*, hoc est sine eis supplementis quae Ioannem Labum incautius secutus praeter veritatem Mommsenus addidit.

Non iniucundam fore tertiae tesserae *E* notitiam suspicamur, quam in thesauro nummario antiquarioque Vindobonensi servatam Iosephus ab Arneth et Fridericus Kenner humanissime mecum communicarunt [Tess. glad. n. 3 tab. I *O*]:

HILARIO
CAECILI
SP · III · K · NOV
MP·C·VIII·T·TAV

Spectat enim haec tessera, quae unde Vindobonam delata ignoratur, ad annum 728, quo cum Caesare Augusto octavum fasces tenebat T. Statilius T. f. Taurus *iterum*: quam idem Taurus iam fuerat consul suffectus anno 717, de quo consulatu vide Henzenum C. I. L. I p. 449. Omissam autem iterati honoris notam non est quod miremur, cum additus Caesaris consulatui numerus nullum dubitationi locum reliqueret. Parique ratione conlegae nomine satis finitus anni opus non habuit imperatorii consulatus accuratiore nota

tessera [Romana anni 708 (l. s. s. p. 197 n. 736), in qua C · CAES · M · LEP scriptum est sine III numero; item in] Florentina anni 747 (p. 198 n. 747) TI · CLAV · CN · PISON XIV sine II. — Est autem Statilius ille Taurus idem, a quo quattuor demum annis ante lapideum amphitheatrum primum Romae exstructum est in campo Martio: de quo veterum testimonia Beckerus composuit Antiq. Rom. I p. 642. 681. In eo igitur ipso amphitheatro prorsus probabile est illud munus gladiatorium editum esse quo Hilario Caecili *spectatus* est. Nam ad gladiatorum spectacula has pertinuisse tesseras omnes tam certis rationibus putamus demonstrari posse, ut nullam vim habere, quae in contrariam partem Mommsenus l. s. s. p. 195 disputavit, probata ut videtur ab Henzeno in 'Bullettino' Inst. arch. Rom. a. 1862 p. 81 sq., planissime intellegatur.

Superest ut quartae tesserae indicium faciamus, si modo L. Muellero Dano credendum, cuius in catalogo musei Thorvaldseniani, parte quidem tertia quae inscribitur 'Description des antiquités du Musée-Thorvaldsen' (ed. Havniae a. 1847), sect. I et II p. 215 haec leguntur:

23. Tessère de gladiateur, carrée. De l'un côté est gravé le nom du gladiateur M · FLAV, de l'autre le numéro III. Os. Long. 1 p. 9 l.

Quae tessera si sit quattuor laterum, quadruplicem doceri inscriptionem iubebimus; si duorum tantum sit, id quod prorsus probabile est, non poterit in gladiatoriarum numero haberi.

AVCTARIVM

sicut coepimus nuper, denuo subicimus fasciculorum priorum: cuius quidem instituti necessitatem ipsa novarum rerum cognitio imponit.

Ac primum quidem in tabula III [XVII] sub *B* repraesentatum Turpeni titulum Praenestinum non potui non aliqua ex parte secus tractare fasc. III p. V sq. [523], quia vel diligentissima Helbigii descriptio tamen unum quiddam prorsus

silentio praetermiserat, quod post demum ex Henzeni in 'Bullettino' arch. Rom. a. 1863 p. 123 narratione didici. Quae
xv enim litterae versui alteri adhaerent ALIN, eas scire nemo poterat omnino non esse in arae parte antica scriptas, sed in latere dextro superstites. Quod si est ita, necesse est ipso ΓATRI vocabulo terminari latitudinem partis anticae, ab ipsis ALIN litteris exordiri latus dextrum: ectypum enim chartaceum, cuius mensuram religiose imitatus est lithographus, quoniam una continuitate per utrumque latus pertinet, minime intellegitur qui fieri possit ut inter ΓATRI et ALIN, quae se vocabula vix ullo intervallo excipiunt, vel uni S litterae vel cuivis alii locus sit. Hoc igitur quomodo expediant, viderint alii. Nobis una in promptu coniectura est, qua ad legis sacrae cogitationem ducamur in latere dextro positae, cuius primo versu sancitum fuerit ad quos· ius huius arae pertineret, altero vetitum in hanc formulam: ALI · Ne *faciunto* (sacruficanto). Interpunctionem saltem ne in fronte quidem lapis ullam novit; *ali* autem pro *alii* formam satis nuper inlustravimus comm. de decl. lat. recond. p. 19 [supra p. 462 sq.].

In eadem tabula III [XVII] quos sub *C—J* exhibui septem breviculos titulos sepulcrales item Praenestinos, eos non sine aliqua discrepantia cum ibidem ab eodem Henzeno p. 124 publicatos vidi tum a Garruccio lectos ipsius litteris humanissimis certior factus sum. Et in *E* quidem cum G · F se legisse pro C · F Garruccius narrat, etsi non caret exemplis talis G nota (velut illis quae contra fidem ectyporum tabularumque nostrarum P. L. M. E. LVI *E* et LXV 10 miro consilio Mommsenus oblitteravit C. I. L. I n. 623. 571), tamen qui exemplum lithographum inspexerit, facile quid Garruccii oculos fallere potuerit, intelleget. — Contra certo certius est non posse in *F* de nihilo esse quod ΓLAVTIO nomini praemittitur Ⅼ praenomen, cuius nullum sibi vestigium apparuisse Garruccius scribit. In eiusdem tituli fine Henzenus M · FⅬ/ sive legit sive a Cicerchia lectum accepit, quod sic supplevit 'M · FⅬM (?)': haud gravate, nisi fallimur, largiturus in lapide interpunctum M · F · Ⅼ · / esse supplen-

dumque L · N. — Titulum *G* Garruccius recte legi L · MANICI · M negat, iubet L · MAMILI · M: cui lectioni aperte repugnant quas pristinae scripturae reliquias charta eamque secuta tabula monstrant. In fine Henzenus F addit, cuius xvi in ectypo certe nullum vestigium. — Leve est denique quod in *J* idem TAΓIO exhibuit pro eo quod esse TΛΓIO debebat. — Ceterum uno verbo commemoramus octavum his titulum ab Henzeno additum, cuius ectypum ad nos nullum pervenit [Ephem. epigr. I p. 30 n. 122]:

V A T R O N I V S

itemque quattuor Mommsenianis iam in C. I. L. I p. 555 n. 1501 *a—d* receptis quintum iunctum [Ibid. p. 17 n. 29]

L · A N I C I O

Quo aliquid discrepantiae accedit in ipso 1501 *a*, ubi pro CAMELIO Henzenus exhibet CΛMELIO, item in 1501 *c*, ubi idem L · F pro LF: verius haud dubie utrumque.

Ad tabulam II [XVI] regrediendum est ibique repraesentatam sub *C* patellam L. Atilii, hanc ut iteratam esse in Gerhardi diar. archaeol. a. 1863 tab. CLXIII, 3 memoremus, enarratam autem n. 169 p. 13* sqq. et n. 172 p. 71* sqq. a Detlefseno, praeterea a Mommseno disceptatam p. 77* sqq.: quo accedit brevis de cancri ranaeque in arte veterum vi et usu disputatio Adolphi Michaelis ibid. n. 173 p. 43 sq. Et Detlefsenus quidem cum duo fictilia litterata alia cum Atiliano composuisset: quorum alterum decantatum illud Caeretanum est Caleni Canolei (P. L. M. E. tab. X *J* et XXXVI *C*; C. I. L. I n. 53), quod aliter atque adhuc factum supplendum esse sibi persuasit: alterum Calibus repertum, nunc Parisiis servatum, his autem nominibus inscriptum

C · G Λ B I N I O . . . T · N · C A L I I N O

(editum iam in Mommseni I. R. N. p. 356 n. 24 [Eph. ep. I p. 10 n. 9], ad verum repraesentatum in tabula Gerhardiana sub 4), quod temporibus liberae rei publicae tribuit: de utroque Detlefseni sententiam ita Mommsenus impugnavit ut nos

quidem prorsus consentientes habeat. Nec enim prioris inscriptionem aliter nisi sic legendam existimamus:

CA⊦ENVs · CANO⊦EIVs · fECIT

XVII nec alterum monumentum antiquius saeculo octavo credimus, unde consequens est ut Gabinio Caleno dativos interpretemur, non nominativos. Verum non minus confidenter de paterae Atilianae et lectione et aetate adversandum esse Mommseno intellegimus. Qui quod in patera non esse · K · ATI⊦IO, sed · IC · ATI⊦IO scriptum narrat contra atque Detlefsenus et verbis testatus est et delineando ante oculos posuit et quaerenti identidem affirmavit adseveravitque, fidem apud me non facilius invenit quam quod illas scilicet litteras posse fortasse ⊦ C · ATI⊦IO*rum* legi dubitanter conicit. Nec illud ullo modo persuadet quod paterae inscriptionem negat pro simplici figuli nomine communique fabricae nota haberi posse: unde consectarium esse ut item dativo casu positum Atilium animo informemus cui donata vel destinata sit patera, antiquioris autem aetatis cogitationem procul habeamus quantumvis gravi indicio ⊦ figurae munitam. Ad haec igitur repellenda omnia communi argumento hoc utor quod in figlinis Calenis (ad quorum societatem vix dubito etiam Detlefseni pateram referre) non unum nec pauca, sed multa exempla inscripti K · ATI⊦IO nominis, et sic quidem scripti, exstare Guidobaldius testatus est, cuius verba fasc. III p. XIV sq. [532] posui. Tot autem eiusdem generis monumenta num quis uni soli K. Atilio cuipiam esse dicata credet? — Quae cum ita se habeant, vix esse verendum putamus ne praeter veritatem priscae latinitatis documentis hanc ipsam inscriptionem inseruisse videamur.

Superest ut lamellae Bononiensis, vel potius dimidiae partis illius aeris, quam cum fasc. II p. XII [519] tum fasc. III p. XV [533] sqq. tractavimus, et originem et fidem vindicemus. Quod cum facimus, simul Raphaelis Garruccii fidei consulitur honorique satisfit. Is enim quod se praestiturum promiserat, stans promisso his praestitit quae per litteras ad nos perscripta infra posuimus ipsis ut par est verbis servatis.

Sic igitur ille: 'Rispondo un po tardi alla sua pregiatissima lettera, perchè ho voluto usare tutte le diligenze onde venire a capo della notizia desiderata. Il cui risultato è che la lamina del museo di Bologna fu posseduta dal sig. Gerardo de Rossi, banchiere, il quale morendo lasciò gravi debiti. Il XVIII
commendatore figlio di lui e poi marito della Principessa di Sassonia volle scrupolosamente pagare questi debiti, onde vendette tutto quanto era in casa, anche la sua biblioteca, e in questa occasione andò venduta anche la lamina. Ma qui in Collegio sene aveva una copia a fac-simile fin dal tempo che questa lamina era in casa del banchiere sig. Gerardo, il che risulta da ciò che sopra quella copia si legge il nome del de Rossi e la qualifica di banchiere. — Poichè, siccome mi scrive il sig. Dr Frati, non vi è vestigio nella lamina di Bologna di recente frattura, convien dire che ella fu trovata rotta in due pezzi, e che il pezzo minore si è perduto. Nella copia peraltro non è indicata in verun modo la rottura. L'impossibilità di contraffazione è evidente atteso l'arcaismo delle lettere, il frammento del rovescio ...' et quae sunt reliqua ad novam inscriptionis interpretationem spectantia, quam non videmur praecipere debere. Nihil igitur iam desiderari putamus nisi ut ipsum exemplum chirographum, quod ad archetypi imaginem adsimilatum esse dicitur, e tenebris Collegii Romani prolatum in publica luce proponatur, sive Garruccius ipse proponet sive nobis liberaliter largietur lithographi arte imitandum.

Supplementum V.*)

(Cum tabula lithographa**)).

Longo ex tempore fama percrebruit nobilissimi, cui tem- III
porum iniquitas praeter solitum pepercit, monumenti in Gallia

*) [Prooemium Indicis scholarum hibernarum Bonnensium annorum CIƆIƆCCCLXIV et LXV. C. W.]

**) [Tabula olim huic commentationi adnexa nunc n. XIX iterata est. C. W.]

Narbonensi superstitis: mausolei Iuliorum prope Glanum Livii exstructi, oppidum inter Rhodanum et Druentiam situm pari fere ab Avenione et Arelate intervallo, cui hodie *St. Remy* (vel *St. Remi*) nomen. Id monumentum a quot viris doctis indoctisve quotiens ultimo saeculo et paenultimo vel enarratum sit et disceptatum vel designatum et imitando expressum, Millini liber docet 'Voyage dans les départemens du midi de la France' (Par. a. 1808) t. III p. 396 sqq.: cui iunctum tabularum volumen illius imaginem exhibet in t. 63. Quamquam, ut verum fateamur, ab ipsa veritate vel saltem a veritatis et amplitudine et subtilitate Millinianum exemplum vix minore intervallo distat quam quae ante illum edita sunt a Sponio in limine libri 'Recherches curieuses d'antiquité' inscripti (Lugd. a. 1683), a Montefalcone in 'Antiquité expliquée' (Par. a. 1719) t. V tab. 119, ab alio Francogallo Moreau de Mautour in Hist. acad. inscr. et lib. art. vol. VII (a. 1733) p. 263: cetera enim a Millino memorata, minime laudata, non vidimus. Id autem ita se habere facile ex eo exemplo perspicitur quo illos omnes longe superavit Alexander comes de Laborde in 'Monumens de la France classés chronologiquement et considérés sous le rapport des faits historiques et de l'étude des arts' (Par. a. 1816) t. I tab. 83. 84. 85 coll. tab. 36.*) Et tamen quantum sit quod
IV vel hic reliquum fecerit, nunc demum perspicere licet, postquam cum photographica arte paratum totius monumenti exemplum, officiosissime intercedentibus Aemilio Eggero Parisino Eugenioque Benoist Massiliensi, liberalitate prorsus singulari magistratus urbici Glanensis Bonnam transmissum est, tum suis nuper oculis Henricus Brunnius noster et structurae genus omne, permemorabile illud, et sculpturae artem quattuor basis lateribus adhibitam scrupulosissime examinavit. Et ad architectonicam quidem plasticamque artem spectans pars gravissimae sane eiusdemque intricatissimae quaestionis quoniam sine tabularum adminiculo ne potest quidem

*) Novum nuper exemplum lithographum vidimus in Ewerbeckii libro propositum 'Architectonische Reiseskizzen aus Deutschland, Frankreich und Spanien' (Hannov. a. 1862) fasc. I tab. 5: quo nihil prorsus proficitur.

sat plane explicari, harum autem conficiendarum in eorum quae nunc sunt temporum angustiis nec venia nobis nec copia est, in sola nunc ea parte versabimur quae ad coniunctissimam cum architectura epigraphicen spectat. Ex hac enim quantum saepe lucis in historiam artis redundet, cum aliis documentis pridem intellectum est tum huius ipsius monumenti insigniore exemplo apparet. Quippe sic existimatum est ab elegantioris iudicii hominibus Francogallis plerisque: tam manifesta mausoleum Glanense indicia prae se ferre aut labantis artis aut prope iam lapsae, ut antiquioris aetatis cogitatio omnis procul habenda sit. Velut in hunc modum Millinus commentabatur p. 400 sq.: 'Malgré la beauté de l'ensemble du mausolée et la delicatesse de quelques ornemens, il offre des défauts; les colonnes cannelées, avec des chapiteaux corinthiens et des bases attiques, n'ont pas de justes proportions; la corniche et la frise partent du milieu des colonnes, qui ne les supportent pas entièrement; il y a des parties d'ornement très-grossières et très-négligées: enfin il est aisé de voir que cet édifice n'a pas été fait dans le bon temps de l'art; il est sûrement d'un temps postérieur à celui des Antonins.' Alia quae putat vitia vituperans Labordius p. 83 sq. etsi aetatem certius definire non est ausus, tamen de tempore non multum remoto ('une époque peu reculée') item loquitur. Longe et confidentius et contemptius vir sollertissimus iudicat Prosper Mérimée in 'Notes d'un voyage dans le midi de la France', qui liber Bruxellis prodiit a. 1835. Is enim praemissis p. 300 his verbis: 'le tombeau m'a paru mesquin, bizarre, et d'un goût détestable; il est impossible de ne pas croire en le voyant qu'il appartient à une époque de décadence', prolixiore disputatione mausoleum Glanense cum arcu triumphali comparat quem proximo iuxta mausoleum intervallo exstructum plerique una cum illo et tractarunt et repraesentarunt. Quem cum ab artis elegantia longe longeque mausoleo praeferat cum Millino, Labordio, ceteris, tamen quoniam ne hunc quidem M. Aurelii imperio antiquiorem arbitratur p. 306, consequens est ut mausoleum Commodi vel Septimii Severi temporibus tribuat, prorsus ut ante visum erat Millino.

Hanc igitur de aetate monumenti Glanensis opinionem cum fere dominari viderem, non mediocriter mirabar parum curae ab eisdem antiquariis in ea inscriptione positum, quam tamen omnes nossent in media parte monumenti e tribus tabulatis compositi per epistylium omne pertinere grandibus litteris exaratam: quae cuius esse aetatis vel posset vel non posset, nemini vel in mentem venit quaerere. Quid? quod ne recte legendo quidem vertendoque titulo longe simplicissimo quisquam par fuit ante Io. Iacobum Barthélemy, cuius haec verba excerpere libet e 'Mémoires de l'acad. des inscr. et belles lettres' t. XXVIII (a. 1761) p. 579, iterata in 'Voyage en Italie' p. 331 ed. a. 1801 vel p. 336 ed. a. 1802, in brevius contracta Operum t. III, 2 p. 465 ed. a. 1821: 'Douze opinions différentes*) n'ont pû fixer encore la façon de lire une inscription tracée sur la frise du mausolée, parce qu'elles
VI étoient toutes fondées sur les copies infidèles qu'on en avoit: voici la treizième, et j'ose dire la véritable,

SEX · L · M · IVLIEI · C · F · PARENTIBVS · SVEIS

Sextus, Lucius, Marcus, tous trois fils de Caius Julius, à leurs parens.' Nec recipiendi tituli aliam caussam Orellius n. 201 habuit, nisi 'quia inter eruditos Gallos celebratur propter duodecim minimum interpretationes diversas quas expertus est.' Ceterum in repraesentanda inscriptione Orellius totus

---

*) Nemo iocularius Moreavio l. s. s. qui sic interpretabatur: [*Caius*] *Sextius Lucius, Maritus Iuli(a)e Incomparabilis, Curavit Fieri Parentibus Suis*. Quo paullo saltem sanius Labordius: *Sextus et Marcus Iulii curaverunt faciendum parentibus suis*: quam interpretationem nimirum emendavit Merimaeus substitutis *curaverunt fieri* vocibus. Quamquam quid hos mirabimur, si vel Millinus facere non potuit quin Barthelemyi interpretationi hanc Fischianam opponeret ut diversam p. 398: '*Les Juliens, Sextus, Lucius et Marcus, fils de Caius Julius, à leurs parens*' hoc quidem iudicio subiecto 'la tournure seroit différente, mais le sens est le même.' In legendo autem transcribendoque titulo cum iam apud Gruterum bis peccatum esset p. 731, 10 et 11, tamen haud scio an levitate ceteros Graecus homo Lysander Kaftangioglu (an Kastangioglu?) superaverit hoc proposito exemplo in Annal. Inst. arch. Rom. t. X (a. 1838) p. 101: SEX. L. M. IVLIAE. T. C. F. PARENTIBVS. SVIS.

pependit e Millini exemplo p. 397 posito, satis illo emendato nisi quod interpunctio omnis abest.

In hoc igitur titulo tractando quod prorsus neglectum mirabar, hoc erat, quod ille cum omisso Iuliorum cognomine tum diphthongi IVLIEI et SVEIS vocibus usu posterioris aetatis cogitationem omnem excludere atque adeo liberae etiamtum rei publicae tempora certissime contestari videretur. Atque de EI scriptura dedita nuper opera in horum Supplementorum fasciculo IV [p. 542 sqq.] hanc ipsam potissimum ob caussam quaesivi, ut inde proficerem ad titulum Glanensem rectius definiendum. Vbi si vere disputavi in dativis ablativisque (ut SVEIS) diphthongum vix ultra imperium Caesaris Augusti perstitisse, in nominativis (IVLIEI) aliquanto etiam prius desiisse, consequens est ut a vero mirum quantum Francogallorum iudicia aberraverint. Ita igitur sentienti nihil contingere exoptatius potuit quam quod, praeter monumenti imaginem cuius supra mentionem feci photographam, etiam inscriptionis exemplum eximia et arte et cura coloribus pictum incomparabili Sanremensium benignitate in manus meas pervenit. Quod simul atque oculis intueor, ilico species evidentissima eius litteraturae apparuit, qualis fuit circa tempora exeuntis saeculi septimi ineuntisque octavi. Quod quidem ita esse facile, qui harum rerum aliquem usum habeat, ex ea tabula*) perspiciet qua figuras litterarum omni fide lithographus noster ad verum expressit sub *A*. Praeterea quo nihil omitterem aptum ad persuadendum, transmisso exemplo lithographo e peritissimis in hoc genere arbitris Guilelmo Henzeno et Io. Baptista Rossio de huius aetate VII
scripturae sciscitatus nulla interposita mora responsum tuli, non posse ullo modo dubitari quin illa aut ultimis temporibus liberae rei publicae aut fortasse primis imperii tribuenda esset.

Vides quam recte vim et usum epigraphices praedicarim ad illustrandam emendandamve historiam artis valentem. Quippe nunc demum certum nec ullo pacto fallax fundamen-

*) Eam tabulam qui expetierit, venire sciat apud A. Marcum librarium Bonnensem.

tum nacti merito sic existimabimus, non ut ex artis genere de aetate monumenti coniciendum, sed ut ex inscriptionis h. e. ipsius monumenti aetate de genere artis iudicandum esse intellegamus. Itaque in hanc partem confidenter statuebam, cum de mausoleo Glanensi aliqua occasione commentabar de qua relatum est in Gerhardi Diariis archaeol. a. 1863 p. 134*. Vbi de Millini, Labordii, Merimaei offensionibus dubitationibus reprehensionibus plurimis non potui non ita sentire, has ut eis disceptandas expediendas diluendas committerem qui disciplinam archaeologicam profitentur adque architectonicen studia contulerunt sua. Nam memet cum in horum numero minime censerem, tamen tantum intellegere videbar, eo esse necessario adnitendum ut cum inscriptionis antiquitate artis existimatio aliqua via conciliaretur. Quocirca Romam missis Labordianarum tabularum exemplis delineando factis, quid tandem huius rei esset e Brunnio perquisivi: qui tamen ne sic quidem sat tuto posse iudicari respondit nisi ipso monumento inspecto. Itaque pergratum accidit quod per itineris Parisini opportunitatem licuit nuper suavissimo amico Glanum adire ipsumque mausoleum per omnes partes diu placideque contemplari perscrutari rimari. Quo planissime intellectum est mirum quantum fallere vel Labordianas tabulas, sive architectonicas rationes spectas sive plasticas: singularem sane, sed minime rudem atque inconditam, nedum vilem abiectamque artem omnem perquam notabilis monumenti esse, immo certo consideratoque consilio instituta omnia: singulas quasdam partes a norma consuetudinis recedentes, sed easdem suis e caussis repetendas, parum simplici prudentique iudicio, immo cupidiore fastidio et praesumpta quadam opinione ab antiquariis existimatas: praeclaro tamquam supplemento monumentum Glanense esse ad vacua quaedam intervalla explenda quibus progressae pro-
VIII pagataeque artis scientia nostra adhuc hiaverit: ab elegantia et concinnitate, quamvis ea aliquotiens solidiore et propemodum pinguiore quam molliore et politiore, nihil prorsus obstare, quominus ei ferme aetati illud tribuatur quae media fuit inter C. Caesarem et Octavianum Augustum. Ad ipsas autem figuras in quattuor basis lateribus opere caelato factas

quod attinet, non posse cum quibusdam de aliquo argumento mythologico cogitari, velut de venatione Calydonia, de morte Patrocli, de pugna Amazonum, sed indubiam certaminum militarium repraesentationem esse: certarum tamen vel pugnarum vel personarum, in qualibus comminiscendis adornandisque post alios multus fuit Malossius a Merimaeo commemoratus, certiora indicia esse nulla. Itaque etsi somnia sunt quibus Malossius ipsius C. Caesaris dictatoris de Ariovisto triumphum, cladem Allobrogum captamque filiam Orgetoricis, mortem Camulogeni menti suae informavit ut anaglypho opere expressa, tamen tantum esse concedendum videtur, reapse spectare haec anaglypha ad Romanorum, Gallorum, aliorum fortasse barbarorum aliqua certamina, in quibus certae partes fuerint et ut videtur eminentiores eius C. Iulii, cuius honorificae memoriae laute luculenterque exstructum monumentum Sextus Lucius Marcus filii consecrarunt. Cuius C. Iulii dolendum est sane ne tenuissimam quidem memoriam rerum scriptores servare. Quodsi quis fuerit, quibus honoribus functus, qua virtute insignis quove successu clarus, ne verbo quidem in ipso titulo significatum mirere, haud scio an sat probabili coniectura responderi possit. Arcus enim triumphalis ille, cuius iam supra mentio facta, cum in tanta mausolei vicinitate collocatus sit ut, quin certo consilio haec duo aedificia sociata sint et ad unius hominis honorem relata, vix videatur dubitari posse, consentaneum est profecto sic censere, ut in eius ipsius arcus parte superiore, quae aetatem non tulit, perscripta fuerint nomina, tituli, facinora etiamtum vivi C. Iulii, cui mortuo mausoleum iuxta statuerit filiorum pietas. Ita cum viginti anni vel plures potuerint inter utriusque monumenti originem interiecti esse, vel sic sat commode, unde artis in utroque non levis discrepantia quaedam repetenda sit, perspicitur: quamquam Brunnio quidem iudice ea discrepantia non est tanta nec eiusmodi, quin prorsus probabiliter ad indolis diversitatem duorum, a quibus illa opera profecta, Graecorum artificum IX
revocetur: nam Graecos fuisse res ipsa loquitur. — Cognomine autem *Iulios* illos fuisse *Caesares* vel praenomina faciunt ut credamus, quando praeter *Sextus Lucius Gaius* praenomina

aliud omnino nullum Caesarum familia probavit, id quod vel consules annorum 597. 663. 664. 690 docent. Ceterum pars Romanae gentis Iuliae in Gallia consederit an Romanae nomen patrociniumque Gallica gens assumpserit, incompertum.

Tantum est quod de mausoleo Glanensi disserere in promptu est philologo: penes archaeologos ea pars quaestionis erit quae ad artem singillatim explicandam pertinet, cui ipsi muneri non defuturum Brunnium confidimus.

Septem poculis litteratis antiquissimis, quae licuit in P. L. M. E. tab. X et XI repraesentare, Brunnii nunc beneficio octavum sub *B* accedit ad cultum Aesculapii spectans anno 463 u. c. Romam receptum [cf. Ephem. epigr. I p. 8 n. 5]. Simillimum id quidem, sive paterae figuram sive ornamenta et colores spectas, poculo illi VOLCANI est, quod delineatum habes l. s. s. tab. X *C*, coloribus pictum in Gerhardi 'Trinkschalen des Berliner Museums' (Berol. 1840) tab. VIII: inscriptionem autem hanc monstrat

ΛISCLΛPI · POCOCOLOM

Vbi iteratas post POCO duas CO litteras (quarum prior mire curta specie est) non consilio ulli, sed simplici scribendi lapsui deberi recte haud dubie Brunnius vidit, qui et investigavit hoc monumentum et primus publicavit in 'Bullettino' arch. Rom. a. 1864 p. 24. De origine autem etsi nihil constat nisi ab homine regionis Clusinae allatum esse Romam, tamen sat probabiliter de Etruria meridionali cogitari, unde eiusdem generis cetera pocula sacra prodierunt, iure suo iam est idem Brunnius ratiocinatus. Ceterum in ipsa inscriptione inusitati nihil inest, quando nec ΛI diphthongus nec syncope CL consonantium, de qua identidem dictum est alibi, quicquam offensionis in titulo exeuntis saeculi quinti vel ineuntis sexti habet.

Licebit autem hac opportunitate uti ad recolendam memoriam eius poculi, in quo scriptum esse COERAE · POCOLO diu est ex quo, Garruccio ut videtur auctore, fama perc[...]

bruit, quamquam ipsum vasculum ab Io. Petro Secchio S. I. olim possessum quo gentium pervenerit ignoratur. Suspectabat hanc inscriptionem Mommsenus C. I. L. I n. 45 cum propter alia (quae etsi videor divinare posse, tamen gravioris momenti esse vix putaverim) tum propter omissam in POCOLO litteram finalem, quam cetera sane pocula constanter servant. Itaque nec inutile nec iniucundum fuerit ad ea animum advertere, quae huc pertinentia litteris gratissimis accepta refero a gnavissimo iuvene deque epigraphica arte bene merituro Carolo Zangemeistero Roma ad me datis. Is enim cum per itineris Etrusci occasionem Hortam venisset (cui nunc *Orte* nomen), apud clericum quendam incidit in exemplar 'Antiquitatum Hortae' ab Iusto Fontaninio Romae evulgatarum a. 1708, quod qui ante possederat, sua manu magnaque diligentia, quidquid titulorum cum Etruscorum tum Latinorum post Fontaninium repertorum ei innotuit, in fine libri adscripsit: id quod post annum huius saeculi XXX factum esse inserta diariorum publicorum schedula docuit ad seditionem turbasque Polonorum spectans. Ibi igitur etiam poculi figura picta est, proxime ea accedens ad illarum similitudinem quas P. L. M. E. tab. X sub *c d e* repraesentavimus, hac quidem addita inscriptione COTRΛ POCOLO. Ergo quin exstiterit tale vasculum, idque Hortae repertum unde etiam LΛVIIRNΛI atque SΛLVTES pocula prodiisse constat, iam dubitare nullo modo licet, quamquam de vera lectione non potest non anceps esse iudicium. Et tertia quidem littera T quoniam interpretationem omnino respuit, proclivis sane de evanidis lineolis duabus coniectura est qua COERΛ nomen redipiscamur, E litterae figura minime insolita in titulis vetustioribus vel stilo inscriptis. Quod reliquum est, etsi nec POCOLO nominativus per se quicquam offensionis habet ac fortasse ne COERA quidem genetivus aliqua defensione caret: (quidni enim, quo iure dativos FERONIΛ MATVTA NOMELIΛ MΛRICΛ, nominativum pluralem MΛTRONΛ incultior quondam lingua probavit in saxis Pisaurensibus, etiam genetivum aliquando potuisse imminui largiare?) tamen quoniam neutrum ex ipso poculorum genere quicquam firmamenti habet, satius sane fuerit duce

XI E litterae exemplo sic sentire, ut aliis quoque locis quibusdam evanuisse pristinam scripturam coniciamus. Vt, si nihil praeter COTRΛ POCOLO oculis Hortini antiquarii apparuit, hoc minime impediat quominus integra etiamtum patella plenius scriptum fuisse COERΛI ac fortasse etiam POCOLOM credatur: illud quidem prorsus ad similitudinem ΛECETIΛI formae quae est in poculo nunc Londinensi.*)

Ceterum cuicuimodi hoc est, citra controversiam iam

) [His addenda sunt quae Musei Rhen. t. XXI (1866) p. 296 sq. Ritschelius narravit inscripta 'zur Litteratur der POCOLA': 'In Priscae lat. epigr. Suppl. V p. X f. theilte ich mit, wie durch den glücklichen Fund eines handschriftlichen Zeugnisses, welches Herrn Dr. Zangemeister in Orte (dem alten Horta) in die Hände fiel, die von Mommsen C. I. L. I n. 45 einigermassen bezweifelte Existenz eines Gefässes mit der (auf Garrucci's Autorität zurückgehenden) Inschrift COERAE · POCOLO vollkommen sichergestellt sei. Ein zweites Zeugniss dieser Art verdanke ich jetzt der brieflichen Mittheilung des Herrn Ariodante Fabretti in Turin. Er macht zunächst darauf aufmerksam, dass obige Inschrift früher als von mir in P. L. M. E. Enarr. p. 14 und von Mommsen a. a. O., von ihm selbst sei publicirt worden in seinem Glossarium Italicum p. 1417, wo sie COIRA · POCOLO geschrieben ist. So nämlich fand er sie in einem an Vermiglioli gerichteten Briefe G. Catena's vom 9. Juli 1842, worin dieser Bericht erstattet über die im J. 1838) unter Ardoini's Leitung in Orte unternommenen Ausgrabungen und die sämmt-
297 lichen bei dieser Gelegenheit zu Tage gekommenen Inschriften verzeichnet, deren grössten Theil Fabretti auch schon in sein Corpus inscr. Ital. aufgenommen hat. Die Catena'schen Abschriften nun derjenigen Stücke, welche Fabretti mit denen des Museo Gregoriano vergleichen konnte, gaben ihm die Ueberzeugung, dass, wenn Catena selbst die etruscischen Inschriften 'discretamente' zu lesen wusste, er um so richtiger werde die lateinischen copirt haben, folglich auf die Lesung COIRA · POCOLO voller Verlass sei. — Möglich allerdings an sich, dass Catena richtig abschrieb; aber für verbürgt könnten wir die Lesung doch erst dann halten, wenn ausdrücklich bezeugt würde, dass weder an dem I, noch nach dem A (noch nach dem letzten O) ein jetzt verlöschter Zug gestanden habe oder gestanden haben könne. Catena oder Garrucci — die Wahl ist gleich misslich, zumal Angesichts der dritten Lesung COTRΛ · POCOLO, an die sich nach wie vor die Muthmassungen anschliessen lassen, die in Suppl. V a. a. O. vorgetragen wurden.' — Ceterum cf. Ephem. epigr. I p. 8 n. 6. C. W.]

*) 'Also hatte Zangemeister aus dem Inhalt eines eingeklebten Zeitungsblattes ganz richtig auf eine Zeit nach 1830 geschlossen.'

constare de novem nominibus deorum putamus cum '*poculorum*' religione circa tempora Punici belli primi coniunctis: quae sunt Aequitatis*), Aesculapii, Bellonae, Ceri, Curae, Lavernae, Salutis, Saturni, Vulcani. Nam ne de Bellona quidem dubitandi sat gravem caussam video. Miram esse BE-⊢O⊢ΛI formam haud infitior. Quam non posse *bellulae* loco haberi, verissime Mommsenus disputavit. Nec magis audiendus, quem novi de *Bellula* cogitare, quam dici Venerem voluit. Mitto reliqua, quae tali interpretationi obstant, omnia; unum illud respici iubeo, ab omnibus quod sciam neglectum: ipsius deae imaginem, ut e tabula nostra P. L. M. E. XI *G* planissime apparet, anguibus crinitum caput ostendere, quod quam est a Veneris cogitatione alienum, tam in Bellonae indolem apprime convenit. Quod cum ita sit, illud curandum erit, ut non necessario abhorrere ab antiquitate linguae talem *l* et *n* liquidarum permutationem intellegatur: quae quamvis singulari exemplo contineatur, tamen haud scio an aliarum affectionum non minus singularium earumque item ad consonantes pertinentium exemplis defendatur, de quibus quoniam breviter non potest, alio loco dicetur.

Eidem Zangemeistero Agathonis titulus debetur ante non editus, quem tabula lithographa exhibet sub *C*. Repertus est ille in agro Verano, cum coemeterium aedis *S. Laurentii extra muros* ultra pristinos fines promotum est: nunc XII
autem in horreis musei Capitolini servatur. Vetustioris aetatis, quam sola scripturae species testatur, alia indicia certa nulla sunt: post medium demum saeculum septimum factum esse *t* litterae aspiratio documento est. Mutilis nunc litteris plene perscriptis hoc prodit inscriptionis fragmentum:

? *agath*ONI · L
*a*GATHO · LI
CONLEGEIS
*t*ARQVITI · PO
AGATHONIS · Γ

---

*) Hanc AECETIAI nominis interpretationem nescio qua oblivione P. L. M. E. Enarr. p. 15 mihi tribui, quam Bernaysio Mommsenoque deberi recte dixeram comm. de fict. litt. p. 19 sq. [supra p. 283].

Quod fragmentum aliqua coniectura supplere velle, cum a quattuor partium nulla integrum lapidem habeamus, hariolantis potius sit quam ratiocinantis.

Pridem a nobis repraesentatum P. L. M. E. tab. XCI *A*
titulum Vaticanum propterea iterandum duximus sub *D*,
ut culpam illic commissam, quae tamen vix haberi nostra
potest, expurgaremus. Quippe Bonnam transmissum ectypum
chartaceum ita paratum erat, ut a CALTILI nomine inci-
piens una continuitate pergeret ad TVLLI. Iam cum ex
adiecta huic ectypo totius arae imagine, quam in P. L. M.
E. sub *a* posui, planissime appareret ipsum principium tituli
a T·QVINCTIVS nomine fieri, mutato ordine hinc suum
lithographus exemplum exordiri iussus est, quando non potuit
non per totum orbem rotundae arae inscriptio pertinere vi-
deri: nec quicquam contrariam in partem significatum erat.
Hinc igitur consequens fuit ut sat graves dubitationes ori-
rentur de duobus, ut quidem videbatur, hominibus in supe-
